ANTONII VAN DALE

POLIATRI HARLEMENSIS

DISSERTATIONES

DE

ORIGINE AC PROGRESSU

IDOLOLATRIÆ

ET

SUPERSTITIONUM:

DE VERA AC FALSA

PROPHETIA;

UTI ET DE

DIVINATIONIBUS

IDOLOLATRICIS JUDÆORUM.

AMSTELODAMI,

Apud HENRICUM & Viduam THEODORI BOOM,

MDCXCVI.

Clarissimo, Eruditissimo,

Omnisque melioris Literaturæ ut Amantissimo, sic (æque ac Artis Medicæ) peritissimo viro

THEODORO JANSSONIO AB ALMELOVEEN,

ANTONIUS VAN DALE.

SI aut tu, Celeberrime vir, indigeres preconiis, ut mundo erudito innotescceres, egoque vel essem in ære tuo; aut munus aliquod vel emolumentum expeterem; vel denique animo adulandi cupido ad te accedere vellem; in cœlum forte (quamvis non tali auxilio egeas) te laudibus tollerem: ac si viribus meis nimis diffiderem, te Patronum ac Defensorem eligerem: ut sic unâ manu onustus meis nugis, alterâ armatus gladio διστόμῳ, totum orbem eruditum minitans obambulares; ac si forte quis contra hæc mea hiscere ausus esset, tam crudeli, pro me, pugnæ criticæ quandoque te ingereres, ut vix, si modo vix, te ex Soilorum ac Momorum manibus (nisi per propria merita tua) salvum vivumque, post longos errores, altercationes ac digladiationes, pedibus domum referre valeres. Hæc enim, atque hisce similia, sunt quæ

tales homines Patronis ac Mæcenatibus ſuis (quos ſibi pene ubique aut reperiunt, aut fingunt) imponunt; dum interim ſic, licet indirecte, ſatis impudenter ſtipem ab ipſis emendicant.

Verum enim vero inter nos alia longè ratio eſt: Amicus ad amicum accedo hac dedicatione, ut ſic monumentum inter poſteros maneat (ſi hæc mea eousque perdurare valent) mutuæ noſtræ familiaritatis ac ſinceræ Amicitiæ. Miraberis interim forſan, quid me ad hoc ſcribendi genus impulerit. Si ipſam veritatem audire cupis, quam nec tibi, neque ulli in hoc mundo, celatam velim; ea eſt, me ſemper, ut Religionis amantem, ſic & Superſtitionis oſorem, quammaxime fuiſſe. Accreſcebat enim uterque ille affectus ex modica lectione iſtorum Scriptorum, qui ut inter Ethnicos permagni æſtimantur; ita in ſummo quoque pretio fuere tum veteribus, tum adhuc hodiernis, ac quidem Chriſtianis, Theologis ac Philologis. At permultum hìc fecit ipſius S. Scripturæ accuratior (pro meo modulo) conſideratio. Ex hac igitur imprimis, ac, poſt illam, ex Platone, Cicerone, Strabone, Plutarcho aliiſque antiquis Ethnicis; nec minus ex primorum ſeculorum Chriſtianiſmi Scriptoribus, didici, Religionem quidem ſincerè ac ſummopere amplectendam, Superſtitionem vero quantum pote rejiciendam: ne ſic, quod perfacile fieri vult, in hunc illumve ſcopulum, ſive Superſtitio is ſit, ſive Atheiſ-

mus

mus, (qui ambo æque vitandi ſunt, ut vera Religio vere ac rite conſervetur) impingamus; vel aliis impingendi occaſionem demus.

Hoc certe uti cognovit, ſic & agnovit eruditiſſimus inter Græcos Plutarchus: qui ſub finem *libri*, lectu digniſſimi, *de Superſtitione*, ita loquitur: Οὐκ οἴεται θεοὺς εἶναι ὁ ἄθεος, ὁ δὲ δεισιδαίμων οὐ βούλεται· πιστεύει δὲ ἄκων. ἀποθανεῖν γὰρ φοβεῖται. καίτοιγε ὥσπερ ὁ Τάνταλος ὑπεκδῦναι τὸν λίθον ὑπεραιωρούμενον, οὕτω καὶ οὗτος τὸν φόβον ὡς οὐχ ἧττον ὑπ' αὐτοῦ πιεζόμενος, ἀγαπήσειεν ἂν, καὶ μακαρίσειεν τὴν τοῦ ἀθέου διάθεσιν, ὡς ἐλευθερίαν. νυνὶ δὲ τῷ μὲν ἀθέῳ δεισιδαιμονίας οὐδὲν μέτεστιν· ὁ δὲ δεισιδαίμων τῇ προαιρέσει ἄθεος ὢν, ἀσθενέστερός ἐστιν ἢ τοῦ δοξάζειν περὶ θεῶν ὃ βούλεται. καὶ μὴν ὁ ἄθεος δεισιδαιμονίας οὐδαμῇ συναίτιος· ἡ δὲ δεισιδαιμονία τῇ ἀθεότητι καὶ γενέσθαι παρέσχεν ἀρχὴν, καὶ γινομένῃ δίδωσιν ἀπολογίαν, οὐκ ἀληθῆ μὲν οὐδὲ καλὴν, προφάσεως δέ τινος οὐκ ἄμοιρον οὖσαν. οὐ γὰρ ἐν οὐρανῷ τι μεμπτὸν, οὐδὲ ἐν ἄστροις, οὐδὲ ἐν ὥραις, ἢ περιόδοις ἢ κινήσεσιν ἡλίου περὶ γῆν, ἡμέρας καὶ νυκτὸς δημιουργοῖς, ἢ τροφαῖς ζώων, ἢ καρπῶν γενέσεσι πλημμελὲς καὶ ἄτακτον ἐνιδόντες, οὕτως ἀθεότητα τοῦ παντὸς κατέγνωσαν· ἀλλὰ τὰ δεισιδαιμονίας ἔργα καὶ πάθη καταγέλαστα, καὶ ῥήματα, καὶ κινήματα, καὶ γοητεῖαι, καὶ μαγεῖαι καὶ περιδρομαὶ, καὶ τυμπανισμοί· καὶ ἀκάθαρτοι μὲν καθαρμοὶ, ῥυπαραὶ δὲ ἁγνεῖαι, βάρβαροι δὲ καὶ παράνομοι πρὸς ἱεροῖς κολασμοὶ καὶ προπηλακισμοί. ταῦτα δίδωσιν ἐνίοις λέγειν ὡς μὴ εἶναι θεοὺς ἄμεινον, ἢ εἶναι, τοιαῦτα μὲν δεχομένους, τοιούτοις δὲ χαίροντας, οὕτω δὲ ὑβριστὰς, οὕτω δὲ μικρολόγους, καὶ μικρολύπους. *Non putat eſſe Deos Divinitatis negator: Superſtitioſus autem, vellet non eſſe, credit vero invitus. Mori enim timet. Si vero, quemadmodum Tantalus ſe lapidi, ita ille ſe timori poſſet quo ſuſpenſus eſt & conſtrictus, ſubtrahere: amplecteretur utique, beatumque diceret Divinita-*

 tem

tem abnegantis animum ut liberum. Jam vero Divinitatis negatori nihil rei eſt cum Superſtitione: ſuperſtitioſus autem, quum Divinitatis negator ſit inſtituto, infirmior eſt quam qui de Dîs opinari poſſit quod velit. Quin etiam Divinitatis negator, Superſtitionis nuſquam præbet cauſam; Superſtitio autem Divinitatis abnegationi, ut naſceretur principium præbuit: & natæ præbet defenſionem, non veram quidem neque honeſtam, prætextu tamen non carentem. Non enim in cœlo quicquam reprehenſibile, neque in ſideribus Solis circum terram, qui diem noctemque efficiunt, neque in animalium victu, neque in fructuum generatione, quicquam erroneum & inordinatum conſpicientes, ita Divinitatis abnegationem in univerſum decreverunt. Sed Superſtitionis facta, ridiculæque perturbationes, & verba, & præſtigiæ, & Incantationes, & circumcurſationes, & cruciatus, & impuræ purificationes, immundæque inundationes, barbaræque & iniquæ prope templa punitiones & injuriæ, quibuſdam cauſam præbent, ut dicant, Satius eſſe non exiſtere Deos, quam exiſtere talia probantes, talibuſque gaudentes, itaque injurioſos, itaque ſordidos, parvaque de cauſa iraſcentes.

Ex talibus certe videmus, ipſos Gentiles, qui aliis prudentiores erant, voluiſſe hîc ſibi a ſcopulis ab utroque latere cavere, quantumvis vero lumine, ac Cy-

no-

nosura Evangelica, orbatos; neque aliis mala dedisse consilia, ut hinc Scyllam, inde Charybdin, æque periculosa navigantibus offendicula, tam in propriam, quam in aliorum salutem, devitarent. Ita enim idem ille Plutarchus, tractatulum modo dictum, finiens: loquitur: Ἀλλ' οὐδὲν οὕτω πολυπλανὲς καὶ πολυπαθὲς νόσημα, καὶ μεμιγμένον ἐναντίαις δόξαις καὶ μαχομέναις μᾶλλον, ὡς τὸ τῆς δεισιδαιμονίας. Φευκτέον οὖν αὐτὴν ἀσφαλῶς τε καὶ συμφερόντως, οὐχ ὥσπερ οἱ λῃστῶν καὶ θηρίων ἔφοδον, ἢ πῦρ ἀπερισκέπτως καὶ ἀλογίστως περιφεύγοντες, ἐμπίπτουσιν εἰς ἀνοδίας βάραθρα καὶ κρημνοὺς ἐχούσας. οὕτω γὰρ ἔνιοι φεύγοντες τὴν δεισιδαιμονίαν ἐμπίπτουσιν εἰς ἀθεότητα τραχεῖαν καὶ ἀντίτυπον, ὑπερπηδήσαντες ἐν μέσῳ κειμένην τὴν εὐσέβειαν. *Verum nullus ita multivagus, & misere afficiens morbus est, contrariusque commixtus opinionibus, inter seque pugnantibus, ut Superstitionis. Fugienda autem est, non quemadmodum qui Latronum aut ferarum incursum, aut ignem imprudenter ac inconsiderate fugiunt, incidunt que invia voragines habentia, & præcipitia. Ita enim nonnulli fugientes Superstitionem, in asperam & morosam incidunt Divinitatis abnegationem, transilientes* [NB] *in medio sitam pietatem.*

Qui Atheismo (pessimo sane animi, atque exitiabili, morbo) obviam ire annisi sunt, multi & magni, nomine ac re scriptores fuere; & fortibus quidem ac peremptoriis (ut sic loquar) usi argumentis. Qui Superstitionem ex hominum animis eradicare penitus tentarunt, pene nulli adhuc sunt; aut tales, ut plurimum, qui cum Superstitione etiam ipsam Religionem,

nem, ſive incautè nimis, ſive maligne, ſubruere viſi ſunt, aut revera ſubruerunt.

Arripuerunt, præter tales, quidem multi has illaſve Superſtitionum ſpecies, circa ritus ac cæremonias, inter Chriſtianos in abuſu habitas: ſed non ipſas radices Superſtitionis, qua etiam ipſa Sacra Scriptura (quantum ad ejus Verſiones in quacunque demum lingua editas) jam a temporibus antiquis commaculata fuit; ac quidem ratione Dæmonum, ſeu Doctrinæ Dæmoniorum; quam ex Chaldæiſmo atque Ethniciſmo hauſtam, huic Scripturæ, ſat perversè, ſuperſtruere quamplurimi conniſi ſunt.

Hæc certe res me movit, ut quantum in mea ſit poteſtate, oſtenderem fontes ac ſcaturigines, non tam Idololatriæ (cui tamen talia ſuam primam debent originem) quam *Superſtitionum*; quæ ex dicto Chaldæiſmo primum, poſtea & aliunde, (quamvis & inde quoque ſcaturientes) fluctibus ſuis & populum Iſraëliticum, & cunctas præter ipſum gentes, obruerunt. Hinc enim exortæ ſunt, & Dæmonomania, ſeu perverſa Dæmoniorum doctrina, ac δεισιδαιμονία (ſive Dæmonum timor) omniſque pene reliqua in mundo Superſtitio. Hinc Phariſæiſmus, ex Chaldaicis ejuſmodi præjudiciis, in Eccleſia Judaica, ita permultorum hominum animos occupavit, imò infatuavit, ut nihil fere præter Angelos ac Diabolos, ſeu Dæmonas ac Dæmonia creparent; tan-

tantamque eorum nauseam in reliquis, sæpe aliàs satis prudentibus ac cordatis, excitarunt, ut (quod vitium, proch dolor! hominibus nimium familiare semper fuit) dum a flumine hoc inundationem sibi metuerent, imprudenter sese in ignem, adeoque in ipsam pene impietatem, conjecerint; indeque sic exortus fuerit Sadducæismus, qui omnes Apparitiones, omnesque Spiritus, sive Angelos bonos sive Dæmones malos, imò & ipsam Resurrectionem, fundamentum æternæ nostræ Salutis, pernegaverint.

Neque stetit hìc insania, quam δεισιδαιμονία, seu perversus Dæmonum timor, produxerat: verum & in Christianismum illa transitum fecit; eo quod plurimi Judæorum ad Christianismum conversorum sectæ essent Pharisaicæ, plurimique Ethnicorum in hanc Religionem transeuntium ex Platonismo ac Pythagorismo, ejusmodi præjudicia in Christianismum invexerant.

Hujusmodi enim tum Judæi tum Christiani Targunim suis, seu Paraphrasibus, atque Interpretationibus S. Scripturæ (reverâ præjudiciis) huic Scripturæ, dum lucem afferre studebant, tenebras offundere aggressi sunt: suasque eatenus falsas doctrinas in eam intulerunt, atque inde in lectores ejus transfuderunt. Ita ut, sicut in Judæismo ex Pharisæismo Sadducæismus exortus fuerat; sic in Christianismo idem in permultis, imo & ipse Atheismus, prognatus fuerit.

Hinc etenim omnes fere Ethnicorum, sive Barbarorum sive Græcorum, opiniones de Apparitionibus Dæmonum, de Spectris, Ostentis, Portentis, Ominibus, &c. omniumque Divinationum genera (ac pene eodem modo, uti in Ethnicismo, exceptis fere solis Templis Fatidicis) jam ab Ecclesiæ incunabulis, inter Christianas locum sibi occuparunt, ac magis magisque ex talibus initiis, incrementa sua habuerunt: idque in tantam immanitatem excrevit, ut inde homines plurimi subinde exorti fuerint, qui talium tædio (absque ulteriori justo satis criterio ac disquisitione) omnes verè Divinas Apparitiones, omnes Angelos ac Diabolos, imo & ipsum Deum Opt. Max. pro fabellis ac Numinibus confictis habeant, atque adeo in purum putum Atheismum delabantur.

Quæ vero ac qualia Dæmonia, aliaque perabsurda, non soli Talmudici, verum diu ante hos Paraphrastæ seu Targumistæ Judæorum; confinxerint, atque illa suis Sacræ Scripturæ versionibus, Paraphrasibus ac commentariis immiscuerint, ex istis patet, quæ cap. V. & VI. primæ Dissertationis adduxi; uti & ex illis monstris, quæ præter Dæmonia, tum nocturna, tum meridiana, tum alia quoque, in eandem S. Scripturam invexerunt, tam Judæi quam Græci, ac Latini (hos utrosque secuti, præcipue tamen Græcos) Interpretes: qualia fuerunt, & *Onocentau-*

ri

vi & *Sirenes*, & *Striges* & *Lamiæ* & *Fauni* & *Sylvani* & *Satyri* & *Fauni Ficarii*, & *Fatui Sicarii* (ut Dæmonum genus ſub ſicariorum forma apparentium,) & alia Spectra, atque Apparitiones etiam (quæ tamen imprimis in ſcriptis Apocryphis locum habent) quorum omnium ne umbra quidem in textu Authentico apparet. Imo & textui hi Interpretes multa ſuperaddere ſuſtinuerunt; quod uti ex exemplis de Leviathane ac Behemoth atque aliis, liquet, ſic etiam manifeſte ex illo quod de uxore Jobi, in ipſius libro, cap. II. v. 9. habetur, hoc modo: Χρόνου δὲ πολλοῦ προβεβηκότος, εἶπεν αὐτῷ ἡ γυνὴ αὐτοῦ· Μέχει τίνος καρτερήσεις, λέγων ἰδοὺ ἀναμένω χρόνον ἔτι μικρὸν, προσδεχόμενος τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας μου; ἰδοὺ γὰρ ἠφάνισταί σου τὸ μνημόσυνον ἀπὸ τῆς γῆς, υἱοὶ καὶ θυγατέρες ἐμῆς κοιλίας ὠδῖνες, καὶ πόνοι, οὓς εἰς τὸ κενὸν ἐκοπίασα μετὰ μόχθων. σύ τε αὐτὸς ἐν σαπείᾳ σκωλήκων κάθησαι, διανυκτερεύων αἴθριος· Κἀγὼ πλαιῆτις, καὶ λάτρις, τόπον ἐκ τόπου περιερχομένη; καὶ οἰκίαν ἐξ οἰκίας· προσδεχομένη τὸν ἥλιον πότε δύσεται, ἵνα ἀναπαύσωμαι τῶν μόχθων μου, καὶ τῶν ὀδυνῶν αἵ με νῦν συνέχουσιν. ἀλλὰ εἶπόν τι ῥῆμα πρὸς κύριον, καὶ τελεύτα. Ὁ δὲ ἐμβλέψας, εἶπεν αὐτῇ, &c. *Tempore autem multo tranſacto, dixit ei uxor* [quam Targumiſtæ *Dinam* appellatam volunt] *Quouſque ſuſtinebis dicens; Ecce permaneo tempus adhuc parvum exſpectans ſpem ſalutis meæ? Ecce enim deletum eſt memoriale tuum de terrâ; filii & filiæ mei uteri dolores & labores, quos in vacuum laboravi cum ærumnis; ipſe vero in putredine vermium ſedes, pernoctans ſub dio: & ego errans & ancilla, locum &*

ex loco, & domum ex domo circumiens, exspecto solem quando occidet, ut requiescam ab ærumnis & doloribus qui me nunc premunt. Sed dicito aliquod verbum in Dominum, & morere. Ille vero [*eam*] *aspiciens, dixit*, &c.

Ejusmodi fabulas & additamenta in Jobum & alios auctores Sacros intrusas vel assutas fuisse ab Interpretibus Judæis, ac quidem ejus commatis cujus fuere illi qui additamenta illa ad Danielem & Hester commenti sunt, cæteraque Apocrypha Judaica confinxerunt, mihi procul omni dubio est; uti & illas fuisse assumptas a Christianis Hebraicè non callentibus; quibus longe maxima pars Christianorum primis Christianismi seculis constabat; dum interim illi qui ex secta Pharisaica ad Christianam Religionem conversi fuerant, sic quoque suis Judaicis Traditiunculis ac fabellis inhærerent. Ex qualibus præjudiciis, temporum tractu, & plura & majora subsecuta fuerunt.

In Sacra Scriptura, certe, Novi Testamenti crebra quidem mentio fit & *Dæmoniorum*, & *hominum Dæmoniis obsessorum*, &, denique, *Dæmonum* talium *ex obsessorum corporibus ejectorum* per Christum Jesum Servatorem nostrum: de quibus sic nulla mentio in Scriptura veteris Testamenti occurrit.

Verum enim vero hîc cogitandum est, I°. id factum, fuisse, ut ita adimpleretur Effatum illud Divinum (Genes. III. v. 15.) Quod semen mulieris serpen-

pentis caput contereret. Quod post primi hominis (cæterorumque in eo) lapsum, in solatium ac Salutem æternam humani generis promissum fuerat: ac quod visibili modo apparuit in Dæmoniacis, quos ipse Servator noster J. Chr. liberavit, & Apostoli ejus, [Matth. c. X. v. 8. Marc. c. XVI. v. 17.] ac si qui alii fuere, quibus istam donare potestatem libuit Deus Opt. Max. (viris nempe Apostolicis) quamdiu hoc miraculum in Ecclesia sua continuare voluit.

Sicut & II°. hoc factum fuit, quantum ego capere valeo, ut per talia mundo clare ostenderetur, Regnum Dei, & liberationem ab omni potestate Diaboli, jam per Jesum Christum advenisse, Eumque illum fuisse, qui *serpentis caput contereret.* Uti hinc quoque ille, Matth. XII. 28. respondet: *Ecce ejicio Dæmonia*, &c. & Luc. XI. v. 20. *Si in digito Dei ejicio Dæmonia Regnum Dei ad vos jam pervenit.*

III. Scopus (ac simul causa, cur tam multi Dæmoniaci tempore Servatoris nostri essent in Israële) videtur mihi fuisse, ut sic convinceret ille cum Judæos tum Ethnicos, se solum posse expellere Dæmonia; neque ulli præter ipsum, quam quibus illam potestatem jam dederat [Matth. c. X. v. 8. & Marc. c. XVI. v. 17.] aut daturus esset. Multo verò minus id per ipsos Dæmones, eorumve principem: quum [uti ex, Matth. XII. 28. & Luc. XI. v. 20. patet] *nullum Regnum inter se divisum subsistere queat*; nec

 Dia-

Diabolus inde contra ſemetipſum, atque adeo in propriam confuſionem ac ruinam, operetur.

IV. Scopus fuit, uti mihi videtur, ut ſic deſtrueret falſam Superſtitionem atque errorem eorum, qui pene ubique Dæmonia crepabant, eaque ex hominibus, per homines, exorciſmis ejici poſſe jactitabant: cum ii qui vere erant Dæmoniaci, & *Lunatici* ſive *Epileptici*, & *Apoplectici*; uti & illi qui *Catoche* morbo, *paſſionibus Hyſtericis*, aut *Hypochondriacis*, aliiſve morbis *Melancholicis*, æque ac *Maniacis*, laborabant, Dæmoniis obſeſſi vulgo haberentur: atque iſti ita viderent, illa quæ verè *Dæmonia* eſſent, non niſi *per digitum Dei* expelli poſſe; ſimulque ſic confunderet *Sadducæos* omnes *Angelos* & *Spiritus*, ſeu *Dæmonas*, pernegantes. Qui tamen Sadducæi (quod certè notandum eſt) de Chriſto Servatore noſtro nullibi inveniuntur negaſſe illum revera Dæmonia ejeciſſe; eumve ex iſta cauſa pro impoſtore habuiſſe, impoſturamve hìc illi objeciſſe.

Ut autem non omnes Judæos ad doctrinam Evangelicam Salvator noſter J. Chriſtus convertit; ſic nec omnes a præjudiciis liberavit. Manebant enim illi, *qui aures non habebant ad audiendum*, *nec corda ad comprehendendum*, *illa quæ ad æternam* ipſorum liberationem ac ſalutem ſpectabant, quo minus convertebantur, eo magis præjudiciis ſuis & erroribus, ſive Phariſaicis ſive Sadducaicis, adhærentes; ut ſic ſtulti

ad-

adhuc magis (in pœnam ſcilicet incredulitatis) ſtulteſcerent.

Neque aut Phariſæos D. Jeſus magis de nimia δεισιδαιμονίᾳ, quam Sadducæos de contraria opinione, licet vere impia, exſerte incuſavit. Id namque unice ille agebat, ut factis Miraculis manifeſtis, ac *quæ nemo alius efficere poterat, niſi is vere a Deo eſſet*, (uti Nicodemus cordatè fatetur) *illa poteſtate donatus*; vel tandem *Deus ipſe eſſet*: ut, dico, ipſis factis ſic oſtenderet, illos a *Diaboli poteſtate nunc eſſe liberatos*, modò ipſius Evangelium amplecterentur.

Verum enim verò, uti quoque non omnes qui ad fidem Evangelii convertebantur, æque ſapientes ac prudentes erant, magniſque præjudiciis, magniſque erroribus (tam ex Judæiſmo, quam Ethniciſmo Platonico & Pythagorico) hi quidem magis, illi vero minus, obſeſſi manebant; ex iiſque perfacile in hæreſes delabebantur (quod ex ſolis Epiſtolis Paulinis luce clarius videre eſt;) ſic nec ab illis præjudiciis & erroribus, ſat facile ſe liberare valebant: Hincque illa, cum ipſis infixa permanerent, tractu temporum altius altiuſque penetrabant ac quidem maxime, poſtquam Philoſophi Gentilium quaſi de novo ſua dogmata Philoſophica in Chriſtianiſmum intruſerunt. Namque inde δεισιδαιμονία ac *Doctrina Dæmoniorum*, inter Chriſtianos altius exſurrexere, & ſeculorum tractu

tam

tam altas quoque radices egerunt; ut, jam ſeculis tertio, quarto, ac quinto, temporibus ſcilicet, Hieronymi, Auguſtini, aliorumque magnorum in Eccleſia virorum, tum Sulpitius Severus, tum Palladius, tum alii, ita nihil aliud æque, quam Apparitiones Angelorum, (ac potiſſimum quidem Diabolorum) & Dæmoniacos, ſeu Diabolo obſeſſos, confingerent; quaſi opus pene pluſquam quotidianum tunc fuiſſet, expellere Diabolos ac ſic curare obſeſſos.

Interim ex hac δεισιδαιμονία nata quoque fuit iſta opinio (quæ jam Tertulliani, ipſiuſque diſcipuli Cypriani, ætate obtinebat inter plurimos) *omnibus infantibus a prima nativitate adhærere Dæmonium; omneſque hæreticos eſſe rebaptizandos atque exorcizandos; eo quod Diabolo obſeſſi haberentur.* Ita ut inde, quod Chriſti atque Apoſtolorum ætate fuerat donum plane miraculoſum, jam munus fieret Eccleſiaſticum: ut ſic umbra rei veræ (quæ cum Apoſtolis, ſicut & ipſius neceſſitas, defecerat) jam per æmulationem conſervaretur; omninò eodem modo, ut inter Romanos Auguria & Auſpicia, ſic dicis gratia conſervabantur; quamvis nemo prudens amplius crederet iis aliquid Divini, vel aliquid ſuper aut præternaturale, ineſſe.

Hæc prava Superſtitio, ſicut noxia fuit ipſis ſuperſtitioſis, ſic pernoxia fuit & aliis; quod inde quandoque ſæviſſimæ exortæ fuerint perſecutiones

eo-

eorum, qui ab hujusmodi superstitiosis pro Magis ac Sagis habebantur, quibusque pactum aliquod, sive tacitum sive expressum (uti somniabant) cum Diabolo, vel Diabolis, intercedere credebant; quosque adeo, si quid triste & insolitum, aut quod ipsorum captum superabat, accidisset, istorum causas, Magicique criminis reos faciebant; eosque per tale pactum, a Diabolo accepta ea potestate, Diabolos hominibus immittere, sic ut inde obsessi fierent; rursusque, si vellent, ab iis liberare etiam mediante in exorcissimis horum administratione nomini Dei ac J. Christi, putabant.

At quamaxime istud faciat contra rectam rationem, veramque in Deum fidem, ostendit clare Servator noster, Matth. c. XII. v. 25. &c. ubi ita loquitur: Πᾶσα βασιλεία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, ἐρημοῦται· καὶ πᾶσα πόλις καὶ οἰκία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, οὐ σταθήσεται. Καὶ εἰ ὁ Σατανᾶς τὸν Σατανᾶν ἐκβάλλει. πῶς οὖν σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ; &c. Sequitur enim hinc, Diabolum majoris potestatis (qualis Belsebub erat, ut princeps eorum) non expellere Diabolos minori potestate præditos; aut, pro pacto cum potentiori vel impotentiori Dæmone inito, magos ac Sagos majora vel minora posse perpetrare, & in Dæmones imperium quasi exercere.

Verum, undenam prætensum tale pactum originem traxit? Quis illud primum mundo innotescere fecit? I°. Superstitiosi Philosophi; ac quidem tales qua-

 les,

les, in Philopseude, dialogo, a Luciano quam graphicè depinguntur: *quique* (ut Plutarchus, tractatu de Dæmonio Socratis loquitur) *Spectrorum & fabularum superstitionisque plenam philosophiam a Pythagora & Empedocle acceptam, & supra modum debacchatam*, ulterius adornare annisi sunt, hîc certè talium auctores fuerunt.

II. Poëtæ; quorum (quod dolendum sane est) Auctoritate, ut vere historicâ, persæpe nimis incaute Veteres Christiani, hîc maximè quoque in causa fuerunt. Sic enim Homerus, aliique eum secuti, Veteres Poëtæ, umbrarum evocationes confinxerunt: posteriores vero Poëtæ, ne tantum Veteres sequi viderentur, propriisque carere inventis, Deorum quoque Infernorum Evocationes, & in ipsos Magorum imperia, confinxerunt: atque hinc memorati Irenæo ac Tertulliano Catabolici, Oneiropompi, & Paredri, & plures alii hujus farinæ Dæmones, procusi sunt.

Unus hîc sufficit Lucanus; in quo & Dæmonum evocationes, & Pactum de quo multi tam multa & absurdè nugantur, comparent, hoc modo:

Quis labor hîc superis; cantus herbasque sequendi
Spernendique timor? cujus commercia PACTI
Obstrictos habuere Deos? parere necesse est
An juvat? ignotâ tantum pietate merentur?
An tacitis valuere minis? hoc juris in omnes

Est

Est illis Superos? an habent hæc carmina certum
Imperiosa Deum, qui mundum cogere, quidquid
Cogitur, ipse potest?

Hoc *Pactum* quidem, cum aliis, Martinus Delrius (vel Del Rio) pro basi ac fundamento omnis Magicæ operationis habet; & ex Veteribus, Cypriano nempe & Amphilochio, (seu potius scriptis, sub falso ipsorum nomine post multa secula editis) astruere nititur: uti & ex Augustino, ex Gratiani Decretis, & Codice Justiniani. verum tale *Pactum* ibi non memoratur, ac multo minus rationibus aut experientia comprobatur.

Inter posteriorum tamen seculorum Christianos opinio istius prætensi *Pacti* quammaxime obtinuit: unde & illis quos, vel quas, pro Magis aut Sagis habebant, aut haberi volebant, ejusmodi Pactum cum Diabolo vel Diabolis (nam quandoque cum pluribus simul pepigisse perhibebantur) crimini dabant: ac quod maxime dolendum est, tum superstitiosi tum maligni homines (imprimis vera illi quibus quæstus inde & commodo redundabant) hoc vulgari errore ita abusi sunt, ut omni dolo ac crudelitate, in homines eo solum nomine, quamvis nullatenus eo crimine, laborantes invecti, millenos plane innoxios aquis aut flammis, quasi expiatoriis, bonis ac vita privarint.

Religionis Reformatio permultos quidem errores

multosque abusus sustilit : attamen hoc fermentum, quod primum ut Pharisaicum, postea vero ut Monachale orbem Christianum quam maximè infecit, non ita illa sustulit vel infregit, ut non in multorum, etiam Theologorum, animos nimis altos radices egisse, & adhuc agere, videatur.

Ac, quod recte miretur quis, multi viri alias satis eruditi ac prudentes (quasi Deus Opt. Max. jam Angelis bonis aut destitueretur, aut illis uti solitus est, non amplius uteretur) Historias quæ nihil Diabolici, verum Divini potius aliquid vere indicare videntur, ad Diabolos eorumque operationes super- aut præternaturales referunt.

Exemplo sit ista Historia quæ Amstelodomi A°. 1566. nostræ, per Christum, salutis contigit; quamque in Historia sua Reformationis Rev. Gerardus Brantius, ex relationibus Magni istius Satrapæ Muidensis Hoofdii, Laur. Realii & Theodori Perssii Emdani, nobis affert, in hunc modum : *Magna pars puerorum istorum qui in Orphanotrophio alebantur, tam pueri quam puellæ, (ac quidem usque ad numerum 60 vel 70) obsessi Spiritibus malignis, non tantum multimodis & ita magnis vexabantur tormentis, ut inde sanitati restitutis, per totam vitam ipsis aliquid mali remameret : verum etiam veluti feles ascendebant parietes ac tecta; aspectus dabant tam perversos ac Tartareos, ut etiam fortissima pectora perturbarent : lo-*

loquebantur linguis alienis: ac sibilante lingua proferebant mirabilia de rebus, quæ eo ipso temporis momento gerebantur in urbis Concilio: Accidit enim ut aliquis ex hoc puerorum numero diceret cuidam Catharinæ Gerardi, uni ex matribus (sic dictis) Orphanotrophis: Filius tuus Joannes Nicolai profecturus est Hagam; at nihil boni illic peracturus. Post quæ ververba puerum hunc, jam liberatum paulisper, illa secum ducit ad urbis Basilicam, atque eo momento, quo jam Concilium erat diremptum, filius ejus ipsi, adhuc in graduum descensu, occurrit; quem interrogat an Hagam esset profecturus. Ille turbatus id fatetur: ista verò superaddit: hic puer illud dixit, quo audito res indicatur Consulibus, ac, Decreto isto ita detecto, profectio illa Hagam omittitur.

Ac, paucis interjectis, ita pergit:

Realius quoque narrat, ipsos, quantumvis arctè in Paulinorum cœnobio essent conclusi, potuisse tamen clausas effringere januas, ac sic catervatim (10 vel 12. numero) per plateas eos discurrisse; etiam ad domicilium Prætoris Urbani; cui mira exprobrabant: ac quidem, ut multi dicunt, ob crudelem ejus animum in Reformatos. Quin & multa arcana consilia, quæ contra novos (Protestantium) conciones agitabantur, fama est, illos detexisse.

Historiam hanc revera contigisse minime nego. Verum

rum enim vero unde habent hi, prudentes aliàs ac ſinceri Scriptores, hæc Diaboli, in his pueris ſupernaturali modo operantis, opera atque effecta fuiſſe? Ita enim capio hæc verba, *beſet en met boſe Geeſten.* Obſeſſi Spiritibus malignis. Nam ſi hic aliquid ſuper aut præternaturale ſtatuendum, conſiderandum eſt; minime pueros illos, Diabolica quadam malignitate, in homines quoſvis involaſſe, ipſoſve pulſaſſe aut laceraſſe, aliiſve maniacorum furoribus incenſos ulla mala perpetraſſe, dum ipſi tam dira paterentur. Sed, ex adverſo, *Mirabilia multa, de rebus præſentibus & plane occultis, manifeſtaſſe: ac quidem talia, quæ Proteſtantibus*, qui tunc premebantur ſummis anguſtiis, *utilia poſſent eſſe ac ſalutaria*, contra perſecutores, qui omni aſtu Diabolico & crudelitate ipſos diſpergere ac diſperdere conabantur.

Itane vero (poſito hîc Diabolum hujus Tragœdiæ actorem fuiſſe) Spiritus ille tunc tantus Proteſtantium patronus, ipſorumque Religionis ita amicus erat, ut contra ſemetipſum, ſive in Regni ſui deſtructionem, ipſorum ſaluti, & quidem his modis, conſultum vellet? indicaretque ita quæ in damnum, imo & exitium, ipſorum occulte agitata decernebantur?

Pietati, certe, ac rectæ rationi, ipſique S. Scripturæ, malorumque iſtorum temporum ſtatui, longe magis convenit, talia nos providentiæ Divinæ Ma-

Majeſtatis attribuere. ut quæ in illis rerum anguſtiis, per talia, ut ſibi caverent, piis ac probis Reformatæ vitæ ac Doctrinæ hominibus auxilio eſſe voluit. Et tamen hìc, a tantis viris, non *Deus* (quod in proverbio eſt) ſed Diabolus e machina advocatur.

Ex ejuſmodi ſane exemplis conjecturam quis facere queat, quam nimis facile etiam Veteres Chriſtiani (præſertim illi qui iſtis temporibus ipſi non vixerunt; verum ex aliis talia haurire debuerunt) fidem adhibuerint narratiunculis, quæ de Simonis *Magi* Diabolicis artibus, Diabolicoque volatu in aëra, ſimilibuſque aliis, confictæ fuerant.

Dementabat quidem ille, ante Philippi ac Petri, adventum, populum Samaritanum Præſtigiis ſuis Magicis; ac de ſemetipſo jactitabat εἶναι τινα ἑαυτὸν μέγαν, *ſe magnum ac potentem eſſe virum*: atque ita quidem, ut Samaritani, videntes ipſius Præſtigias circulatorias (qualibus utebantur quoque procul dubio, *Filii Scevæ*, de quibus plura dico pag. 520. hujus operis) ipſum dicerent eſſe τὴν δύναμιν Θεοῦ τὴν μεγάλην *potentiam Dei magnam*: quod, ut ipſi putabant, ille talia per Dei potentiam ſingularem perpetraret.

At quam parum magna ac mirabilia præſtiterit ille (quem tamen Veteres non tantum per aëra, Diabolorum ope, volitaſſe dicunt; verum & ſe & alios in variorum animalium ſpecies, quin & ipſum aurum, tranſformaſſe; aliis morbos difficillimos, imò & Dæmo-

nas

nas immiſiſſe; miraculiſque edendis cum Apoſtolo Petro diuturnum, ac quotidianum quaſi, ſatis certamen iniiſſe: præter plurima alia, quæ de ipſo conficta fuere,) quam parum magna, dico, ac miraculoſa is præſtiterit, patet exinde; quod quamprimum Philippus Evangeliſta Samariam adveniret, & Evangelium Regni Dei ibi prædicaret, hi ipſi *Samaritani*, prædicationi Philippi fidem habuerint; & Simonem hunc, ita magnum ac potentem, deſererent: *quoniam*, [NB] *audiebant ac videbant Signa illa, quæ Philippus faciebat.* Iſta autem erant Expulſiones Dæmonum, Sanationes paralyticorum & claudorum, &c. Quæ ac qualia ſi is Simon præſtitiſſet [quæ tamen Pſeudo-Clemens, Cedrenus, Nicephorus aliique de ipſo commenti ſunt] non ita eum populus Samaritanus ſubito, ob Philippum, deſeruiſſet. Quin & ipſe Simon credebat (ſeu potius *credere* ſe ſimulabat, uti ex verſu 21. liquet) *Evangelio*, & ut baptizaretur curabat: atque ita baptizatus Philippo Evangeliſtæ perpetuo adhærebat; ac videns [θεωρῶν τε σημεῖα καὶ δυνάμεις μεγάλας γινομένας, ἐξίστατο] *ſigna ac Virtutes magnas edi, obſtupeſiebat*; illa magna, ſcilicet, poteſtas Dei Simon! Ac quandoquidem ipſe putaret has virtutes ac ſigna, per artem quandam Magicam ac Præſtigiatoriam horum Apoſtolorum ſibi adhucdum incognitam perpetrari; atque imprimis iſtam donationem Spiritus Sancti; ad-

hæ-

hærebat is primum Philippo ac postea quoque Apostolis (Petro ac Joanni) non ex pio quodam ac religioso affectu (uti ex Petri verbis patet) verum procul omni dubio, ut sagacitate quadam illam addisceret. Quod cum plane non pro voto ipsi succederet, pecuniam Apostolis offerebat; ut, ea inducti, istam artem, cujus addiscendæ tam cupidus erat, docerent.

Si igitur ejusmodi virtutes edere valuisset, quales ab ipso editas fuisse memorati modo scriptores perhibent; (ac quidem Diabolorum ope aut adminiculo; dum ipse iis, hoc aut illud ut facerent, imperaret) non video, cur 70. Discipuli a Salvatore nostro emissi, post reditum, tanta admiratione, tantoque gaudio elati, exclamassent: Κύριε, καὶ τὰ δαιμόνια ὑποτάσσεται ἡμῖν. *Domine, etiam Dæmonia subjiciuntur nobis.* quum sic pares ipsis fuissent isti Magi, qui per Diaboli virtutem Diabolos immittere, expellere, & alia miracula, vel mira (quasi hæc eadem non essent, quatenus ambo super-aut præternaturalia sunt,) perhibebantur.

Nec quicquam erat, quod movere potuisset Samaritanos (quum omnia Judæorum ipsis & aliàs suspecta essent) ut a Simone ad Philippum & Apostolos deflecterent, nisi ipsa Euangelii prædicatio. Nunc, vero, ex adverso, patet, *ipsos* unanimiter (ὁμοθυμαδὸν) *Philippo adhæsisse, quia audiebant ac videbant signa illa, quæ faciebat.*

Si igitur nunc quis rogitet, quorſum hæc omnia tendant, quæ ſcribo; quemve ſcopum hîc mihi propoſuerim: reſpondeo. I. Iſtud ut efficiam, vel adjumento ſaltem ſim, pro mea poteſtate, ut Sacræ Scripturæ textui Hebraico ſuus conſtet honos; majorque ita illi tribuatur Auctoritas, quam ulli, qualicunque demum, verſioni. II. Ne nimis præcipitanter, aut temere, ex verſionibus iſtis, quæ & *Sirenes*, & *Onocentauros*, aliaque plura monſtra, præter *Diabolos nocturnos* & *meridianos*, in deſertis Idumææ & Babyloniæ ludentes, ſibique invicem acclamantes, ac pene neſcio quoſnam alios, in Sacram Scripturam inferunt, illamque per talia aliquatenus profanant; ne, dico, ex talibus judicemus de verbis, de mente, aut ſenſu, Sacræ Scripturæ; ac *quaſi* ex ipſa Sacra Scriptura, ac vero verbo Dei, ubi de Dæmoniis ſeu Diabolis quæſtio eſt. III. Ne fabuloſis, ac ridiculis, quandoque, commentis tam Scriptorum Apocryphorum (inter quæ certum mihi eſt, librum quartum Eſdræ, poſt Chriſtum natum fuiſſe conſcriptum; quod tum ex cap. VII. tum ex aliis patet) quam Judæorum Targumiſtarum; multo minus adhuc Talmudiſtarum, circa Dæmonas, ſeu *Doctrinam Dæmoniorum* hîc aliquid tribuamus: ſed illorum verſiones & interpretamenta habeamus ſemper ſuſpecta; atque illa non, niſi caute ac circumſpecte, beneque examinata amplectamur. Ex hiſce enim præcipue

(niſi

(nisi quod & illis hîc Interpretes Græci adjungendi aliquatenus sint) omne malum circa talia in Christianorum Versionibus exortum fuit: hincque Superstitiones in Sacram Scripturam, quamvis non in ipsum Textum Authenticum (quod Deus Opt. Max. perbenigne prohibuit) irrepserunt. IV. Ne denique ex Ethnicorum Philosophorum, horumque Sectatorum, absurdissimis opinionibus judicium feramus de Angelis ac Dæmoniis: atque istis imbuti Sacram, circa talia, interpretemur Scripturam; ac multo minus istas Gentilium Poëtarum & Mythologorum fabellas, quas de Miraculis, Ominibus, Ostentis, similibusqne aliis, confictas Dîs suis vel Dæmonibus, vel Heroïbus adscribebant; quasque ipsi Gentiles pro mendacissimis ac ridiculis figmentis habebant, ut verissimas Historias amplexi, Diabolo attribuamus facta, vel miracula, vel mira, quæ supra naturam sunt [si cui frivola ista distinctio inter miracula & mira placere potest] & quæ nullibi unquam in Mundo contigerunt; atque ex illis argumenta pro Diaboli potestate, ejusque præter-aut Supernaturalibus Præstigiis, aliisque similibus, desumanus.

Quod, dum de Diis Gentilium loquor, minime omittere potui, est; pene omnes, inter Christianos, Poëtas, imo & plurimos Theologos, tam secure suis Poëmatibus (sive sint illa Epithalamia, sive Epicedia, sive Panegyrica, sive cujuscunque demum Ar-

Si igitur nunc quis rogitet, quorſum hæc omnia tendant, quæ ſcribo; quemve ſcopum hìc mihi propoſuerim: reſpondeo. I. Iſtud ut efficiam, vel adjumento ſaltem ſim, pro mea poteſtate, ut Sacræ Scripturæ textui Hebraico ſuus conſtet honos; majorque ita illi tribuatur Auctoritas, quam ulli, quaſicunque demum, verſioni. II. Ne nimis præcipitanter, aut temere, ex verſionibus iſtis, quæ & *Sirenes*, & *Onocentauros*, aliaque plura monſtra, præter *Diabolos nocturnos* & *meridianos*, in deſertis Idumææ & Babyloniæ ludentes, ſibique invicem acclamantes, ac pene neſcio quoſnam alios, in Sacram Scripturam inferunt, illamque per talia aliquatenus profanant; ne, dico, ex talibus judicemus de verbis, de mente, aut ſenſu, Sacræ Scripturæ; ac *quaſi* ex ipſa Sacra Scriptura, ac vero verbo Dei, ubi de Dæmoniis ſeu Diabolis quæſtio eſt. III. Ne fabuloſis, ac ridiculis, quandoque, commentis tam Scriptorum Apocryphorum (inter quæ certum mihi eſt, librum quartum Eſdræ, poſt Chriſtum natum fuiſſe conſcriptum; quod tum ex cap. VII. tum ex aliis patet) quam Judæorum Targumiſtarum; multo minus adhuc Talmudiſtarum, circa Dæmonas, ſeu *Doctrinam Dæmoniorum* hìc aliquid tribuamus: ſed illorum verſiones & interpretamenta habeamus ſemper ſuſpecta; atque illa non, niſi caute ac circumſpecte, beneque examinata amplectamur. Ex hiſce enim præcipue

(niſi

(nisi quod & illis hîc Interpretes Græci adjungendi aliquatenus sint) omne malum circa talia in Christianorum Versionibus exortum fuit: hincque Superstitiones in Sacram Scripturam, quamvis non in ipsum Textum Authenticum (quod Deus Opt. Max. perbenigne prohibuit) irrepserunt. IV. Ne denique ex Ethnicorum Philosophorum, horumque Sectatorum, absurdissimis opinionibus judicium feramus de Angelis ac Dæmoniis: atque istis imbuti Sacram, circa talia, interpretemur Scripturam; ac multo minus istas Gentilium Poëtarum & Mythologorum fabellas, quas de Miraculis, Ominibus, Ostentis, similibusqne aliis, confictas Dîs suis vel Dæmonibus, vel Heroïbus adscribebant; quasque ipsi Gentiles pro mendacissimis ac ridiculis figmentis habebant, ut verissimas Historias amplexi, Diabolo attribuamus facta, vel miracula, vel mira, quæ supra naturam sunt [si cui frivola ista distinctio inter miracula & mira placere potest] & quæ nullibi unquam in Mundo contigerunt; atque ex illis argumenta pro Diaboli potestate, ejusque præter-aut Supernaturalibus Præstigiis, aliisque similibus, desumanus.

Quod, dum de Diis Gentilium loquor, minime omittere potui, est; pene omnes, inter Christianos, Poëtas, imo & plurimos Theologos, tam secure suis Poëmatibus (sive sint illa Epithalamia, sive Epicedia, sive Panegyrica, sive cujuscunque demum Ar-

 gu-

gumenti) inserere & fabellas & ritus & cæremonias Gentilium; quin & ipsos illos Deos cum Cœlestes tum Infernales, *Jovem*, *Junonem*, *Plutonem*, *Proserpinam*, *Furias*, *& Diras* & *Satyros*, & *Priapos*, & *Najades* & *Dryades*, & nescio pene, quamnam ac quantam, præter hosce, Ethnicorum Numinum turbam: nec solum in ludicris id agere, verum & in poematibus quam seriis.

Sanazarius enim ita ipsum Davidem (quem inter cæteros Heroës in inferno Gentilium locat) adducit, inter alia, canentem:

Nunc autem sat Tartarei si claustra tyranni
Effringat Rex ille: & caligantia pandat
Atria: diffugiant immisso lumine diræ
Eumenidum facies jactis in terga colubris.
Quos atro vix in limo Phlegetontis adustum
Accipiat nemus, & fumanti condat in ulva.
Tum variæ pestes, & monstra horrentia Ditis
Ima petant: trepident Briarëia turba, Cerastæ,
Semiferumque genus Centauri & Gorgones atræ,
Scyllæque, Sphingesque, ardentisque ora Chimæræ,
Atque Hydræ atque Canes, & terribiles Harpyæ.
Ipse catenato fessus per Tartara collo
Ducetur Pluton: tristi quem murmure circum
Inferni fractis mærebunt cornibus amnes.

Sic Georgius Buchananus in Joanne Baptista (Tragœdia)

dia) Judæum loquentem inducit; ac quidem Chorum quoque, qui jam modo cum Joanne locutus fuerat:

. . . . . At male conscios
Manes exagitant sulphureo in lacu
Crinitæ colubris Eumenides nigris
Et jejuna avidi guttura Cerberi,
Et nunquam saturi copia Tantali.

ut ita minus miremur Malchum Pharisæum ac Rabbinum dicere:

Noctem Diana Phæbus intendet diem.
Et inquieta lustrat, Orbem lampade

Quæ tamen figmenta, ut (optime notat elegantissimus Balzacius) gentili Senecæ (in Troade) sunt,

Rumores vacui, verbaque inania,
Et par sollicito fabula somnio.

Qui Balzacius quoque ad hos Buchanani versus quam optime hæc sequentia notat: *N'est ce pas une belle chose, qu'un Juif dogmatise en une religion estrangere, & qu'immediatement apres la longe conconference qu'il a euë avec S. Jean, il, vienne debiter d'aussi mavais contes sur le Theatre, que s'il s'estoit entretenu avec un prestre de Grece? Icy Buchanan a esté tenté par ces mechantes Eumenides dont il parle. Presque tous nos Modernes ont fait un faux pas dans cet endroit. Ils sont presque tous tombés dans ce Styx, & dans cét Acheron, & ont esté cher-*

cher, jusqu'en l'autre Monde, des occasions de faire des fautes.

At Daniel Heynſius, qui *Nonnum*, ob nonnulla non ſatis commode dicta (in Paraphraſi ſua,) non veretur *Inſolentiæ*, *audaciæ*, *temeritatis*, *hæreticæ locutionis*, *imò* & *Impietatis reum peragere* : quique de Onomacriti Hymnis, in Ariſtarcho ſuo, ait : *Eſt enim totus ille liber vera Sathanæ ipſius Liturgia:* is, dico, quaſi quod in Gentili peccatum, in Chriſtiano virtus eſſet, Pandoram Deam (quam in notis ad Heſiodum, cap. XI. Τύχην ſeu Fortunam vocat) non Adoleſcens tantum, verum & jam ſenex, ita laudat:

Ἀθανάτων βασίλειαν ἀείδομεν ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν
Νόσφιν ἀεὶ κρατέουσαν, ἐπεὶ κατ' ἀπείρονα γαῖαν
Πλαζόμενοι λιπόμεσθα θεῶν, ἀεσίφρονι θυμῷ, &c.

ac poſt perplurima pluſquam Gentilia ita finit:

Χαῖρε μέγα κρείουσα θεῶν κρείουσα θεαινῶν
Ὑστάτιον μοι χαῖρε, καὶ ἱμερόεντας ἀοιδοὺς,
Μουσάων φίλα τέκνα, κακὴν ἀπὸ λίμον ἄγουσα
Ἧι θέμις ἐστὶν ἄνασσα, τύχης ἐπίβησον ἀρίστης.

Hic fuerit luſus Poëticus : at certe non quod ſequitur jam, ex Herode ipſius Infanticida; ubi *Chorum vatum & Piorum* inducit canentem:

Quin Phœbe, dubiis quæ vehitur rotis,

Tan-

Tantum non proprio lumine discolor,
Plenis tota licet fulserit ignibus,
Fraternis abiit victa caloribus,
Et fratri solitas exhibuit vices.
Titan, siderea purpureus coma,
Armatum radiis exeruit caput
Et secum vacuo vidit in æthere
Sydus stare novum. Vidit & horruit,
Ac pene attonitum destituit diem.

Talia quippe ibi canunt ii quibus, ac quidem ex Divinæ Legis mandato, & Dii, & Deorum Gentilium nomina abominationi erant. Quinimò & ipse Regius Psalmista ipsi (libro IV.) De Contemptu Mortis) ita,

. . . . *tristis,*
Visurus Phlegethonta negat, manesque profundos,
Attonitus, lætusque animi, certusque salutis
Acturus; quamquam medio deprensus Averno.

Sint suo periculo gentiles, quantumcunque voluerint, Poëtæ: sed ut Dei veri veros Prophetas in Ethnicos convertant, id sanè non ita tolerandum. In Herode, plusquam semipagano id qualicunque modo toleretur: ast Mariamnen Judæam ab Inferis sponte redire; quin & Eumenides ac Furias (quibus ipsa ex tali Hypothesi necessario, ac quidem secundum hunc

no-

nostri Poëtam, subjecta erat) eam inde evocare, quomodo hoc in Tragœdia Judaica tolerari queat non capio: verum exclamare cogor: *Da Quintiliane colorem!*

At nec hîc subsistunt nostri Poëtæ (prætensi Christiani;) nec sufficit ipsis Gentilium sic colere Deos: verum & novi ipsis confingendi sunt. Hinc namque illud (lib. I. de Contemptu Mortis)

. . . *Quo Mosa pater pulcherrimus errat*

atque alibi, in Elegiis:

Quamvis Liza pater, quamvis hic rector aquarum
Scaldis, & inde tuam Livia tingit humum.

Ac ne quid minus, quam Græci Latinive Gentilium Poëtæ insanire videantur, ejusmodi Numina, quorum ipsi auctores sunt, Invocatione supplice dignantur, dum canunt (ex gr. ad urbem Gandavum)

. . . . *Nunc Diva fave. Tua mœnia rursus*
Hospes ovans subeo; tu modo Diva fave.

Uti & hæc:

Lisa pater, comitesque, & vos ignoscite Nymphæ,
Indigetes patriæ Diique Deæque meæ.

Dum talia lego non possum non meminisse istud Esaiæ (cap. II v.) *Opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.* Interim illa

nemo

nemo carpit publice. Poëtica quippe ſunt: ac quis ita literarum rudis, ut neſciat illud Horatianum,

> . . . . . *Pictoribus atque Poëtis*
> *Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.*

Nimirum ſic, licentia quadam Poëtica, *quam ſibi petunt atque dant viciſſim*, ipſis licet impie agere aut loqui; modo id fiat in quoviſcunque Carmine ſive ludicro, ſive ſerio; & *verſus* ſuos ſæpe *inopes rerum, nugaſque canoras*, Gentilium ridiculis Numinibus adornare: ut ita in uno eodemve Carmine iſta Gentilium Numina, cum Vero noſtro Deo, cum Filio ejus, Chriſto ac Salvatore noſtro unico, ac cum Spiritu Sancto, horrendum dictu, (quinimo & cogitatu) ſimul juncta compareant; ac pari, quaſi, paſſu ambulent. Quin & ita quandoque, ut invocatio ad Numina Gentilia dirigatur: dum interim bona ac fauſta omnia a Vero Deo expetuntur.

An non hoc eſt *Chriſtum miſcere cum Belial*; cum, tamen, teſtante Apoſtolo Paulo, iſtorum inter ſe nulla communio ſit? ac non vident belli iſti homines, tam ex ipſorum æque (quatenus Chriſtiani ſunt, aut videri volunt) quam ex communi Theologorum Hypotheſi, *Dii Gentium revera ſint Dæmonia*; i. e. *Diaboli*; ſe ita *ipſos* invocare *Diabolos*? *Spirituſque immundos tales*, quales Salvator noſter Jeſus Chriſtus ex vere obſeſſorum corporibus ejecit? Dei, nempe,

& humani generis, hostes infensissimos atque in æternum ab ipso damnatos?

Quin si maxime sint *Elilim & Havalim* seu *Vanitates* ac *Nihil*; ac *quorum factura* (uti ipsa loquitur S. Scriptura) *ex nihilo est*; atque adeo sint vafrorum hominum (Sacerdotum ac Pseudoprophetarum) commenta ac figmenta; comprehendere certe deberent per talium mere confictarum Divinitatum consortia se Majestati Dei, ejusque veræ Religioni quammaxime derogare; dum ipsum sic cum ejusmodi Numinibus sæpe summè ridiculis, sæpe summe pudendis, sæpe & summe horrendis, quasi in ordinem cogunt. Non cogitare quoque videntur hujusmodi homines, sibi se melius sic applicare posse ista Horatiana:

Humano capite cervicem pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere plumas
Undique collatis membris: ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne.

Ac si velint sibi arrogare illam *quidlibet audendi potestatem*, etiam illa quæ ibi sequuntur esse observanda:

. . . *Non ut placidis coeant immitia, non ut*
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Verum hæc & his similia relinquunt Gentili Horatio

ctio probi noſtri ac pii Poëtæ, dum interim Cœlum Tartaro miſcent, ut videantur ceciniſſe, *grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.*

Quantumvis autem hæc atque ſimilia habeantur a plurima Poëtarum parte (& ab aliis Poëtis, iſtis minimè ſapientioribus,) pro licitis ingeniorum luſibus; vereor tamen, ne Deus Opt. Max. talia habiturus ſit non pro rebus, vel dictis, adiaphoris, ſed ſed pro vera Profanatione veri Nominis Divini, atque impietate: quandoquidem peccata aliorum exemplo commiſſa, non habant excuſationem apud Deum, qui tam maximè Zelotypus ac Vindex proprii nominis ſui atque honoris eſt.

Apologiam hic nullam ſcribo, contra iſtos qui, aut ex errore aut ex malignitate mihi horrendas, circa Doctrinam Dæmoniorum, aliave ad verum Religionem pertinentia, adſcribunt opiniones. Omnes enim æqui Lectores de me ex ſcriptis meis judicare poſſunt: dum ſecurus interim (ac fretus mea bona conſcientia) de ceteris conſolari me lubens volo hoc verſiculo:

Pro captu Lectoris habent ſua fata libelli.

Me autem minime negare *Dæmonas malos* (in communiori ſenſu acceptos,) ex illis, quæ jam ſatis clare, ut exiſtimo, patet. Verum enim verò, quid, aut quantum, poteſtatis illi habeant ex propria ſua natura, quatenus Dæmones mali vel Diaboli ſunt; quid-

 ve

ve Deus Opt. Max. ipſis quandoque permittat (ac quidem poſtquam D. noſter Servator Jeſus Chriſtus *Serpentis caput contrivit*,) fateor me non ſatis penetrare. Primos noſtros parentes per Diabolum ſeductos, ac, quantum in ipſius poteſtate eſſet, in æternum exitium pertractos fuiſſe, uti & in illis cunctos ipſorum poſteros, ſicut firmiter credo, ſic quoque modum non clare comprehendo; ſecurus interim de modo, aut circumſtantiis, cum conſtet de facto: quod certe circa alia, in S. Scriptura aut pro parte ſaltem, aut obſcure admodum memorata (atque imprimis circa miracula,) obſervandum eſt.

Circa talia igitur ἐπέχειν malo, quam nimis temere agere contra monitum iſtud Apoſtoli, quod me docet, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν· ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Cum præterea Miraculorum nec ratio nec cauſa (niſi ipſe Deus) dari queant; neque ab ullo poſtulari debeant.

Si interim aliqui judicent me nimium, ſic ſcribendo, a communi via deflexiſſe, audiant illi me reſpondentem per iſta verba, quæ, pene in ſimili caſu prudenter (ſi quid bene judico) protulit Rev. & Eruditiſſimus Petrus Gaſſendus: *Pendere enim res debet. non profecto ex numero, aut claritate opinantium: ſed ex momentis teſtimoniorum, rationumque ex quibus valeat* (*ſepoſitis vulgaribus præjudiciis*) *dijudicari. Sane vero, ſi ita bene ageretur cum rebus humanis* [addo etiam, cum rebus *Theologicis*] *ut ea*

quæ

quæ optima ſunt, probarentur a plurimis, ipſe me quoque eò devoverem, quo plurimi confluerent: ſed nempe præeuntium exemplo, potius quam ratione, maxima pars abripitur; & variſſimi ſemper ſunt, qui pedem ſiſtant, ut expendant, an quo itur pergendum ſit.

Quæ poſtremo hîc addenda duco, ſunt 1. Multa quidem in hoc opere comparere (præcipue in Diſſertatione tertia) quæ jam alibi (nempe in Diſſertatione ſecunda de Oraculis Ethnicorum) a me allata fuerant: ſed quæ talis naturæ ſunt, ut commode omitti hîc non potuerint. Itaque prodeunt illa huc iterum, verum aliis ad rem facientibus concomitata. 2. Non omnia hîc ita, ut quidem opportuerat, ſuo ordine ac loco, prodire. Verum iſtud mihi condonabunt illi, qui norunt quam difficile ſit ubique juſtum ordinem methodumque ſervare ſcriptoribus pene perpetuo per alia, atque imprimis per ægrotorum viſitationes, diſtractis. 3. Multa fuiſſe in hoc opere omiſſa; multa quoque commiſſa, circa vitia Typographica, ſimileſque facile (per Auctoris abſentiam, aliaque impedimenta) irrepentes errores: quos ex erratorum indice ut corrigere ſubinde dignentur, Lectores meos amice rogo.

Accedunt hinc operi Epiſtolæ meæ ſcriptæ ad Celeberrimum virum D. Stephanum Morinum, ſimul cum eruditiſſimis ipſius Reſponſoriis: in quibus diſ-

quiritur, quando primum Pentateuchus Hebraicus ad Cuthæos, ſeu novos Samaritas pervenerit; an, ſcilicet, ante Eſdræ ætatem; an vero diu poſt Eſdram, ac Alexandri Magni tempore, illum per Manaſſem, ad ipſos transfugam, acceperint.

Hæc ſunt igitur illa, quæ in anteceſſum tibi, vir Celeberrime; at non tam in tui, quam in aliorum, gratiam, dicere volui: nec amplius quid addendum cenſeo, quam ut Deus Opt. Maximus ardorem tuum ac Zelum erga humaniores Literas ac Literatores indies adaugeat; teque, ut ulterius nos erudititiſſimis tuis laboribus beare non deſiſtas, diu ſoſpitem ac ſanum conſervet.

Summaria Capitum
DISSERTATIONIS
De
INITIO AC PROGRESSU
IDOLOLATRIÆ
AC
SUPERSTITIONUM.

CAP. I.

DEum Opt. Max. ſolum eſſe Omnipotentem, ſolum facere mirabilia quæ ſupra naturam ſunt i. e. Miracula: eundem quoque eſſe proprii ſui Honoris ac Gloriæ ſumme Zelotypum; neque ulli concedere creaturæ, ut is ſibi ab ipſa præripiatur: adeoque nec Ethnicorum Deos præter aut ſupernaturale pepetrare; aut aliquid poſſe, quo vel jujuvent, vel noceant, vel futuri aliquid prædicant, vel hiſce ſimile quid perficiant.

CAP. II.

Initium Idololatriæ jam ante Deluvium Noachicum ab Exercitu Cœli, Sole nempe, Luna cæteriſque ſignis cœleſtibus; hinc & ab Animalium cultu; atque hinc quoque ab Heroïbus demortuis, ſive hominibus benefactoribus in Heroum, Dæmonum ac Deorum numerum relatis; unde cultus Baalim, &c. *Quinam vel quales fuerint iſti* Baalim; *quinam ac quales* Aſtheroth, *atque unde primum hi Dii, (non Deæ) oriundi: denique de* Aſcheroth, Aſcherim *&* Aſchurim, &c. pag. 12.

CAP.

CAP. III.

De Origine ac progressu Doctrinæ Dæmoniorum ex Maimonide, ex Græcis (præcipue Platonicis) ac Latinis, cum Ethnicis tum Christianis, Scriptoribus. Ortus ipsius in Chaldæa; unde transiit in Ægyptum, in Persiam porrò atque Asiam Minorem, in Græciam denique & Italiam, aliasque tam Occidentales quam Orientales mundi plagas. Unde, ac per quales homines, obsessi Dæmoniis, morbive Dæmoniis attributi, Græcorum vulgo innotuerint. pag. 28.

CAP. IV.

Progressus Idololatriæ & Doctrinæ Dæmoniorum ex defectu Codicum Legis atque Institutionis publicæ, propter continuos lapsus in Idololatriam. Quando Lex primum instaurata, rursus deperdita ac denuò restaurata fuerit. Origo cum Lectionum Legalium, *tum* Haphtharoth. *De versione, Græca Pentateuchi. Quando primum Samaritani Pentateuchum fuerint adepti. De prætensis Septuaginta Interpretibus. De Apocryphis ipsorumque ortu. De Deuterosibus sive* Mishna. *De Pharisæorum Traditiuuculis. De* Caraim. pag. 64.

CAP. V.

De locis S. Scripturæ Veteris Testamenti, ubi Dæmonum malorum (uti vulgo existimatur) fit mentio. De Sehirim (Seïrim) sive Hircis (ut & de Vitulis) & an hi fuerint Mali Spiritus vel Diaboli. De Targumistarum, Talmudistarum ac Rabbinorum aliorum, S. Scripturæ Interpretamentis: ex quibus & Diaboli in Veteris Testamenti libros irrepserunt. Denique & de Schedim; *ac quales isti fuerint (non Diaboli sed) Dii.* pag. 94.

CAP.

CAP. VI.

Judæorum modo nominatorum commenta de Diabolis*; de* Lilith, *aliisque ejusdem commatis figmentis :* de Dæmonibus, *seu* Diabolis masculini sexus *ab* Adamo, *ac* fœminini *ab* Eva *procreatis. De* Diabolis *secundo Creationis die creatis : de* Sammaële, Asmodæo, *&c. De* Diabolis *a* Nahema *sorore Tubalcain procreatis. De* Angelis *e cælo ad filias hominum delapsis, ac* Diabolis *hinc enatis. De Interpretationibus Græcis, tam ratione locorum* Esaiæ XIII. & XXXIV. *quam quoque aliorum; collatis interim & aliis Interpretibus: qua occasione etiam de* Behemoth *mille montes depascente, ac* Leviathane *tam ex Græca Jobi versione, quam ex Apocryphis &c. agitur.* pag. 111.

CAP. VII.

Pergitur ulterius ad Scripta Apocrypha; in quibus & Lemures *&* Spectra *(sicut apud Targumistas) &* Angeli, *ipsorumque Apparitiones in præliis apparent. Qua occasione quoque de Flavio Josepho semipagano, deque ipsius mala fide, &c. agitur; ut, de Signis miraculosis exitium urbis Hierosolymæ antecedentibus; de* Bubone *Agrippæ primò imperium, at postea mortem, prænuntiante; de* Oraculis in Templo Hierosolymitano inventis *(qua occasione Tacitus cum Josepho comparatur;) de Salomonis Exorcismis contra Dæmones; de Ventriloqua in Endor; de fluvio Sabbatico; de Magis Pharaonis; de Davide per carmiua Dæmonum expulsore; de Jonæ pisce, ac Jone prædictionibus; de malignis hujus Josephi distorsionibus Legis in gratiam Ethnicorum; denique de assumptione Mosis, &c.* pag. 134.

CAP. VIII.

De Igne Sacro *per* LXX. *annos sub terris conservato, &c. de* Lemuribus *ac* Spectris *ex Macchab: libro secundo, &c. hinc ulterior progressus ad librum Sapientiæ, ac Phantasmata & μορμολυκεῖα in eo inventa: post quæ Tobiæ Historia perpenditur: De textibus ac versionibus hujus libri perplurimum inter se discrepantibus: Francisci Junii de hac fabula judicium: de* Asmodæo *Saræ Zelotypo amatore:* de Angelo *Tobiam artes Magicas docente, ad fugiendos malos Dæmonas:* De Dæmoniis *in Ægypto habitantibus; de pisce ab hoc Tobia capto; de corde ejus ac felle, &c.* pag. 149.

CAP. IX.

De Angelis bonis ac Geniis a Judæis præter, aut extra, S. Scripturam confictis: de Angelis Tutelaribus seu custodibus: ubi & de Angelo Petri, aliisque, uti & de cultu Angelorum inter Judæos (Pharisæos, nempe, & Essæos) ac multos primitivæ Ecclesiæ Christianos, agitur. pag. 167.

CAP. X.

Epilogus hujus primæ Dissertationis; in quo ulterius ostenditur, unde, ac quibus de causis, quibusque modis, Doctrina vulgaris de Dæmonibus ex Chaldæismo, Judæismo, atque Ethnicismo ad Christianismum transitum fecerit. pag, 177.

Summaria Capitum Dissertationis de Vera ac Falsa Prophetia, sub Veteri ac Novo Testamento.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

VEram Prophetiam semper in Prophetis non aliter unquam fuisse quam ex Revelatione, inspiratione ac mandato (manifestandi illam) Divino, tum ex S. Scriptura, tum ex Maimonide, ostensum. Media per quæ, fuisse Visiones & Somnia &c. Munus Prophetarum, admonitio, adhortatio, dehortatio, adeoque & promissa ac minæ; hinc & prædictiones futurorum; imo & quandoque revelationes occultorum: Præter quæ & in primo Christianismo locum habuere Puritatis circa Doctrinas Conservatio; Probatio spirituum, an ex Deo essent; adeoque & Examen quis verè Propheta, quis non Propheta, quis Pseudopropheta. pag. 187

CAP. II.

Ulterior jam dictorum probatio; ubi de Saphan, Jeduthin aliisque Prophetis eorumque discipulis, seu filiis Prophetarum, disseritur. De Prophetis, denique, sub Novo Testamento. pag. 196

CAP. III.

De Prophetia & Prophetis quorum mentio fit 1. *Epist. ad*

Corinthios cap. XIV. *ac quænam ex isto capite (uti & XII.) circa res ac personas consideranda veniunt.* pag. 201

CAP. IV.

De Origine secundæ speciei Prophetiæ, quæ in sola pia [absque extraordinaria Revelatione] S. Sanctæ Scripturæ interpretatione (secundum plurimos) consistit; quibusque auctoribus, quibusque occasionibus, ac quibus denique temporibus illa exorta fuerit. pag. 217

Summaria Capitum Dissertationis de Falsis Prophetis ac Falsa Prophetia.

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

PSeudoprophetarum Falsas Prophetias nullis adscribi Diabolis vel Diabolo; sed ipsorum Pseudoprophetarum Vecordiæ, Superbiæ, Malignitati ac Mendaciis. De Tentationibus Divinis, seu quibus ipse Deus Opt. Max. homines per Pseudoprophetas, aliaque similia, tentavit, an amantes Veri Dei essent; &c. De Pseudochristis Judæorum: ut de Juda Galilæo, Theuda, Dositheo, Barchocheba, &c. pag. 227

CAP. II.

De Pseudoprophetis sub Novo Testamento, ac I°. *de Simone Mago; cujus fabulosè confictus in aëra volatus ex Veteribus*

bus paulo accuratius examinatur. Quæ ac qualia circa hæc & similia Erudissimus Delrio nugatus fuerit. pag. 244

CAP. III.

Hac occasione, quasi per Parenthesin, agitur de Tentationibus ab ipso Deo, sub Novo Testamento factis: ut causis & mediis (inter alia) falsæ Prophetiæ ac Pseudoprophetarum. Hinc de Canone librorum Novi Testamenti. De Canonis istius ortu, progressu, & tandem perfectione; ac quam cautè Christiani magis Orthodoxi in isto conficiendo processerint. De Apocryphis, Spuriis, Suppositis, adeoque Psendopropheticis, quæ Apostolis, Evangelistis, aliisque viris Apostolicis (præter illa quæ Propheticis, aliisque Veteris Testamenti membris affingebantur) attributa falso fuerunt. pag. 253

CAP. IV.

Pergitur in Historia Pseudoprophetarum; ubi de Marco Mago, de Menandro, de Carpocrate, de Montano, de Priscilla & Maximilla, de Basilacio, & aliis, agitur. Qua occasione etiam de Dîs aut Dæmonibus Paredris, ac quidem diversi generis; de Oneiropompis. de Catabolicis; uti & de illis, qui demortuorum animis obsessi credebantur, &c. pag. 373

CAP. V.

De falsis Gentilium Prophetis & Prophetiis, ipsorumque Phratriis ac Familiis; de ipsorum Scriptis, χρησμοῖς, sive λογίοις, vel Oraculis, Sortibus, ac pluribus ejusdem farinæ Prædictionibus. De Agyrtis, Circulatoribus seu Circumforaneis, Fanaticis, aliisque prætensis Vatibus, deque illorum libellis Divinatoriis; de ipsorum denique imposturis ac men-

daciis; quibus gaudebant & quandoque Magnates ac Principes, modo talia ipsis in Republica commodius regenda, vel aliter, inservire possent. pag. 289

CAP. VI.

De prætensis Romanorum, Græcorumque, Sibyllinis, atque, ista occasione, de Rhetris Lacedæmoniorum: *inter quas &* Sibyllina *Romanorum comparatio, (tum ratione historiæ, tum aliarum circumstantiarum,) instituitur: unde & ulterior* Sibyllinorum *historia. De* Fanaticis *interim adhuc nonnulla, & de* Sortilegis. *De* Canonizatione novorum Sibyllinorum *apud Romanos. De novis Sybillinis ac quasi* per Divina *Insomnia additis. De Sibyllistis, tam inter Gentiles, quam inter Christianos. De diversis admodum primorum Christianorum, circa auctorem* Sibyllinorum, *similiumque Vaticiniorum (Deusne an Diabolus fuerit) sententiis.* pag. 308

CAP. VII.

De Isaaci Vossii, celeberrimi viri, Sibyllinis; quatenus illa a Judæis, Deo instigante ipsorum mente, conscripta, *atque hinc verè Canonica fuisse, ac postmodum e Canone extrusa, perhibet. Unde & examinantur illa quæ de* Apocryphis, *suo more, affirmat: atque ista occasione, de Scriptis Enocho attributis, &c. agitur.* pag. 341

Sum-

Summaria Capitum Dissertationis de Divinationibus Idololatricis sub Veteri Testamento.

PARS TERTIA.

CAPUT I.

DE מנחשים *sive* Auguriis *atque* Auguribus *Judæorum Idololatricis, ipsorumque origine, tam ex S. Scriptura, quam ex Maimonide & aliis: quibuscum comparantur* Auguria & Augures *Ethnicorum (Græcorum & Latinorum;) uti &* Omina: *circa quæ etiam ostenditur quam plane hic Christiani Ethnicos æmulati fuerint. Ciceronis aliorumque cordatiorum de his* Auguriis, Ominibus *cæterisque horum similibus superstitionibus opiniones, atque in contrarium argumenta. De* Auguraculis, *sive* Auguratoriis; *de formulis* Auspicandi, *ritibus* Augurandi, *&c.* Auguriorum, Auspiciorum *atque* Ostentorum *vires in nostra potestate esse. De* Pullariis & Auguribus, *ipsorumque dignitate, &c. Cujusmodi artes atque imposturæ circa ista fuerint exercitæ. Cur Judæis vetita* Auguria, *& a Mosselano Judæo irrisa.* pag. 363

CAP. II.

De Haruspicina *(ex Chaldæo quoque orta,) deque Extispiciis. Ciceronis de ipsis sententia. Origo eorum a Tage Ciceroni irrisa. Quanta in æstimatione apud* Reges *ac* Magnates *fuerint. Haruspices solos Exta inspexisse. Imposturarum, circa Extispicia exempla. Quibus accedunt nonnulla* de

de veterum circa Portenta, Ostenta similiaque (super quibus petebantur Haruspicum Responsa) opinionibus: post quæ denuo reditur ad Haruspices eorumque auctoritatem. pag. 394

CAP. III.

De מעוננים Mehonenim *seu* Præstigiatoribus, Astrologis, Somniorum interpretibus, *&c. prout hæc vox vel ab* ענה respondere, *vel ab* ענן nubes, *vel ab* עין Oculus, *deducitur. Opiniones Maimonidis aliorumque circa hujusmodi impostores & imposturas. De Astrologis judiciariis Gentilium, & super iis ipsorum Gentilium prudentiorum judicia. Historia de Tiberii cum Trasyllo consultatione paulò fusius examinata. Hinc transitur ad Præstigiatores; de quibus & lepidissima affertur Historia: Post quæ de Somniis agitur; atque hac occasione de* Spiritu malo a Domino: *de Somniis Nebucadnezaris. Quam, denique, contraria persæpe ipsorum Interpretationes fuerint: unde & Ciceronis contra ipsos judicium.* pag. 415

CAP. IV.

De Judæorum קוסמים Kosemim, Sortilegis *&* Sortibus. *Quid S. Scriptura, quid Judæi, de iis tradant. De Gentilium* Sortilegis *ac* Sortibus, *cum in Templis Fatidicis, tum in aliis locis, seu publicis (uti in Circo, in Triviis, alibique, apud Romanos imprimis,) seu privatis (per vicos, per domos ac familias, aliterve) consultis. De* Sortilegiis *Christianorum; qui, uti Gentilium sæpe Sortilegiis addicti erant, sic &* Christianas *(quasi)* Sortes *excogitarunt, ex* libris Biblicis, *ex* lectione Diaconi *in Ecclesia, ex* Sono aliquo incognito *(ad æmulationem, puto,* בת קול *seu* Filiæ vocis *Hebræorum) aliisque. De Vatibus* Centurionibus, *similibusque aliis Agyrtis; qui Ursos aliave animalia quæstûs gratia (sub Religionis*

gionis tamen prætextu) circumducebant. De bestiis Divinandi artem edoctis. De Impostoribus Fatidicis apud Romanos, &c. pag. 445

CAP. V.

De חברים Choverim *sive* Incantatoribus, *ex Sacra Scriptura & Judæis. De* Schemhamphorash, *seu* nomine Tetragrammato, *ac nugis de eo confictis: De* virga Mosis, *&c. Quid hîc Maimonides de* Nominum vi atque efficacia, *seu potentia, sentiat. Justinum, ac (quod mage miretur quis) Originem ipsis impense patrocinari; uti & alios Veterum post ipsos. De nominibus* Dei Hebræorum, *&* Dei Abrahami, *&c. in Exorcismis Ethnicorum. De usurpatione Nominis Dei in vanum. Ex Chaldæa, interim, & Assyria hæc & similia commenta defluxisse ad cæteras mundi gentes. Ad Medicos quoque transiisse ita eam superstitionem, ut* Nominibus Divinis, *aliisque* Barbaris *ac ridiculis sæpe, decantatis, admurmuratis, vel appensis curarentur ægroti. Exempla eò spectantia (imo & circa piscium capturam) adducta. Flavii Josephi sive superstitio, sive (quod potius reare) malignitas, (ut sic Christi nostri facilius elevet atque eludat miracula) in narratione de Eleazare. Ejusdem fabella de radice* Baara. *Quale* Dæmonum *genus is ista occasione confingat.* pag. 489

CAP. VI.

De Exorcismis *&* Exorcistis *Judæorum; adeoque & de* Filiis Scivæ. *Quibusnam promissa fuerit potestas* ejiciendi Dæmonia. *De* curiosis artibus, *atque ista occasione paulò curatius de* Literis Ephesiis; *ac de multiplici ipsarum (etiam* circa expellenda Dæmonia) *vi ac potestate, De* periaptis, *sive* Amuletis; *de* Totaphoot *seu* Tephilin, *&c. De Christiano-*

****

rum

rum circa Amuleta diversi generis *superstitione; de* Excantationibus. *De* numismatis: *De* Abracadabra, *aliisque, quæ homines ab Angelis edoctos fuisse prætendebatur. De* Verbis S. Scripturæ, *vel lectis vel appensis vel alligatis. De* parvis, *sic dictis,* Evangeliis. *De Evangeliis &c. quæ ægrotorum* lectulis *vel* capiti *apponebantur, vel contra pericula &c. a sanis portabantur: uti & de aliis vanis ac ridiculis* Amuletis. *De origine* Literarum Ephesiarum, *&c.* pag. 519

CAP. VII.

De Ordine Exorcistarum *in Ecclesiam introducto. Hinc de* Exorcismis circa Baptizandos, *cum infantes, tum adultos, ut sic expelleretur Diabolus: ubi & de* Exsufflationibus, Insufflationibus, Exspuitionibus, *aliisque in* Exorcismo *peragendo ritibus.* Clericos *quoque istud jus (Cypriani saltem tempore) obtinuisse. Quamvis aliàs* Exorcistæ, *quatenus membra essent Ordinis Ecclesiastici (quasi hîc Dii minorum gentium) æque ac* Subdiaconi, Acolythi, Lectores *ac* Cantores, *extra Clerum haberentur. De* Exorcismis circa Hæreticos Baptizandos. *Quodnam* munus *fuerit* Exorcistarum; *uti & de circumstantiis nonnullis circa istud observatis.* pag. 542

CAP. VIII.

De מכשפים *sive* Magis *&* Veneficis. *Qualesnam fuerint homines, secundum Hebræos; ipsorumque ulterior descriptio ex R. M. Maimonide. Ethnicorum quoque (Ciceronis, Senecæ, Plinii, aliorumque) de hujusmodi hominibus & Imposturis judicium. Qualia ac quanta, & simul quam ridicula & absurda, Poëtæ talium Auctores Magis ac Sagis suis adscripserint: istaque occasione de Argo nave ac de Xantho*

tho Achillis equo, aliisque Poëtarum absurdissimis commentis. Quomodo Dii superi subjecti sint imperio Deorum Infernalium, hi rursus (quin etiam & ille, quem scire nefastum*)* *imperio miserrimarum quandoque muliercularum. De Dis ipsis ab hominibus misere deceptis atque irrisis. De Magarum miraculis circa Lunam, deque transformatione hominum, per ipsas, in bruta animalia. De Deorum Evocationibus, ac potestate Carminum, ex Plinio; uti & de Magiæ Origine. Denique de mediis Magicis (seu per qualia Veneficia sua peregerint;) uti ex adverso de remediis contra talia, facile quidem, ac pene ubique, parabilibus, &c.* pag. 563

CAP. IX.

De אוב, Ob, *sive* Ovooth, *&* בעלי אוב. *De* ידעונים, Jidionim. *De* דורשים אל חכתים *sive illis, qui aut* Mortuos, (*sive animas responsa daturas*) evocabant, *aut aliter* ipsos consulebant. *Judæorum circa talia traditiones, vel potius nugamenta ridicula. Israëlitas Idololatricas Simias fuisse Diaboli. De voce ac sonitu eorum, qui ut exciti de sub terra (ut ita loquar) responsa dabant. De voce* פיתום Pithoom *apud Judæos usitata. Hinc ulterius agitur de* Ovooth; *atque, ista occasione, latius ac curatius de muliere, seu* Prophetissa in Endor. *Quibus adduntur nonnulla, quæ Vener. D. J. De Mey & Franc. Burmannus super ista famosa historia commentati sunt.* pag. 608

CAP. X.

De origine & antiquitate νεκυομαντείας *inter Ethnicos & Judæos. De* Necyomanteiis publicis *ac* privatis, *tam inter Judæos, quam inter Gentiles. De* Aorno, Acheronte, Plegethonte, *&c. ex Aristotele, Herodoto, Strabone, Cicerone, &*

& Pausania; atque unde istæ fabulæ ortum traxerint. De Necyomanteiis privatis, *ex Veterum scriptis : ubi simul ostenditur, cuncta talia esse commenta nugacissima. De* Ἐγγαστριμύθοις *(seu Ventriloquis) ex Hippocrate & Galeno, adeoque & de* Euricleidis: *additis imposturarum talium exemplis.* p. 632

CAP, XI.

De תרפים Teraphim; *ac primo de istius vocis etymologia; an scilicet a* רפה, *an a* תרף *Hebr, vel a* ܠܒ *Syrorum deducenda sit; uti & qualibus ac quot modis vertant illam tum Græci, tum Chaldæi, tum, denique, Latini Interpretes. Hebræos inter se admodum discrepare circa formam ipsorum* Teraphim, *ac potestatem, uti & prædicendi, per ipsa, modum. Quod ostenditur exemplis. Quid S. Bochartus de ipsis notet, &c. De constructione seu fabrica horum* Teraphim. *Dictorum, super hisce, Rabbinicorum brevis recapitulatio : post quam concluditur, plane incertum esse quid demum fuerint: nisi quod per illa futurorum prædictiones fieri prætenderentur. De Rev. Athanasii Kircheri* capite quasi fatidico; *uti & de* capitibus *a Genebrardo, ac Bachone fabricatis. De paradoxa admodum, circa* Teraphim, *opinione Cel. Spenceri; qui ipsorum Responsa nunc* Deo, *nunc vero* Diabolo, *adscribit: quæ opinio modeste expenditur ac refutatur. De Michæ* Teraphim; *& an illa revera locuta fuerint. De Labanis* Teraphim, *&c. Qui primi* Diabolum *fecerint* Simiam Dei *(sicut & Heræticos* Simias Ecclesiæ) *ac quam parum id commentum Deo Omnipotenti, ac summe proprii honoris ac gloriæ Zelotypo, conveniat.* pag. 658

DE ORIGINE AC PROGRESSU IDOLOLATRIÆ, ET SUPERSTITIONUM,

Sub Ethnicismo, Judaismo, ut & Christianismo.

CAPUT I.

Deum Opt. Max. solum esse Omnipotentem, solum facere mirabilia, quæ supra Naturam sunt i. e. Miracula: eundem quoque esse proprii sui Honoris ac Gloriæ summè Zelotypum; neque ulli concedere creaturæ, ut is sibi præripiatur: adeoque nec Ethnicorum Deos aut aliquid præter vel supernaturale perpetrare, aut aliquid posse, quo vel juvent, vel noceant, vel futuri aliquid prædicant, vel hisce simile quid perficiant.

DEum Opt. Max. solum ac vere esse Omnipotentem, nemo Christianus sani cerebri, & alicujus saltem rationalis experientiæ est, qui ullo modo dubitet. Hoc enim apertissime patet, tam ex debita naturæ Divinæ consideratione, quam ex ipsius Dei verbis propriis, atque illorum testimoniis, qui cum essent *Sancti*

Dei homines atque *acti Spiritu Sancto*, id hujus Dei summi atque Unici nomine clarissime æque ac verissime testati sunt. Ita enim ipse Deus loquitur Geneseos cap. XVII. v. I. & cap. XXXV. v. II. אני אל-שדי *Ego Deus Omnipotens.* Quod firmat illius Divino Spiritu actus Regius Psalmista ac Propheta, dum canit, Ps. LXXVII. v. 14. & 15. *Quis Deus fortis Magnus est ut tu Deus? Tu, ô Deus fortis, mirifice ostendisti in populis robur tuum.*

Quali modo quoque dudum antea (in Cantico suo) quasi interrogando, cecinerat Moses [Exod. XV. v. II.] *Quis tui similis inter Deos, ô Domine? Quis sicut tu magnificus Sanctitate, terribilis laudibus, faciens mirabilia?* Quod in textu Authentico sonat, עשה פלא. Verum ulterius progressus modo dictus Regius Propheta hæc clarius adhuc exprimit, tam Ps. LXXII. v. 18. ubi habet: *Benedictus sit Dominus Deus Israëlis, qui facit Miracula solus* (עשה נפלות לבידו) quam Ps. CXXXVI. v. 4. ubi eadem, ac quidem majore cum Emphasi, repetit.

Sic quoque id in Domino nostro Jesu Christo lubens agnoscit Nicodemus [Joan. III: v. 2.] atque ita confitetur: Οὐδεὶς γὰρ ταῦτα τὰ σημεῖα δύναται ποιεῖν ἃ σὺ ποιεῖς, ἐαν μὴ ὁ Θεὸς μετ' αὐτοῦ. *Nemo enim potest hæc signa edere, quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo.* Unde & de semetipso Dominus noster ac salvator [Joan. XV: 24.] 'Ει τὰ ἔργα μὴ ἐποίησα ἐν αὐτοῖς ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκε &c. *Si opera non fecissem inter eos quæ nemo alius fecit, &c.*

Hinc non immeritò Deus, (ac quod serio notandum est) de seipso per Esaiam [cap. XLII. v. 8. & 9.] ita pronuntiat: *Ego Dominus; hoc est nomen meum: & gloriam meam alteri non dabo; nec laudem meam sculptilibus* [i. e. prætensis Dis istis, qui per sculptilia &c. repræsentantur.] *Priora ecce venerunt, & Nova ego annuntio: quæ ego vobis nota facio antequam exoriantur.* At de Dis Gentium hoc modo locutus

cutus fuerat [cap. XLI. v. 22.] *Quin afferant* [Deos suos] *ut annuntient* nobis *quæ ventura sunt, aut* (saltem) *quæ prius fuerunt indicent; ut reponamus in cor nostrum; ut sciamus novissimum eorum: aut* QUÆ IN FORIBUS *sunt, exponant nobis. Nuntiate* [inquam] *ea quæ* POSTHÆC EVENTURA *sunt, ut sciamus* [NB.] *vos Deos esse.* Quin BENEFACITE *aut* MALEFACITE; *ut enarremus & videamus pariter. Ecce* VOS ESTIS EX NIHILO, & FACTURA VESTRA EX NIHILO: *abominatio elegit vos.*

Notatu hîc quam maxime dignum mihi videtur, ea quæ Idola ut plurimum vertuntur, [vide Levit. xx. v. 4., uti & plures alios locos S. S] apud Hebræos dici אלילים, *Elilim*, voce secundum multos (nec immeritò) compositâ ex אל *non* & אל *Deus*, quasi *qui non sunt Dii*, ut Fagius ac Munsterus annotarunt.

Hinc & R. D. Kimchi, doctissimus ille Judæus, pro *re vana* atque *inutili* exponit. Sicut Chaldæi quoque Idola טען *Taævan* appellant a טעה *errare;* eo quod misere errent ac seducantur qui ista colunt. De quibus אלילים & *res nihili* (quasi dicas mera hominum figmenta) videat Lector ulterius quæ dicant Job. cap. XIII. v. 4. Es. II: 18. & 20. x. v. 10 & 11. XIX. v. 1. XXXI. v. 7. Jerem. XIV. v. 14. Zach. XIII. v. 17. Levit. XXI. v. 1. Paralip. XVI. v. 16. Unde & Belgæ nostri Annotatores **Afgoden en Nietigheden.** Quod de Idolis (ubi non pro statuis vel imaginibus, sed pro ipsis prætensis Numinibus sumuntur, uti fit. Actor. VII. v. 41. XV. 20. Rom. II. v. 22. 1 Cor. VIII. v. 4.) etiam testatur Apostolus Paulus per hæc sequentia: Οἴδαμεν ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ, καὶ ὅτι οὐδεὶς Θεὸς ἕτερος, εἰ μὴ εἷς. *Scimus Idolum nihil esse in mundo, & nullum esse Deum alium nisi unum.*

Quamvis aliàs quoque apud Veteres Græcos (Homerum, Æschylum aliosque) hæc vox εἴδωλον pro *Umbra, spectro,*

 somnio

somnio similibusque sumatur, uti ostendit hoc Homericum, εἴδωλα καμόντων, aliaque Græcè callentibus satis nota.

Cum iis quæ modo allata sunt conferamus hæc Jeremiæ verba (quæ ab initio cap. x. usque ad v. 16. legenda sunt) quibus ita loquitur: *Sic dicit Dominus: Viam Gentium ne discatis; & a cœli signis* [*NB.*] *ne formidetis. Nam* [*NB.*] *Gentes ab illis formidant. Siquidem Ceremoniæ Gentium Vanitas* [הבל] *sunt. Quia arborem quis de sylva abscindit..... instar palmæ rigant ipsa* [*Idola*] *& non loquuntur. Portando portantur; nec enim incedere possunt; ne metuatis ab eis;* QUIA NON MALEFACIUNT; *quin & benefacere eorum non est.*

Quæ postrema Esaias (cap. XLVI. v. 7.) ita exprimit: *Portant eum Humero, & collocant eum in locum suum;* [*illic*] *stat, nec de loco suo movetur: Et si quispiam ad eum clamat, nihil respondet: de angustia sua* NON LIBERAT EUM.

Quæ ex modo allatis locis (præter id quod jam dixi super vocabulo אלילים) clarè admodum elucescunt, sunt, I. *Quod statuæ* seu *simulacra ipsorum prætensa Divina* [licet Consecratione in istas præsentia Numinis advocata esset] *nec incedere nec movere se, nec loqui*, atque adeo, nec nutu nec voce, aliquid *indicare* aut *respondere* valeant; nec de futuris, imò ne quidem de præteritis: ac vel sic, vel ullo alio quovìscunque modo, juvare vel nocere possint. Unde & apud modo allatum Jeremiam vocantur הבלים Vanitates. (æque atque alibi appellantur אלילים) sic enim cap. XIV. v. 22. habet: *An sunt inter vanitates* [בהבלי] *Gentium qui pluviam edant; & an Cœlestes (Dii) edunt imbres? Nonne tu es Jehova Deus noster? ideo expectamus te, quia tu facis ista omnia.* Quo sensu & ista voce utitur cap. XVI. v 19. ut & ipse Moses Deut. XXXII. v. 21. ex Dei nomine: *Propter ea quæ non (sunt Deus) fortis, provocaverunt* me *Vanitatibus* (בהבליהם) *suis.*

Et

Et tamen talia quæ ſolius Dei fortis atque Omnipotentis ſunt, ſuis אלילים atque הבלים *Vanitatibus*, ſeu *Numinibus ſuis confictis*, adſcribebant.

2. Quod nulla Divinitas præſentiave Numinis alicujus ejuſmodi ſtatuis, Idolis vel ſimulacris in Deorum prætenſam formam conflatis, dedolatis imo & conſecratis affuerit, ibique ſeſe ullo modo ſuper aut præternaturali manifeſtaverit.

Nulla Deorum ſimulacra adorabantur niſi fuiſſent certis ritibus ac ceremoniis (pro diverſitate numinum, ac ſuperſtitionis hujus illiusve Gentis) dedicata ac conſecrata: qua Conſecratione præſentia Numinis ad ſimulacra illa, ſtatuas &c. advocabatur. Nam Gentes Nullæ tam ſtultæ fuerunt aut dementes (niſi ex ſtolida plebe illi qui omni judicio carebant) ut vel ipſum lignum, vel aurum, vel aliam quamcunque demum materiam, in figuram licet hujus illiusve Dei Deæve fabrili arte formatam, ſine præcedente Conſecratione, pro vera hâc aut illâ Divinitate aut Numine haberent.

Quod attinet autem ad Virtutes & miracula iſtorum Numinum; videmus ex præcedentibus, non immerito apud Moſen (Deut. IV. v. 23. &c.) ita loqui Deum Opt. Max. *Interroga nunc, num audivit unquam populus vocem Dei loquentis de medio ignis, ſicut tu audiviſti & vivus manſit? aut tentavitne Deus* (aliquis) *ut ingrederetur & tolleret Gentem* (aliquam) *e medio Gentis* (alterius) *tentationibus, ſignis ac prodigiis belloque & manu forti & brachio extento, denique terroribus Maximis* [quos Pani Gentiles adſcribunt.] *Qualia ſunt omnia quæ fecit pro vobis Jehova Deus Veſter in Ægypto, ante oculos tuos. Tu per* APPARITIONES [*NB.*] *edoctus es* [hæc certe hic cum Emphaſi] *Dominum ipſum eſſe Deum, nec eſſe alium præter eum.* &c.

Vide nunc, mi Lector, quæ ac qualia ſint illa quæ de Dîs Gentium, eorumque plane nulla poteſtate aut potentia,

testatur Deus verus atque unicus; quæque in contrarium sibi ipsi, ac jure merito ex Omnipotentia suâ, attribuit. Et tamen sua Numina maligne conficta pari passu ambulare cum Deo Omnipotente volebant Ethnici, ejusdemque plane esse potentiæ; ut qui ipsis æque adscribebant, *Apparitiones, tentationes, signa, prodigia, terrores magnos, aliaque adhuc majora; Translationes Gentium, &c.* Attribuebant enim Dis suis (uti ipsi affirmant) *Colonias* Deorum monitu *deductas, Gentes translatas*, aut *liberatas, victorias procuratas, miracula, oracula; ostenta, prodigia adjumenta ac monumenta (i. e. beneficia* vel *pœnas) effecta vel illata: ac quidquid* demum Divinitus, vel præter consuetum naturæ cursum atque ordinem, hominibus accidisse credebatur.

Istis vero astruendis ipsorum Vates, Antistites ac Sacerdotes (quorum quasi ὑποφῆται sive *Interpretes* Poetæ semper fuerunt, homines quovis pretio ad quæcumque confingenda, conducendi) quotidie pæne nova Miracula, oracula, prodigia, ostenta, omina, voces Deorum ex aëre vel Adytis Templorum prorumpentes, plurimaque id genus alia confingebant: ut reliquos homines sic quantum poterant, 1 sub superstitionis seu potius δεισιδαιμονίας, jugum mitterent; 2. eos perpetuo magis magisque detinerent. Hinc enim istæ Historiolæ, seu nugacissimæ fabellæ, quas tum Valerius Maximus, tum Valerius Obsequens, tum Livius, tum Dion Cassius, tum alii sive Historici sive Mythologi, usque ad Nauseam, imo & quandoque ad vomitum, & tamen magna cum ostentatione, ex superius nominatorum officinis depromunt, ac denuò divendere conantur.

Quæ tamen an illi semper serio narrent, merito dubitet is, qui Valerium Maximum post plurima prodigia, ostenta & Miracula enarrata, tandem audit ita loquentem: *Nec me præterit de* MOTU *&* VOCE *Deorum immortalium, quamvis oculis auribusque percepto, quam in ancipiti opinione æsti-*

æstimatio versetur. Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem auctores vindicent.

Ut autem superstitiosi magis Ethnici cuncta talia Diis suis Jovi, Apollini, cæterisque numinibus confictis (per Sacerdotes atque Antistites, uti & per Poëtas omnium pene mendaciorum atque absurditatum patronos, eo stultitiæ provecti) attribuebant; sic ex adverso prudentiores (quamvis aliàs veræ religionis lumine orbati) ejusmodi narratiunculas seu tradiunculas pro splendidis habebant mendaciis; sicut patet ex Cicerone, ubi (Lib. 2. de Divinitate) ita loquitur: *Omitte igitur* LITUUM *Romuli, quem in Maximo incendio negas potuisse Comburi: contemne* COTEM *Attii Navii* [quæ exempli tantum gratia adducit, cætera æque irrisa ac damnata, Lector, alibi in ipsius operibus reperiet.] *Nihil debet esse in Philosophia commentitiis fabellis loci.* Quibus gemina plane & ex aliis auctoribus (imò & ipso Platone, uti infra patebit) seu scriptoribus magis cordatis afferri possent.

Interim plurimi, interque ipsos præcipui primitivæ pene Ecclesiæ Scriptores, Tertullianus, Minutius Felix, Cyprianus, Augustinus, aliique permulti, illa Mendacia quæ Sacerdotes ac Poëtæ Gentilium commenti fuerant (de Cote Attii Navii, de Lituo Romuli, de aqua cribro portata, de Virgine Vestali Navem cingulo suo protrahente, centenaque, si non millena, ejusmodi conficta Miracula) pro veris amplexi sunt Historiis; eo solo cum discrimine, quod sicut & Sacerdotes & Poëtæ & superstitiosa Gentilium multitudo (priores aut lucri & auctoritatis, aut alios delectandi, ac sæpe ludendi, gratia; posteriores ex animo hisce devoto, at non secundum scientiam, uti Apostolus loquitur) cuncta talia Dis suis benefactoribus tribuebant; hi [Christiani] ex adverso ea *Diabolorum*, seu *malorum Dæmonum*, potestati atque operationibus adscribant; illosque affirment talia ac tanta,

ta, ſub prætextu hujus aut illius Boni *Dæmonis commentitii*, perpetraſſe, ut [loquente ita Tertulliano cap. 22. Apologetici.] *Numina lapides crederentur & Deus verus non quæreretur.*

Hinc enim, ſecundum Min. Felicem, aliosque primorum Chriſtianiſmi ſeculorum Scriptores, *ſub ſtatuis conſecratis deliteſcebant;* atque inde Oracula ſua, & Miracula edebant; uti boni iſti viri perſuadebant, ex iſta opinione quod *Dæmones Ethnicorum* (ſive Boni illi ſive Mali iſtis haberentur) *revera eſſent Diaboli.*

Si vero talia ac tanta Diaboli inter Ethnicos perpetrarunt, quomodo, (quæſo mi Lector,) Deus plane contraria de Dis Gentium (i. e. Diabolis) teſtatus eſt? Aut ſi hæc quandoque ex permiſſu Dei facta per ipſos fuere, (ac quidem ob rationes a Tertulliano datas) quomodo revera Deus eſt Zelotes talis ac tantus propriæ gloriæ atque honoris, uti de ſeipſo tam diſertè pluries teſtatur? Ita enim per Eſaiam [cap. XLII. v. 8. & 9.] loquitur: *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo nec laudem meam ſculptilibus.* &c. Sic quoque jam diu ante per Moſen locutus fuerat [Deut. IV. v. 23. *Cavete vobis. . . . . nam Jehova Deus tuus ignis conſumens eſt: Deus Fortis Zelotes* &c. uſque ad v. 40. Omitto hîc alia quæ ex Eſaia &c. jam ſuperius attuli.

In omnibus illis hucuſque allatis a me S. Scripturæ locis, adeoque ipſius verbis Dei ac Prophetarum, ejus ex inſtinctu ac mandato prolatis, ne minimam quidem reperimus mentionem *Diaboli.* Quod neceſſario contingere debuiſſet, ſi ille ſub prætextu Deitatis (ut ſic loquar) *Miracula* perpetraſſet, *oſtenta* aut *prodigia* oſtentaſſet; aut per ſtatuas, ex antris, vel pluribus aliis modis, locutus fuiſſet, Oracula edidiſſet, vel quocunque demùm alio modo Bona aut Mala hominibus intuliſſet; ac quidem eum in finem, ut homines

(& qui-

(& quidem Iſraelitas quos pene continuo per Prophetas ſuos Deus monebat, iiſque in idololatriam prolapſis perpetuo minitabatur, ac ſevere admodum quandoque puniebat,) a vero ac debito cultu averteret, eoſque in ſe ut in Omnipotentem converteret, atque ita in vitia ac peccata magis magiſque induceret, irreconciabiles coram Deo redderet, ſibique totos ac ſemper obſtrictos teneret; adeoque & ſic Imperium non tam ſub Imperio, quam contra Imperium Dei, ſibi aut ſtrueret, aut conſervaret, aut etiam adaugeret.

Itane ſummus atque unicus ille Mundi imò & Diabolorum creator, *(quos ob ipſorum ſuperbiam ac peccata in ima Tartara detruſit, ipſoſque ibi catenis tenebrarum allegatos tenet,)* tantuſque honoris ſui auctoritatiſque *Vindex*, *paſſus ullo modo fuiſſet, ut* (ſicut *Georgius Mœbius* loquitur, aliique cum ipſo) *præter exiguum iſtum Angulum in quo populus Iſraëliticus habitabat, vix ullum inveneris locum ubi homines dictam Religionem non ambabus ſuſceptam ulnis exoſculati fuerint; idque vi Miraculorum, atque Oraculorum Diabolicorum, quibus ille cum ſuis Angelis imperitorum oculos adeo faſcinavit, ut totos in ſe converterit?* Donec tandem poſt tam plurima ſecula, miſſo in mundum Domino ac Salvatore noſtro J. Chriſto, Imperium Mundi quaſi poſtliminio [at minime in totum] receperit?

Non ita ſane exiſtimo. Quin e contrario videmus (quod modò attigi) *Diabolum* [uti Apoſtolus Petrus, Epiſt. II. cap. 2. v. 4. & Judas Epiſt. v. 6.] *Diabolum*, dico, & *Angelos ejus a Deo in ima Tartara fuiſſe detruſos, iſtique carceri catenis alligatos & incluſos uſque ad diem extremi Judicii,* ſimul cum impiis denuo puniendos; eo quod in Deum ipſorum & Creatorem & Dominum peccaverint, ordinemque ipſis conſtitutum non ſervaverint, verum ſuperbia elati, ac non contenti principatu ac Domicilio quæ ipſis a Deo fuerant attributa, contra ſupremum atque unicum univerſi Dominum altiora affectaverint.

Atqui supposito paulisper Diabolum Miraculis, vel si mavis præstigiis, prodigiis, ostentis, apparitionibus cum diurnis tum nocturnis, Divinationibus, adeoque & Oraculis Ethnicorum, præter- aut supernaturali modo (ac tali ut vulgo Theoligi id explicant) præsedisse, iis Gentes in errores & peccata contra verum Deum induxisse, in iisque detinuisse, cur, dico, hoc supposito, Deus Opt. Max. cum vetet & omnia Divinationum genera; admoneatque populum illum Sanctum sibi, atque ex omnibus Gentibus electum in regale sacerdotium; ut ab iis se quam caute caverent, ne minimam quidem faciebat mentionem Diaboli? aut per Prophetas ad ipsum ad cultus Idololatricos delapsum missos docebat, Gentilium Deos, præterquam quod *non Dii* essent, malos esse Dæmonas, qui in perniciem humani generis, tales cultus Idololatricos commenti fuerant, eosque ut infensissimos hostes humani generis omni vi ac conatu laborare ut homines a Deo vero omnium Patre, Domino ac Conservatore abducerent, & secum per Idololatriam in ima Tartaria æternumque exitium detraherent?

Admonet quidem Deus Opt. Max. populum Israëliticum *Deos Gentium* (ut vidimus) *esse Vanitates;* eos neque, juvare posse neque nocere, nec boni aut mali aliquid posse prædicere, imò ne quidem de præsentibus aut præteritis posse aliquid annuntiare: at quantò satius fuisset (hisce suppositis) Deum per Prophetas populum suum monuisse ut sibi caverent ab Oraculis Diabolicis, & a cæteris Diaboli præternaturalibus præstigiis, prodigiis, ostentis, adeoque Miraculis (quibus sibi honorem soli Deo debitum acquirere conabatur) ne per illa, ut per vere Divina decepti, sicque nimis incauti in ipsius retia delapsi, in æternum pertraherentur exitium? Apostolus ille Gentium certe non aliter loquitur quam Moses ac Prophetæ ex Dei ore ac mandato locuti fuerant: sic enim ille Epistolâ ad Romanos cap. 1. v. 18. *Palam fit enim ira*

ira Dei de cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, qui veritatem in injustitiâ detinent: propterea quod id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis, Deus enim illis patefecit. Siquidem quæ sunt invisibilia illius, ex creatione Mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur: ipsa nempe æterna ejus potentia ac Divinitas; in hoc ut sint inexcusabiles. Propterea quod cum Deum cognoverint, non ut Deum glorificaverunt, aut grati fuerunt: sed frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratum est insciens cor eorum. Cum se crederent esse sapientes, stulti facti sunt: mutaveruntque gloriam incorruptibilis Dei per similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volatilium & quadrupedum & reptilium (quapropter etiam tradidit illos Deus, per cupiditates cordium suorum, in immunditiam, ut ignominia afficiant corpora sua inter se mutuo) qui commutarunt veritatem ejus mendacio, & venerati sunt coluerunt que ea quæ condita sunt, super eum qui condidit, qui est laudandus in secula; Amen! Quamobrem tradidit eos Deus in cupiditates ignominiosas........ & quemadmodum non probaverunt, ut Deum agnoscerent [ita] *tradidit eos Deus in reprobam mentem, ut facerent quæ non conveniebant, repleti omni injustitiâ, versutiâ, avaritia, malitiâ, pleni invidiâ, cæde, contentione, dolo, malis præditi moribus, susurrones, obtrectatores, Dei osores, contumeliosi, elati, gloriosi, excogitatores malorum, parentibus immorigeri, expertes intelligentiæ, pactorum haudquaquam tenaces, alieni a Charitatis affectu, fædifragi, immisericordes. Qui cum Justitiam Dei agnoverint, quod hi qui talia faciunt, digni sunt morte:* [tamen] *non solum ea faciunt, verum etiam assentiuntur iis qui faciunt.*

Hîc autem Apostolus scribens ad Romanos (ubi, si uspiam, maxime dominabatur tum δεισιδαιμονία, tum Idololatria seu Dæmonum cultus) nullius imperii Diaboli meminit. Quid autem ille unquam potuerit aut possit perpetrare; quidque

quam illi Deus Opt. Max. permiserit vel adhuc permittat, aliis disquirendum relinquo.

CAPUT II.

Initium Idololatriæ jam ante Diluvium Noachicum ab exercitu Cœli, Sole, nempe, Luna cæterisque signis cœlestibus; hinc & ab Animalium cultu; atque hinc etiam ab Heroibus demortuis, sive hominibus benefactoribus in Heroum, Dæmonum ac Deorum numerum relatis; unde cultus Baalim *&c. Quinam vel quales fuerint isti* Baalim: *quinam ac quales* Astheroth, *atque unde primum hi Dii (non Deæ) oriundi: denique de* Ascheroth, Ascherim & Aschurim, *&c.*

UT autem progrediamur ad disquisitionem tam Prædictionum, quam aliarum quoque *Operationum Idololatricarum* in Veteri Testamenti Scripturis memoratarum, quæ vulgo ab eruditis Diabolo Diabolisve ipsorumque artificiis ac præstigiis præter aut supernaturalibus adscribuntur non male meo judicio in antecessum agam de Origine *Idololatriæ;* quando & unde illa initium ceperit, atque ulterius progressa primum Chaldeos ac post illos cæteras mundi Gentes dementaverit, atque imprimis quidem Judaicam, de quà nobis (uti & de ipsius cultu Idololatrico) præcipue sermo erit.

De ortu *Idololatriæ* ita R. M. Maimonides loquitur, in tractatu suo de Idololatria: *Temporibus Enos gravissime errarunt homines & stupore obruti sunt animi sapientum illius ævi. Etiam ipse Enos* [quod scriptura tamen minime indicat] *inter errantes erat. Quandoquidem, inquiebant, Deus creavit*

stel-

ſtellas & ſphæras iſtas ad regendum mundum easque in ſublimi poſuit, & honoris participes fecit, & illis Miniſtris utitur; merito profecto laudemus illas atque extollamus & honorem ipſis impartiamur. Atque hæc voluntas ipſius Dei Benedicti eſt, ut magnificemus ac veneremur, quemcumque ille evexit, & honore affecit: perinde ac ſi Rex Miniſtros ſuos honoratos vult; qui honor eſt ipſius Regis. Poſtquam hoc verbum adſcendit in animos eorum, cœperunt ædificare ſideribus Templa & ſacrificare, ac laudare & ornare ea verbis, ſeque coram iis incurvare, ut acquirerent benevolentiam Creatoris perverſa ſuâ opinione: idque fundamentum fuit Idololatriæ. Ita loquebantur cultores Idolorum, qui intelligerent fundamentum ejus. Neque enim dictitabant nullum eſſe Deum præter ſtellas. Hoc illud eſt quod ait Jeremias [cap. x. v. 6.] *Quis non metuat te, Rex Gentium, cum in te conquieſcat* (potentia) *cum in omnibus ſapientibus Gentium & omni regno ipſarum nullus ſit par tibi? ſed unà obbruteſcunt & ſtolidi fiunt: eruditio vanitatum ligni eſt. Ac ſi diceret omnes ſciunt te ſolum eſſe; ſed error & ſtultitia ipſorum eſt, quod exiſtiment hanc vanitatem eſſe voluntatem tuam.* Quibus confirmandis apprime hæc Apoſtoli ad Romanos verba faciunt. Διότι γνόντες τὸν Θεὸν, οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν, ἢ εὐχαρίστησαν. ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία (φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν) καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν.

Quæ tamen non omnia ſimul orta, verum per gradus, ac tractus temporum, in majus adaucta fuere; uti Maimonides, ibi pergens, non inconcinne tradit, dum cultus Idololatrici Originem, uti & Pſeudoprophetarum, Oraculorumque ipſorum, graphice admodum depingit.

Maimonidis vero hujus opinio, quod, nempe, tempore *Enos* cœperit cultus Idololatricus, nititur ipſa Scripturâ Sacra,

 cra,

cra, quæ Geneſeos capite quarto, verſu ultimo, ita habet: אז הוחל לקרא בשם יהוה *Tunc profanatum eſt circa invocationem Nominis Divini.* Quod Onkelos Chaldaicè reddit: בכן ביומוהי חלו בני אנשא מלצלאה בשמא דיי *Tunc in diebus ejus superſederunt filii hominum ab invocando Nomen Domini;* Vel, *in diebus illis prophani fuerunt homines, ut non precarentur in nomine Domini.*

Nec mihi ullo modo veriſimile fit, tum demum homines pios primùm invocaſſe nomen Domini; cum & Abel & Cain jam dudum ſacrificia ex primitiis ſuis obtuliſſent Deo: ac multo magis veriſimile eſt, tum ſenſim homines (præſertim ex Caino prognatos, ad quos tandem filii Dei declinarunt a Deo ac cultu ipſi uni ac ſoli debito) delapſos fuiſſe in Idololatriam: ut quæ per gradus, ac fere tali modo, uti a Maimonide ipſius ortus ac progreſſus deſcribuntur, originem ſuam atque incrementum cæperit.

Hoc nemini quoque (quantum judico) ita mirum videbitur, qui conſideraverit attente, quid porro ſubſecutum fuerit; ac cur Deus mundum ſic plane corruptum ac perverſum, ut jam ſolus Noë ac familia ipſius reſtarent, qui Deum vere colerent, aquarum diluvio ac ruina totius generis humani expurgare, ac denique de novo inſtaurare, conſtituerit.

Si autem aliquis dicat, non veriſimile eſſe, tam brevi temporis ſpatio (ab *Adami* creatione nempe, uſque ad tempora *Enos*, quod annorum numerum ad minimum trecentorum implet,) in Idololatriam fuiſſe delapſos, cogitet is, quam parvo ſpatio, a Diluvio uſque ad *Tharam* Patrem *Abrahami* (qui ſecundum eandem Chronologiam, quæ juxta Hebræorum calculum concepta eſt anno poſt Diluvium 292. natus fuit,) Idololatria non tunc denuò cæperit, verum in abuſu jam tum, ac quidem frequenti, fuerit; idque poſt tam horribilem pœnam, qua totus orbis (habitatus ſaltem) ſubmerſus

merſus fuerat, atque, excepta Noachi familia, omne humanum genus extinctum.

Si quis regerat non veriſimile eſſe, hoc factum fuiſſe, etiam ipſo adhuc vivente *Adamo*, is cogitet, id idem denuo contigiſſe adhuc ipſo ſuperſtite ex tali Diluvio *Noë*. Vel ſi rejiciat hîc Hebræorum calculum; meminerit quoque ipſos Iſraëlitas, poſt tot ſigna Divina per Moſen in Ægypto ipſorum gratia edita, ac poſt tot inſignia Miracula in ipſorum liberationem a Deo facta, vix in deſertum (Deo ipſo Liberatore ac Ductore illorum viſibili ſpecie præcedente) intraſſe, quin ſtatim ad Ægyptiorum Idololatriam delaberentur; hosque homines illos fuiſſe qui canebant in honorem vituli erecti; *Hi ſunt Dii veſtri qui vos liberarunt.* Quinetiam meminerit quam ſæpe, tum ſub Judicibus, tum ſub Regibus Iſraëlis ac Judæ, brevi poſt admodum miraculoſas liberationes, ad Idololatriam delapſi, ac relapſi, fuerint.

Certe Hieronymus hanc de Idololatria opinionem (nec temerè) *pleriſque Hebræorum* (ſui temporis ſaltem) *attribuit;* quodque, *tunc primum in nomine Domini fabricata ſunt Idola.* Sic quoque R. D. Kimchi, in Radicibus, tradit, *diebus Enos homines erraſſe poſt Idola, & invocationem nominis divini tunc fuiſſe profanatam.* Quod licet de Idolis tum fabricatis minime conſtet, de cultu tamen Idololatrico verum eſſe mihi plane perſuadeo. Nec movere nos debent, aut Aquilæ, aut prætenſorum LXX. Interpretum, aut aliorum verſiones; uti nec illa quæ de precibus publicis tum demum cœptis confinguntur: quod nulli omnino fundamento iſta innitantur; atque e contrario ipſa Sacra Scriptura nobis hîc facem præluceat, dum eodem vocabulo הוחל diverſis in locis in eodem plane ſenſu utatur: quod id æque reddi queat *profanatum eſt*, quam *cœptum eſt:* uti notum ſatis eſt illis qui in textu Biblico ſaltem modicè verſati ſunt.

Quæ

Objectum primum Idololatriæ vere fuit *Exercitus cœli.* Quæ Idololatriæ species quoque primum sese manifestat in S. Vet. Test. Scriptura, ut videmus Deut. IV. v. 16. &c. *Ne tollas oculos versus Cœlum, & aspicias Solem & Lunam & exercitum Cœlestem*, &c. [Inter quas stellas Soli ac Lunæ ante alias ac præ aliis cultum fuisse exhibitum postea quoque & cæteris Planetis; hinc denique cæteris syderibus, nulli hæc altius indaganti obscurum esse poterit.] Ast præcedunt (ibi in textu) quæ hîc dubitationem movere queant: verum, meo judicio, priora posterioribus applicanda sunt; ita ut posteriori loco, nominentur prætensi illi Dii, in quorum honorem ibi nominatæ *imagines* consecrabantur.

Israëlitas autem in deserto etiam *Astra* coluisse, patet ex *Astro Dei Rempham* (sive is Planeta Saturnus sive alius fuerit, in quod nunc non ulterius inquiro) ipsiusque imagine: imo jam antea in vitulo aureo: modo id numen pro Iside sumendum sit. Post quæ demum ad cultum istorum Deorum atque Idolorum, quæ שדים *Shedim* appellantur, Deorum novorum atque antea ipsis ignotorum, delapsi sunt: tunc nempe cum in terram Canaan ingressi, ex permistione cum istis Gentibus, atque ipsarum circumvicinis, sese earum etiam polluerunt cultu Idololatrico.

Prioris generis potissimum fuisse existimen illos Deos, *quos ætate Tharæ*, atque proculdubio jam *ante Tharam*, coluerant *trans Fluvium* & [NB] *in Ægypto:* quamvis & *Exercitus Cœli* inter has Gentes Cananæas quoque coleretur. Distinguuntur autem ista numina, Josuæ XXIV. v. 15. *Eligite vobis hodie cui serviatis*, DIISNE QUIBUS SERVIERUNT PATRES VESTRI, QUI FUERANT TRANS FLUVIUM, *an* DÎS AMORRHÆORUM, *in quorum terra vos habitatis.* Atque hi fuerunt isti *Shedim*, Dii atque *Idola* (non Diaboli) ac *Bahalim* & *Astheroth;* de quibus nunc aliquid quoque breviter dicendum.

Prima

Prima horum Deorum (Baalim &c.) mentio fit Jud. 11. v. 11. & 13. ubi textus facer; *Colueruntque* (τοῖς) *Baalim;* ac v. 13, *Et servirent Baali & Astheroth*, uti & cap. 111. v. 6. *Et accipiebant filias eorum..... denique colebant Deos eorum. Quumque ita facerent colerentque Bahalim & Lucos.* Adducuntur hi *Baalim* sæpius in numero plurali, tum in locis allatis, tum 1 Sam. VII. 4. *Et removerunt* (τοὺς) *Baalim & Astheroth*, ac XII. v. 12. Coluimus (τοῖς) *Baalim & Astheroth*, uti & Jerem. 11. 23. *Baalim secuta non sum*, denique etiam Hos. 11. 7. Amovebo enim *nomina* [τῶν] *Baalim ab ore ejus.* At, quod notatu dignum est, hi *Baalim* subinde distinguuntur ab *Astaroth*, ut alius cujusdam generis Dii existentes; cum interim quandoque simul cum Astharoth pro Diis habeantur unius ejusdemque Gentis; imo etiam non semel & *Baal* & *Asthoret* pro uno eodemque numine habeantur atque sic interse confundantur.

Namque ut *Astoreth* Deus erat Sidoniorum (1 Reg. 11. v. 5. 2 Reg XXIII. v. 13.) neque eo minus & Philistæi & Amorrhæi suos Asteroth jam dudum habebant; Sic etiam *Baal* ille Achabi, (cujus uti & Prophetarum ipsius, mentio fit 1 Reg XVI. 18.) Deus erat, non Dea, Sidoniorum, ac forsan ille ipse qui *Astoreth* appellatur? Quamquam in Achabi Historia perpetuò nomine *Baalis* veniat Quod & circa alia numina locum habuisse videtur, circa *Molech*, scilicet, circa *Milcom*, circa *Melech*, *Anamelech*, *Adramelech*, circa *Camos* aliosque plures.

Certe, unum idemque numen diversa sive nomina sive denominationes habuisse patet ex c. XIX. v. 5. Prophetæ Jeremiæ. *Et ædificaverunt excelsa* BAALIS *ad comburendum filios suos holocausta* BAALI, uti etiam cap. XXXII. v. 35. *Et ædificarunt excelsa* BAALI, *quæ sunt in valle filii Hinnon; ad traducendum filios suos & filias suas* MOLECHO. Si quis tamen pertendat & *Baalim* & *Asteroth Sidonorum*

C diver-

diversa unius Gentis numina fuisse [uti *Asteroth* Philistæorum & Amorrhæorum a *Dagon* & a *Gad* (qui forte idem cum *ha Milchama haschamaim*) discriminantur attamen generali nomine sive *Baalis* sive *Asteroth*, crebro venisse, non multum repugnare velim: quamvis & diversæ denominationes unius ejusdemque numinis (aut ex diversitate Dialecti aut alia quadam consuetudine) pene inter omnes Gentes locum habuerint: quod etiam pueris de Romanis ac Græcis notissimum est.

Baal, igitur erat generale Deorum Gentilium, in Syria, Palæstina, ceterisque circumvicinis gentibus, nomen; licet interim hîc *Baal* (sive Dominus) esset Deus Amorrhæorum, ille vero Moabitarum, alius iterum Ammonitarum, alii denique aliarum Gentium *Baalim*; sub diversis admodum appellationibus, sive *Meleg*, sive *Ana-* aut *Adramelech*, sive *Moloch*, sive *Milcom*, sive *Camos*, sive *Gad*, sive *Dagon*, sive *Adad*, sive *Asteroth*; seu quacumque demum alia, Idololatrice colerentur.

De Astoreth autem & *Asteroth* non male meo judicio disquiritur unde appellationis Originem trahant. De urbe *Asteroth* legimus 1 Geneseos cap. XIV. v. 5. & Deut. c. 1. v. 4. ubi nominatur *Asteroth Carnaim*. Porro & Josuæ cap. IX. v. 10. & XII. v. 5. item XIII. v. 12. ubi de *Og Amorrhæorum rege* dicitur, *ipsum habitasse in Urbe Asteroth*. Quonam vero significatu veniat hoc nomen, discere licet tam ex Deut. cap. VIII. v. 13. Quam ex XXVIII. v. 4. 18. & 51. Illis enim in locis tum Græci, tum Chaldæi, tum Syrus, tum Arabs (Erpenianus) tum multi alii e Judæis, uti & e Christianis, Interpretes, id pro Armentis ac Gregibus (ovium nempe & Agnorum) accipiunt.

Quam frequenter autem Regiones aut Urbes aut flumina aut montes denominationes suas, aliis a rebus, hac illâve occasione, accipiant plurimis exemplis ex ipsa quoque Scriptura

ptura S. illustrari, posset, si id ullo modo esset necessarium, lippisve aut tensoribus ignotum. In בעל גד Baal Gad, sane, (Jos. XI. v. 17.) בית בעל מעון *Beth Baal-Meon*, & במות בעל *Bamoth-Baal* (ibid. c. XIII. v. 17.) in Amorrhæorum terra, (uti & ex Num. c. XXXII. v. 38. claret) in בעל המון *Baal-Hamon* (vineæ loco Cant. VIII. v. 11.) in בעל חצור *Baal-Hasor* (2 Sam. cap. XIII. v. 23.) in בעל תמר *Baal-Thamar* (Judic. c. XX. v. 33.) imo & in ipsis hominum, sive Regum, sive aliorum, nominibus; ut (1 Reg. c. XVI. v. 31.) in *Eth-Baal* rege Sidoniorum; cujus filiam Achabus in uxorem accipiens, cultumque simul *Baalis* ipsorum amplexus, ulterius atque in totum cultui Dei veri nefariè renuntiabat.

Hinc certè non obscurè videmus, locorum nomina a Numinibus ibi cultis indita sæpè fuisse; uti & Numina suas denominationes ab Urbibus montibus aliisve insignibus locis mutuasse. Quod & de *Asteroth*, ac de *Baalim* æque verum puto. Atque ita nullo modo (cum jam Abrahami tempore, uti esse certum reor, istud numen cultum fuerit, atque Israelitæ admodum brevi post Josuæ mortem, ipsi servirent) ab Agenoris vel potius Phoenicis (nam de hisce interse disputant fabulatores) filia *Europe*, ex Sidoniorum urbe avecta, indeque ibi Divinitatis existimationem ac cultum in solatium patris nacta, atque ex Europe in Deam *Astartem* conversa, originatio tum nominis tum Numinis est petenda: quum & temporum ratio, & alia præter istam, commentum illud solide refellant. Si enim perpendamus quamdiu nomen istud עשתרות *Asteroth* inter homines notum fuerit, reperimus, jam isto tempore quo Abrahamus Patriarcha Reges Sodomæ &c. ex hostium manu liberabat, urbem fuisse (forsan diu ante conditam) quæ nomine *Asteroth-Carnaim* (ac forte ut ita distingueretur ab Urbe aut vico ejusdem nominis *Asteroth*) appellabatur. Atqui Abrahamus denatus est [sequor hic, Lector, Sethum Calvisium] 1825. ante na-

tum J. Christum: adeoque & ante Cadmi adventum, qui prætenditur fuisse, in Syriam anno 1430. atque ipsius Europæ raptum ex Phœnicià, qui ponitur fuisse anno 1440. vel circiter. Secundum quem calculum, nomen istud *Asteroth* Urbis notum fuit, ultra 400. annos, ante quam *Europe* ista (si modo fabulis Poëtarum ac Mythologorum, ulla fides, ut Historicis, habenda sit) ex Phœnicià, avecta fuerit ibique postea in Deam *Astartem*, (tradentibus ita Mythologis, nam de Tempore Græcis ipsis fabulo loquimur) conversa fuerit.

Verum & *Urbs* illa *Asteroth* non in Phœnicia condita fuerat, verum in medio istarum Gentium quæ admodum procul inde, atque ab altero latere Israëlis ac Judææ versus Idumæam & Seir Montes habitabant; quæque (interjacentibus licet partim Amorrhæis) vicinæ erant Philistæis, qui tota Judæa & Israële interjacentibus a Phœnicibus, Sidone ac Tyro, erant divisæ.

Si porro consideremus Ægyptios animalium, *Bovium*, scilicet, *Ovium*, *Vitulorum*, *Hircorum*, *Gregumque* quæ nomine *Asteroth* Hebræis veniunt, Idololatriam ac cultum, non a Phœnicibus accepisse, verum jam dudum ante Sidonos ortum, tali Idololatria ac cultu laborasse; magis vero-simile nobis quoque videbitur, Gentes ipsis Ægyptiis magis vicinas, quales erant Philistæi atque Amorrhæi a quibus Phœnicia procul dissita erat, priores istum cultum, ac quidem ab Ægyptiis accepisse. Nec mirum adeo (quamvis alias propriis sibi numinibus gauderent) hinc cultum Asteroth etiam assumpsisse alias Gentes; quum ejusmodi exempla, tum in ipsis Ægyptiis, tum in Græcis, tum in Romanis, tum aliis in Gentibus, tum denique in ipsis Israëlitis abunde ostendi queant; Moses ipse, (Deut. IV. v. 3.) ac Josua (cap. XXIV. v. 15.) id testantur de Diis Amorrhæorum, ac diserte quidem de *Baal-Peor* cujus nominis quoque Urbs erat

Beth-

Beth-Peor in Regno Zihonis Amorrhæorum Regis, qui habitabat in Hesbon.

Ut autem duplex cultus Idololatricus patrum fuerat, tum (1) *cultus Solis, Lunæ*, cæterorumque Astrorum, &c. adhuc ultra Euphratem; tum (2) *cultus animalium* &c. in Ægypto; quorum amborum minime oblivisci potuerant Israëlitæ (sic ut inde tam facile & ad cultum Vitulorum & ad ultum *Astri Rempham* delaberentur) ita facillime quoque, ac pene antequam permiscerentur populis quorum terras jam occupatum veniebant (idque ex Dei veri promissione, cum mandato populos istos penitus exstirpandi) ad ipsorum cultus Idololatricos, tam *Baalim*, quam *Asteroth*, qui ambo generali nomine venientes, tamen procul dubio, sub diversis appellationibus, denominationibus atque Epithetis, diversimode admodum pro ratione locorum ac Gentium, colebantur transibant. *Asteroth* autem non fuisse peculiare hujus illiusve Gentis Numen, nisi (quod jam de Baalim ostendimus) ratione cultûs peculiaris, aut denominationis aut alicujus causæ hujus naturæ, patet satis aperte ex Jud. II. v. 11. & 13. at clarius ex c. x. v. *Colebant enim Baalim & Asteroth, Deosque Syriæ & Deos Zidonis, & Deos Moabitarum, Deosque Ammonitarum & Deos Philistæorum*, præter *Deos Amorrhæorum* qui alibi fere ut priores numerantur (quamvis commode ad hos illosve jam nominatorum referantur) atque ut præcipui inter Deos Gentilium a Josua (cap. XXIV. v. 15.) Israëlitis objiciuntur. Vicini longe magis erant Ægyptiis Amorrhæi ac Philistæi, quam Zidonii; atque (uti ostensum est) jam tempore Abrahami inter ipsos *Astheroth Carnaim* (quod Deus ipse, proculdubio, ibi ab Urbe denominatus fuerit, sicut familiare fuit multis gentibus ita facere) uti & mature admodum inter Philistæos horumque vicinos, Deus ille cultus fuit: inde enim (1 Sam. XXXI. v 10.) *Arma Sauli reponebant in æde, seu Templo, Astheroth*. Quod autem alii

Baalim, aliique *Asteroth* alio longe ac diverso abinvicem cultu colerentur, etiam inde patere videtur, quod, post tot memoratas ante cultus Idololatrici species, tandem tanta cum emphasi, de cultu *Bahalim* & *Asteroth Zidoniorum*, a Salomone atque Achabo (cujus sequacibus quoque semper ille cultus præter alios exserte imputatur) instituto, S. S. loquatur.

Quod hîc notari quoque velim est, quod *Asteroth* & *Ascheroth*, עשתרות & אשרות quodammodo interse confundi videantur; eo quod ubi sacer scriba libri Judicum cap. II. v. 13. dixerat: servientes *Baal* ולעשתרות sequenti cap. III. v. 7. dicat: Et servierunt *Baalim* ואת-האשרות uti & prætensi 70 Interpretes, sive potius Interpres Græcus (qui tamen minoris mihi pene ubique auctoritatis est) 1 Samuelis cap. VII. v. 4. textus Hebraicus habet את-הבעלים ואת-העשתרות Græce reddit τα ἄλση ἀςαρὼθ. *Lucos Astaroth.*

Quod autem attinet ad vocabulum *haAscheroth* האשרות, ipsius singulare (ut sic, sive Grammatice, sive Barbare, loquar) אשרה *Aschera* fœminini generis est: at duplici gaudet plurali, 1. אשרות *Ascheroth* fœminino 2. *Ascherim* masculino: nisi, quod melius credo, hoc plurale masculinum ab alio quoque singulari (sicut *Aschurim* אשורים) descendat. In numeris, singulari ac plurali, fœmininis denotat, quantum scio (unico tantum loco excepto, de quo statim adhuc aliquid dicendum) semper *Lucum* & *Lucos*. *Ascherim* vero sive אשרים e contrario nunquam, quod sciam, aliter rectè, quam pro statuis (ac quidem sculptilibus) sive פסלים האשרה *Pesilim ha Aschera, statuis Luci* (vel Lucorum) aut qui in Lucis eum in finem Dedicatis, seu Sacratis, ritè statuebantur, ut ibi ipsis adoratio ac reliquorum cultus, pro ratione diversa diversorum numium exhiberetur.

Unicus tamen locus est 2 Chron. XXXI. v. 1. qui nos pene cogit, ut *Ascherim* אשרים ibi sumamus pro ipsis *Lucis*; quod

quod verba ſonent וישברי המצבות ויגדעו האשרים *Fregerunt ſtatuas, & ſucciderunt haAsherim:* niſi quis ibi iſtud גדע *ſuccidere*, ſumat, pro confringere aſciis ac ſecuribus.

Certe אשרים *Aſcherim* mihi videntur fuiſſe ſtatuæ, (ut plurimum ſaltem) ex *ligno*, ac quidem *Buxeo*, confectæ, eo quod אשורים *Aſchurim* ex eadem radice, ac pene ejusdem ſonus (ut ſic loquar) vox *Buxum* denotet; neque hoc aliàs abſonum, quia Buxeum iſtud lignum, valde durum ſic ac compactum, adeoque & ut magis durabile, & aëris ac tempeſtatum injuriis magis reſiſtens, inveniretur.

Quod האשרים *haAſcherim* non denotent ipſos *Lucos*, verum *ſimulacra* in vel ſub *Lucis* culta, oſtendunt ſatis clare hæc ſequentia loca, quorum hic ſequens extat 2 Paralipom. XXXIV. v. 4. *Et* האשרים *haAſcherim & ſculptilia & conflatilia contrivit ac comminuit & ſparſit, &c.* Quod *contere-re*, uti & *comminuere* ac *ſpergere*, circa omnia hæc, verum non tam circa *Lucos*, locum habet. Verum alii loci ſunt adducendi, qui certe magis ſtringunt; uti ille 1 Reg. XIV. v. 23. *Ædificaverunt ſibi & Aras & Statuas & Aſcherim, ſuper omnem collem excelſum, & ſubter omnem arborem frondoſam,* quocum convenit plane iſte 2 Reg. XVII. 10. *Feceruntque ſibi Statuas & Aſcherim in omni colle ſublimi & ſubter omne lignum nemoroſum.* Qui loci commode explicant iſta Jeremiæ (cap. XVII. v. 2.) *Secundum recordari filios eorum ararum ſuarum & [Lucorum ſuorum* ut Interpretes] ואשרים *Aſcherim juxta lignum frondoſum, juxta colles excelſos.* Quis enim, mi Lector, comprehendat hìc *Lucos ſub omni arbore frondoſa*, aut *ligno memoroſo*, quod pro *Sylva* hìc capio? cum quidem omnis *Sylva* non *Lucus*, attamen omnis *Lucus Sylva* eſſet aut *nemus?*

Sic porro 2 Chron. XXXIII. v. 19. de Manaſſe dicitur quod *Erexerit, ſive ſtatuerit, Aſcherim & ſtatuas.* Quod *Erigere* ſeu *ſtatuere* non pro plantare (nequaquam!) verum commodiſ-

modiſſime pro *ponere*, *dedicare* ac *conſecrare* (quo ſenſu iſtud verbum apud Latinos, ſicut . . . . apud Græcos notiſſimum quoque eſt) ſumi poteſt, imò (ſi quid ego recte judico) ſumi debet.

Quod hîc de *Aſcherim* modo dixi, id Celeberr. J. Seldenus, audacter ſatis de omni pene אשרה *Aſchera* ſive *Aſcheroth* affirmat; ubi cap. IV. Syntagmatis de Dîs Syris ait: *Ceterum vide* 2 Reg. cap. XXIII. *com.* 15. *Ubi Lucus in Bethel ſuccenditur hoc eſt* אשרה, *quod pro ipſo vitulo non immeritò forſan ſumas. Nam* אשרה LIGNEUM *plerumque* [*NB.*] *denotat* SIMULACRUM, *uti in capite de Aſtarte oſtendimus.* Et [*NB*] *fieri poteſt, ut aurei illi, dicti vituli lignei eſſent & inaurati, unde nomen aureorum ſortirentur.*

Certe locus ille 2 Reg. XXIII. v. 6. *Et efferri fecit ha Aſchera* [vulgo Lucum] *de Domo Domini foras*, מחוץ, *& combuſſit eum & redegit in pulverem &c.* de *Luco* ſic proprie dicto ullo intelligi nequit; præcipue ſi accedat verſus ibi ſequens, qui loquitur de *mulieribus*, *quæ texebant Domunculos*, ſive *Ædiculas Luco*, vel potius *Luci* Deo, Deisve pluribus in iſto *Luco* colendis. Atque ita intelligunt iſtum locum Belgæ Interpretes, **voor het beeld des Bosch**; ſicque etiam verterant verſu quarto, **voor Baal en voor het beeld des Bosch** & 6. **Het beeld des Bosch.** Quin & ad 2 Reg. cap. XVII. v. 10, in notis, habent: **Bosch-Goden en Bosch-beelden**; atque ad Jerem. XVII. v. 2. **Harer Boschen** etiam in notis, **ofte Bosch-Goden.**

Quod attinet vero ad *Ædiculas* iſtas: tam Græci quam Romani habebant ſuos ναὺς, & ναΐσκυς, ſua ναΐδια vel εἰκονοςάσια, quibus Deos Deasque ſuas includebant, vel circumveſtiebant quaſi: quæ vel ex ligno (quandoque tamen inaurato) vel Argento vel alia materia, proculdubio, fabricata, uti hîc ex opere textili. At ſane conveniebant meliùs ejusmodi *Ædiculæ* vel Dis vel Aquilis Romanis (quod etiam quan-

quandoque fiebat) includendis, quam *Lucis*, ita proprie dictis, ipsorumve simulacris *Lucorum* forma confectis.

Cujusmodi vero fuerit illa, quæ 2 Reg. XXIII. v. 4. memoratur, *Aschera*, seu potius quænam illa fuerit, ostendunt nobis verba hæc (cap. XXI. v. 7. ejusdem libri) *Et collocavit* [Manasse] וישם את-פסל האשרה אשר עשה *sculptile Luci quod paraverat, in Domo de qua dixerat Jehova, &c.* Et tale quiddam fuit מפלצת *Miphlezet*, de quo mentio fit tum 1 Reg. XV. v. 13. & 2 Chron. XV. v. 16. ac quod Maacha *Luco* לאשרה consecraverat.

Fueritne interim מפלצת *Miphlezet* (quod Pagninus ac J. Coccæus vertunt *terriculamentum, pavorem, simulacrum,*) sive *Priapus*, sive *Pan* sive *Astarte* incertum est: quod Græcus Interpres Libror. Chronicor. vult, qui l. 2. c. XV. evertit Ἀστάρτῃ, cum is qui vertit libros Regum lib. 1. cap. XV. primo loco *Miphlezet* reddat σύνοδον, ac secundo καταδύσεις: quæ quid sibi velint eruditis cogitandum relinquo, dum ex hisce mihi perspicere videar neque Hieronymum (qui *Priapum* vertit) neque alios scire quid istud *Miphlezet* fuerit, cujusve Dei simulacrum. Hoc interim credo, & *Baalim* & *Asteroth* & alia, (ac quidem plura quandoque simul) in Lucis fuisse consecrata: quamvis minime Græcorum illa *Astarte* ut *Zidoniorum Dea* ibi locum invenerit.

Hic *Asthoreth* interim (cujus ut Zidoniorum numinis prima, 1 Reg. XI. quod notandum, mentio fit!) non Dea, verum DEUS fuit Zidoniorum: atque idem ille forsan (uti modo notaveram) cum *Baale* Achabi; [uti enim Jud. II. 11. simpliciter nominantur *Baalim* sic cap. XIII. *Baal* & *Astheroth;* quæ posteriora (cap. XIII.) videntur explicare priora ut collective sumpta; adeoque indicare, sub generali nomine *Baälim*, etiam *Astheroth* fuisse comprehensa] vel si, uti sæpius contigit, unam eandemque Regionem aut Urbem plura simul, atque inter se diversa numina coluisse;

 luisse;

luisse; hunc *Asthoreth* diversum fuisse numen a *Baale*; masculini tamen generis, ac Deus, non Dea, hoc numen fuit, (quidquid Græci Interpretes ex Græcorum præjudiciis hîc contra clament) cum id ex textu Hebræo (1 Reg. xi.) clarissime elucescat.

Pro Dea tamen Zidoniorum habent vulgo eruditi, eo, uti videtur, adducti a Græcis scriptoribus, Poëtis ac Mythologis & LXX. Interpretibus ipsos secutis; qui id pene perpetuo faciunt Numen fœminini sexus: Quod de hisce Interpretibus minus mirum: eò quod & *Baale* diversis in locis, (Jerem. scilicet xix. 5 & xxxvi. 35. 1 Sam. viii. 13.) fœminini sexus faciant. Non repugno numina Gentilium sæpius utriusque sexus habita; uti Lunus & Luna, pluresque alii, sic utroque genere veniebant; terminationemque hujus vocabuli *Astheroth* esse fœmininam (unde potissimum robur hanc opinionem accepisse credo.) Verum ex solo vocabulo אוב Ob masculino, ejusque (non obstante tali significatione) terminatione fœmininâ, (in plurali אובוא, atque אב quod etiam habet אבות) satis clare patescit, huic fundamento minime esse insistendum. Nec movere nos debet nominis, circa hoc numen, similitudo; quod illa sæpe admodum incerta & fallax sit; atque etymologiæ inde petitæ, opinionesque iis superstructæ, sic quandoque admodum absurdæ, imo & ridiculæ, evadant; neque unquam aliquid solidè demonstrent. At si tamen aliqua Originatio hîc explicanda, certe non illa erit, quæ ab Zidoniorum *Astarte*, atque etiam ex ipsa Græcia, aut Græcorum vicinis Regionibus, repetuntur.

Notandum quoque est, prætensos istos 70. Interpretes (de quibus ulterius loquendi infra dabitur occasio) & Num. xxii. v. ultimo, & 2 Reg. xxi. & xvii, item Hoseæ cap. xi. & Jerem. l. v. 2. Masculinum genus huic Numini attribuisse: Quamvis aliis in locis (sive ex Græcorum fabulis, sive aliunde id haustum fuerit, forsan alibi ulterius disquiram)

ram) fœmininum ipſi adſcribant: ut Hoſ. cap. 11. v. 8. Jer 11. 28. (ubi ſimul & hæc, contra textum Hebraicum verſioni ſuæ, uti ſæpius faciunt, infarciunt: καὶ κατ᾽ ἀριθμὸν διόδων τὴν Ἱερουσαλὴμ ἔθυον τῇ Βάαλι) item pluribus aliis in locis.

Ut autem *Aſthoret* erat Numen tum *Amorrhæorum*, tum *Zidoniorum*; ſic quoque videtur fuiſſe Numen *Philiſthæorum* & *Moabitarum* 1 Sam. XII. Niſi ob cultum Numinum Amorrhæorum Deus Iſraëlitas per Philiſthæos ac Moabitas puniverit. Certe *Baal* ille Zidonorum quem Achabus coluit, cujusque 400 Prophetas in nomine *Baalis* Prophetantes Elias occidit, Numen fuit Zidoniis quoque proprium. Qui ſi non unus idemque cum illo *Aſthoreth* cujus mentio fit 1 Reg. XI. neceſſe eſt, ut ſicut Salomon Deum Zidoniorum *Aſthoreth* coluit, ſic Achabum ipſorum *Baalem* (alium ſc. quam *Aſthoreth* Deum) coluiſſe: quod mihi non ita veriſimile ſit.

Quod porro attinet *Aſtarten Zidoniorum*, iſta appellatio poſteris temporibus mihi videtur per cacozeliam ex *Aſthoreth* vel *Aſtheroth* effiƈta, (ſive a Græcis eo demigrantibus ſive alia quacumque demum occaſione, uti ſemper fere fabularum Origines obſcuræ admodum ſunt) ac ex fabula *Europæ* in Phœniciam deveƈtæ, ne id numen ſe a Syris deſumpſiſſe viderentur.

Lucorum cultus etiam cultui Patrum, tam ultra flumen, quam in Ægypto, poſterior fuiſſe videtur. De quibus *lucis* diſceptari queat, num propter *arbores* in ipſis conſecratas, an propter Deos aut Deorum Aras vel *ſtatuas* ibi poſitas ac conſecratas, culti fuerunt: ac ſi propter Deos, quorum honori ac cultui hi *luci* dedicati fuerant; an fuerint ſtatuæ, τῶν *Baalim*, aut Aſtheroth, aut denique alius quaſi generis Divinitatis ac Deum minorum Gentium, ut *Panum*, *Faunorum*, *Satyrorum*, aliorumve, quæ apud Græcos ac Romanos pro *ſuperum plebe* habebantur, *cultique ruris numinibus*.

CAP. III.

De Origine ac progressu Doctrinæ Dæmoniorum ex Maimonide, ex Græcis (præcipue Platonicis) ac Latinis, cum Ethnicis, tum Christianis, Scriptoribus. Ortus ipsius in Chaldæa; unde transiit in Ægyptum, in Persiam porrò atque Asiam Minorem, in Græciam denique & Italiam, aliasque tam Occidentales quam Orientales mundi plagas. Unde, ac per quales homines obessi Dæmoniis, morbive Dæmoniis attributi, Græcorum vulgo innotuerint.

HInc non male, meo judicio, disquiritur, unde primum isti *mali Dæmones,* quibus tam multa, ac pene plus quam Divina, præter *Divinationes, Oracula, Portenta, Prodigia, Omina* cæteraque hisce similia non ab Ethnicis solum, sed ab ipsis quoque Christianis (quamplurimis saltem) adscribuntur, in Gentilismum tam Græcorum quam Latinorum, hincque ulterius porrò, invecti fuerint.

Quæ de *Zabiis*, seu *Sabæis*, (i. e. vere *Chaldæis*) tradit R. Moses Maimonides, Lib. 3. cap. 29. *More Nevochim*, inter alia sunt hæc sequentia: *Celeberrimus inter hos est liber qui vocatur* חצבודת הנבטיה *(de Agricultura, vel, de cultu Ægyptiorum) quem transtulit Aben Vachaschyach.... Hic liber est plenus insaniarum Idololatricarum, & aliarum rerum ad quas vulgo homines propendunt atque inclinant, de fabricatione, scilicet, imaginum loquentium, de descensu spirituum familiarium, de præstigiis, de Dæmoniis, de Diabolis [NB.] de habitantibus in desertis (quales fuerunt Satyri,) præterea adhuc in eo continentur multa alia ridicula. &c. De Adamo primo narratur ibi, illum in libro suo scripsisse, esse in India arborem quendam cujus ramus in terram projectus instar*

instar serpentis repat: arborem item aliam, cujus radix habet formam humanam. [Confer, quæso, hanc radicem cum illa *Baara*, de qua ridicule nugatur Josephus lib. 7. Belli Judaici] *& vocem vehementem, ac distincta verba edat ac loquatur: item esse certam quandam herbam, quæ si sumatur, atque a collo suspendatur, hominem reddat invisibilem; ita ut non videri possit quonam ingrediatur, vel unde exeat. Quod si vero de illa suffitus sub cælo conficiatur, audiri in vicino aere fragores ac tonitrua horrenda, quamdiu fumus ille ascendit. Hæc, & similia multa deliria, ibi narrantur de virtutibus plantarum ac proprietatibus agriculturæ, quibus Miracula conantur evertere, ac quod singulari tantum solertiâ & industria fiant, persuadere.* Conferas cum hisce, mi Lector, quæ Plinius .... de *Æthiopide herba*, de *Achemenide*, de *Latace*, *de Cynocephale* seu *Osyrite*, aliisque pluribus, ex Orientalium hâc superstitiosa doctrina, affert, ac simul falsè, neque immerito, deridet.

Perantiquos sane hos & alios ipsis similes istarum aliarumque Gentium errores esse, patet ex ipsa S. Scriptura, per quam talia nugamenta Idololatrica quam serio vetantur.

Hoc non inconcinne confirmat idem Maimonides c. XLVI. hoc modo: *Ad hunc modum ex Zabiis quidam fuerunt, qui Dæmonas colebant & existimabant, formam eos Hircorum habere: unde etiam Dæmonas Sehirim (i. e. Hircos) appellabant. Quæ opinio Mosis tempore jam longe lateque per orbem diffusa fuit; sicut ait: Et non sacrificabunt ultra sacrificia sua Laschirim* [*Hircis.*] *Et hinc apud illud hominum genus prohibitus quoque erat esus Hircorum.*

Videmus hîc Dæmonomaniam ex eâdem scaturigine prosilientem, ex qua Idololatria prognata fuit. Quod nec Græci diffitentur; uti ex Diog. Laërtio patet: apud illum enim *Clitarchus* ac *Sotion* testantur, *Chaldæos circa Astronomiæ rationes prædictionesque occupatas fuisse; Magos Deorum va-*

 casse

casse cultui, & preces illos ac vota, quasi soli [*NB.*] *ab iis exaudirentur obtulisse; de Deorum generatione disseruisse. &c. Divinationem præterea prædictionesque excoluisse*, SIBI DEOS APPARERE *asserentes, plerumque esse* DÆMONIBUS *aëra, ac veluti evaporatione cernentium oculis incurrisse.* De solis quidem *Chaldæis* (ex veterum traditione) asserit, *Magicæ illos Divinationis plane ignaros fuisse; Magos verò Ægyptiis priores fuisse, duoque juxta illos* [*NB.*] *esse Principia*, BONUM DÆMONEM *&* MALUM: *Alterum ex his* JOVEM *&* OROMASDEM, *alterum* PLUTONEM *&* ARIMANIUM *dici.*

Plures tamen ac diversas admodum sectas fuisse ex Strabone ac tales quidem, quales ibi excipit Laërtius, inter ipsos (sive a primis initiis, sive, quod potius credam, temporis tractu) minime defuisse, Goëticamque Divinationem aliaque ejus farinæ, ex eodem Strabone non obscure patet. Ita enim is libro XV. Ἀφώριστο ἐν Βαβυλωνίᾳ κατοικία τοῖς ἐπιχωρίοις φιλοσόφοις, τοῖς Χαλδαίοις προσαγορευομένοις, οἳ περὶ ἀστρονομίαν εἰσὶ τὸ πλέον. προσποιοῦνται δέ τινες καὶ γενεθλιαλογεῖν, ὓς ὐ κτ̃πέχονται οἱ ἕτεροι.

Constituta est habitatio peculiaris in Babylonia Philosophis indigenis plurimum Astronomiam tractantibus, qui Chaldæi appellantur. Sunt & ex iis [*NB.*] *qui e natalibus hominum eventura iis vaticinari se profiteantur; Verum a cæteris non probantur.* De quibus eadem, & quidem magis exserve, Diodorus Siculus Lib. 3. tradit.

Chaldæos autem & *Assyrios* pene semper ac perpetuo μαγείας ac γοητείας nomine infamatos fuisse satis abunde constat ex omnibus pene Scriptoribus Antiquis: uti & inde primum scaturiisse, præter Idololatriam, ac Philosophiam, omnem Dæmonomaniam atque omnem denique γοητείαν, seu præstigias artesque θεουργικὰς, quæ *Magicæ* nunc ac *Diabolicæ* inter Christianos appellitantur.

Ex

Ex *Chaldæa* vero & *Assyria* penetrarunt hæc vafrorum hominum commenta atque imposturæ in *Ægyptum* ac *Persiam;* ex *Persia* in *Asiam minorem*, in *Colchin* imprimis, & exinde in *Thessaliam;* & præcipue quidem Zerxis tempore (vel cum ipso potius Zerxe) in *Græciam* devecta videntur: atque inde sic ulterius sui famam, admirationem, imò & stuporem per reliquam Græciam, Italiam quoque, cæterasque mundi Regiones, dispersisse.

A *Chaldæis*, porrò, opinionem illam de *duobus Principiis*, ad *Persas* derivatam, non vero apud *Persas* primum natam esse ut credamus, faciunt illa quæ cum apud Agathiam, tum apud Ammianum Marcellinum reperimus: quorum prior (nempe Agathias) tradit: *Persas sui temporis priores quidem mores fere omnes neglexisse; alienis verò ac veluti adulterinis usos institutis, Zoroastri* [*NB.*] *disciplinâ delinitos; quem quando vixerit Legesque suas condiderit, liquidò non constare; ac sub quonam Hystaspe (sive Darii Patre, sive alio) in ambiguo esse. Quocunque vero tempore vixerit, ipsum eis Auctorem fuisse ac Ducem Magicæ religionis; pristinoque sacrorum ritu immutato confusaneas quasdam ac varias opiniones indixisse* .... *atque exinde* [*NB.*] *illos majori ex parte cum Manichæis convenisse, quatenus duo principia statuebant, unum Bonum ac Creatorem, alterum Malum. &c.* At verba posterioris sunt: *Cui* [Magicæ] *scientiæ seculis priscis multa ex* [*NB.*] *Chaldæorum arcanis Bactrianus addidit Zoroastres: deinde Hystaspes Rex prudentissimus Darii Pater. &c.*

Quænam fuerit Zoroastris hujus circa hæc opinio, nos docet Plutarchus, Lib. de Iside & Osiride: unde pauca solum decerpam; reliqua Lector harum rerum paulo curiosior, ibi facile inveniet, ac cum voluptate leget, hoc modo: *Is ergo Zoroastres Melioris nomen Oromazen, pejoris Arimanim perhibuit: addiditque hoc enunciatum de rebus sub sensum cadentibus,*

tibus, illum maxime similem esse Luci; hunc tenebris & ignorationi: Medium horum esse Mithram. Quæ causa est quod Persæ Mithram Mesiten (Mediatorem) nuncupant; docuitque votivas, & pro gratiis agendis victimas illi immolandas, huic averruncandi mali causâ institutas, ac quidem tetricas. &c. Quæ ibidem de *Chaldæis* addit sunt hæc sequentia: *Chaldæi Planetas Deos faciunt, quorum duos beneficos, totidem maleficos, reliquos tres medios affirmant & promiscuos. Græcorum opinio nemini fere ignota est, qui Bonam partem Jovi Olympio, Malam Diti averrunco adsignant: & Harmoniam* (quasi concinnitatem) *e Venere & Marte natam. &c.* Quæ ex quo fonte fluxerint facile quivis videre queat: uti & unde tum Heracliti, tum Empedoclis, tum Pythagoræ, tum Platonis, tum denique aliorum, opiniones circa hæc Originem traxerint.

De Thalete enim Diogenes Laërtius narrat, istum statuisse τὸν κόσμον εἶναι ἔμψυχον καὶ δαιμόνων πλήρη, *Mundum animatum esse ac plenum Dæmonibus.* De Pythagora testatur, ipsum (prout Alexander ἐν ταῖς τῶν φιλοσόφων διδαχαῖς narravit) *in commentariis suis scripsisse*, εἶναι πάντα τὸν ἀέρα ψυχῶν ἔμπλεον. καὶ τούτους δαίμονάς τε καὶ ἥρωας νομίζεσθαι καὶ ὑπὸ τούτων πέμπεσθαι ἀνθρώποις τοὺς ὀνείρους καὶ τὰ σημεῖα νόσου τε καὶ ὑγιείας. καὶ οὐ μόνον ἀνθρώποις, ἀλλὰ καὶ προβάτοις, καὶ τοῖς ἄλλοις κτήνεσιν εἰς τε τούτους γίνεσθαι τούς τε καθαρμοὺς καὶ ἀποτροπιασμοὺς, μαντικήν τε πᾶσαν καὶ κληδόνας καὶ τὰ ὅμοια. *Totum aerem plenum esse animis, eosque & Dæmonas & Heroas existimari; atque ab his immitti hominibus somnia, & signa morborum & sanitatis: neque solum hominibus, verum & pecudibus & jumentis reliquis; atque ad hos referri Lustrationes, & Divinationem omnem, & Vaticinia, & cætera id genus.*

Sic idem ille (testante eodem Laërtio) statuebat θεοὺς μὲν δαιμόνων προτιμᾶν. ἥρωας δὲ, ἀνθρώπων. ἀνθρώπων δὲ μάλιστα γονέας. *Deos quidem Semideis in honore præferendos, hominibus autem Heroas, parentes vero hominibus cæteris.*

Pla-

Platonem quod attinet, is in Cratylo exserte satis exprimit quid per Dæmonas intelligat, atque unde ortum trahant, hoc sequenti modo: ΣΩ. Οἶσθα οὖν τίνας φησὶν Ἡσίοδος εἶναι τοὺς δαίμονας; ΕΡ. Οὐκ, ἐννοῶ. ΣΩ. Οὐδὲ ὅτι χρυσοῦν γένος τὸ πρῶτον φησὶ γενέσθαι τῶν ἀνθρώπων; ΕΡ. Οἶδα τοῦτο γε. ΣΩ. Λέγει τοίνυν περὶ αὐτοῦ...

Αὐτὰρ ἐπεὶ τοῦτο γένος κατὰ μοῖρ' ἐκάλυψεν
Οἱ μὲν δαίμονες ἁγνοὶ ἐπιχθόνιοι καλέονται
Ἐσθλοί, ἀλεξίκακοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

ΕΡ. Τί οὖν δή; Ὅτι οἶμαι ἐγὼ λέγειν αὐτὸν τὸ χρυσοῦν γένος οὐκ ἐκ χρυσοῦ πεφυκὸς, ἀλλ' ἀγαθόν τε καὶ καλόν. τεκμήριον δέ μοί ἐστιν, ὅτι καὶ ἡμᾶς φησὶ σιδηροῦν εἶναι γένος. ΕΡ. Ἀληθῆ λέγεις. ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ τῶν νῦν ὅστις ἂν φάναι αὐτὸν εἴ τις ἀγαθός ἐστιν, ἐκείνου τοῦ χρυσοῦ γένους εἶναι; ΕΡ. Εἰκός γε. ΣΩ. Οἱ δ' ἀγαθοὶ, ἄλλο τι ἢ φρόνιμοι; ΕΡ. Φρόνιμοι; ΣΩ. Τοῦτο τοίνυν παντὸς μᾶλλον λέγει (ὡς ἐμοὶ δοκεῖ) τοὺς δαίμονας, ὅτι φρόνιμοι καὶ δαήμονες ἦσαν, δαίμονας αὐτοὺς ὠνόμασε. καὶ ἔν γε τῇ ἀρχαίᾳ τῇ ἡμετέρᾳ φωνῇ αὐτὸ συμβαίνει τὸ ὄνομα. λέγει οὖν καλῶς καὶ οὗτος καὶ ἄλλοι ποιηταὶ πολλοὶ, ὅσοι λέγουσιν, ὡς ἐπειδάν τις ἀγαθὸς ὢν τελευτήσῃ μεγάλην μοῖραν καὶ τιμὴν ἔχει, καὶ γίνεται δαίμων, κατὰ τὴν τῆς φρονήσεως ἐπωνυμίαν. ταύτῃ οὖν τίθεμαι καὶ ἐγὼ, τὸν δαήμονα πάντ' ἄνδρα, ὃς ἂν ἀγαθὸς ᾖ, δαιμόνιον εἶναι καὶ ζῶντα καὶ τελευτήσαντα. καὶ ὀρθῶς δαίμονα καλεῖσθαι. &c. SOC. *Scisne quos Hesiodus* δαίμονας *esse inquit?* HER. *Non.* SOC. *Neque etiam quod aureum genus hominum, ait in principio extitisse?* HER. *Hoc quidem novi.* SOC. *Ait enim ex hoc genere post præsentis vitæ fata fieri* DÆMONAS, *Sanctos, terrestres, optimos. malorum expulsores, & custodes hominum.* HER. *Quid tum?* SOC. *Nempe arbitror illum vocare aureum genus, non ex auro constitutum, sed bonum atque præclarum. Quod inde conjicio, quod genus nostrum ferreum esse dicat.* HER. *Vera narras.* SOC. *Annon putas, si quis nunc ex nostris bonus sit, aurei hunc generis ab Hesiodo æstimari?* HER. *Consentaneum est.* SOC. *Boni autem suntne*

aliud quiddam quam prudentes? Her. *Prudentes.* Soc. *Idcirco, ut arbitror, eos* Dæmones *præcipuè nuncupat, quia sapientes & δαήμονες scientes erant. Et ex nostra istud prisca lingua nomen existit. Quamobrem & is & cæteri Poetæ permulti præclare loquuntur, quicunque ajunt, videlicet, quod postquam bonus aliquis vita functus est, maximam dignitatem præminumque sortiatur, fiatque Dæmon, secundum sapientiæ cognomentum. Ita & ipse Assero,* δαήμονα *i. e.* Sapientem *omnem esse hominem, quicunque sit bonus, cumque* Dæmonicum *esse, i. e. felicem, viventem atque defunctum, rectèque* Dæmonem *nuncupari.*

De hoc Hesiodo (simul atque Homero) hæc sequentia. Plutarchus; quæ tamen paulò altius repetenda duco: Εὖ μὲν οὖν λέγουσιν οἱ λέγοντες ὅτι Πλάτων τὸ ταῖς γενομέναις ποιότησιν ὑποκείμενον στοιχεῖον ἐξευρῶν, ὃ νῦν ὕλην καὶ φύσιν καλοῦσιν πολλῶν ἀπήλλαξε καὶ μεγάλων ἀπορειῶν τοὺς Φιλοσόφους. ἐμοὶ δὲ δοκοῦσι πλείονας λῦσαι καὶ μείζονας ἀπορείας οἱ τὸ τῶν Δαιμόνων γένος ἐν μέσῳ Θεῶν καὶ Ἀνθρώπων, καὶ τρόπον τινὰ τὴν κοινωνίαν ἡμῶν συνάγον εἰς ταὐτὸ καὶ συνάπτον ἐξευρόντες. εἴτε Μάγων τῶν τε περὶ Ζωροάστρην ὁ λόγος οὗτός ἐστιν, εἴτε Θρᾴκιος ἀπ' Ὀρφέως, εἴτ' Αἰγύπτιος ἢ Φρύγιος, ὡς τεκμαιρόμεθα ταῖς ἑκατέρωθι τελεταῖς, ἀναμεμιγμένα πολλὰ τὰ θνητὰ καὶ πένθιμα ἵνα τῶν ὀργιαζομένων καὶ δρωμένων ἱερῶν ὁρῶντες. Ἑλλήνων δὲ Ὅμηρος μὲν φαίνεται κοινῶς ἀμφοτέροις χρώμενος τοῖς ὀνόμασι, καὶ τοὺς Θεοὺς ἔστιν ὅτε Δαίμονας προσαγορεύων. Ἡσίοδος δὲ καθαρῶς καὶ διωρισμένως πρῶτος ἐξέθηκε τῶν λογικῶν τέσσαρα γένη, Θεούς, εἶτα Δαίμονας πολλοὺς καὶ ἀγαθούς, εἶτα Ἥρωας, εἶτα Ἀνθρώπους &c. *Scitum est, quod dicitur, a Platone Philosophos magnis multis difficultatibus esse liberatos: sed mihi majores & plures dubitationes ac scrupulos exemisse videntur qui* Dæmonum *genus inter homines & Deos interjectum, qui quodam modo societatem nostram in unum concilient atque conjungant, invenere; sive Magorum & Zoroastris istud inventum est, sive Ægyptiorum sit, sive Phrygum, ut ex utrorum initiis conjici-*

jicimus, in quibus sacrorum ceremonias ac ritus admixtum nescio quid mortale & luctuosum præ se ferre videmus. Ac de Græcis quidem Homerus promiscue nominibus uti videtur, & DEOS *nonnunquam* DÆMONUM *vocabulo afficere. Hesiodus autem princeps dilucide ac distinctè quatuor genera animantium ratione præditorum explicavit: Primùm* DEOS, *mox* DÆMONAS *multos & bonos, deinde* HEROAS, *postremo* HOMINES: *unde mutationem ducere videtur, aurei quidem generis in* DÆMONAS *multos bonosque, Semideis in* HEROUM *partem secretis.*

Addamus jam hisce quæ habet ipse Plato in Convivio suo. Καὶ γὰρ πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ. Τίνα (ἦν δ' ἐγώ) δύναμιν ἔχον; Ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ τῶν θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν. ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφοτέρων συμπληροῖ, ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὐτῷ ξυνδεδέσθαι. διὰ τούτου καὶ ἡ μαντικὴ πᾶσα χωρεῖ, καὶ ἡ τῶν ἱερείων τέχνη τῶν τε περὶ τὰς θυσίας καὶ τὰς τελετὰς καὶ τὰς ἐπῳδὰς, καὶ τὴν μαντείαν πᾶσαν καὶ γοητείαν. θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ μὴ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους, καὶ ἐγρηγορόσι καὶ καθεύδουσι. καὶ ὁ μὲν περὶ τὰ τοιαῦτα σοφὸς, δαιμόνιος ἀνήρ. *Etenim omnis natura Dæmonum inter mortales Deosve est media. Quam vim habet? Interpretatur, inquit, & trajicit humana ad Deos, Divina ad homines: horum quidem preces & sacrificia, illorum præcepta & sacra solennia, institutiones & ordinem. In utroque medio constituta totum complet, ut universum secum ipso tali vinculo connectatur. Per hanc vaticinium omne procedit, sacerdotumque diligentia circa sacrificia expiationesque & incantationes & Divinationem omnem atque Magicam. Deus quidem homini non miscetur, sed per id medium commercium omne atque colloquium inter Deos hominesque conficitur, & vigilantibus nobis & dormientibus. Quicumque harum rerum peritus est,* δαιμόνιος, *i. e. felix vir & sapiens nominatur.*

Hic denique idem Plato *Nemesin* appellat Δίκης ἄγγελον, cum Lib. IV. de Legibus, ait: διότι κούφων καὶ πτηνῶν λόγων βαρυτάτη ζημία. πᾶσι γὰρ ἐπίσκοπος τοῖς περὶ τὰ τοιαῦτα ἐτάχθη Δίκης Νέμεσις Ἄγγελος. *Levium enim volatiliumque verborum gravissima imminet pœna. Nam omnibus præposita est* NEMESIS *Judicii* ANGELUS, *hujusmodi omnium consideratrix.* Ita (ut hoc in transitu moneam) *Angelorum* nomen & Platoni non ignotum fuerit, uti nec insolitum de Dîs id apud Poëtas.

Ut autem hîc Plato nullos nisi *bonos Dæmonas* agnoscit, sic pertendit illos minime esse Mendaces, lib. 2. de Republ. Quos *Dæmones* interim (uti clarissime ex eodem libro, uti & aliis patet) *Deos* vocat, ac pro *Deis* habet dum *Deos Heroibus* conjungit. Unde optime G. J. Vossius (cap. XII. de Philosophorum sectis: *Cognovit Plato unum esse Deum summum opificem Universi: sed præter eum statuit* DEOS *duplices*, DÆMONES *&* HEROAS: quibus & *ipsis sacra fieri jussit.*

Apulejus, vero ex mente ac persona Platonis, ita loquitur: *Non usque adeo sejunctos & alienatos a nobis Deos prædico, ut ne vota quidem nostra arbitrer pervenire. Neque enim illos sacris rerum humanarum, sed a contrectatione solâ removi. Cæterum sunt quædam Divinæ Mediæ potestates, inter summum æthera & infimas terras, in isto intersitæ aëris spatio, per quas & desideria nostra, & Merita ad Deos commeant. Hos Græco nomine* δαίμονας *nuncupant, inter* MORTALES *Cœlicolasque* (i. e. *Deos Cœlestes*) *vectores, hinc precum inde* DONORUM: *qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde suppetias, ceu quidam utrinque Interpretes & salutigeri: Per hos eosdem, ut Plato in symposio autumat, cuncta denuntiata, & Magorum varia Miracula, omnesque præsagiorum species reguntur. Eorum quippe de numero præditi curant singuli eorum providè, ut cuique est tri-*

buta

buta Provincia , vel somniis confirmandis , vel extis Physiculandis, vel præpetibus gubernandis, vel oscinibus erudiendis, vel vatibus inspirandis , vel fulminibus jaculandis, vel nubibus corruscandis, &c. ibi legenda.

Hactenus *bonos* quidem habemus *Dæmones;* quorum ipse Plato nullos *malos* agnovit. Verum ne nimium istis gaudeamus , posteriores Platonici nobis & *malos Dæmonas* producunt.

Non obscure id patet ex hoc ipso Apuleio; qui, eo ipso libro de Deo Socratis (nam quæ in Asino aureo profert plane ludendi ac ridendi gratia conficta videntur) ita, nonnullis interjectis, pergit: *Quapropter debet Deus nullam perpeti vel operis vel amoris temporalem perfunctionem , & idcirco nec indignatione nec ira contingi, nullo angore contrahi, nullâ alacritate gestire: sed ab omnibus passionibus animi liber, nec dolere unquam, nec aliquando lætari, nec aliquid repentinum velle vel nolle. Sed & hæc cuncta ut genus cætera, Dæmonum mediocritati congruunt. Sunt enim inter homines & Deos*, UT LOCO REGIONIS, ITA INGENIO MENTIS *intersiti, habentes communem cum Superis immortalitatem, cum Inferis passionem. Nam perinde ut nos, pati possunt omnia animorum placamenta vel incitamenta , ut & ira incitentur, & Misericordia flectantur, & donis inviten-tur, & præcibus leniantur, & contumeliis exasperentur, & honoribus mulceantur , aliisque omnibus , ad similem nobis modum varientur. Quippe, ut fine comprehendam, Dæmones sunt genere animalia , ingenio rationabilia , animo passiva, corpore aëria, tempore æterna. &c.*

Poëtæ quidem Græci [ac post illos istud e Græcis imitatorum servum Pecus] plurima confinxerunt de *Dîs* ac *Dæmonibus*, ob quæ Plato ipsos e Republica exterminatos voluit. Quare sub finem modò adducti lib. 2. de Republica , inter alia ita loquitur: Μηδεὶς ἄρα (ἦν δ' ἐγώ) ὦ ἄριστε, λεγέτω ἡμῖν

τῶν ποιητῶν, ὡς..... θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι, Παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πόληας. μηδὲ Πρωτέως καὶ Θέτιδος καταψευδέσθω μηδείς. μηδ' ἐν τραγῳδίαις, μηδ' ἐν τοῖς ἄλλοις ποιήμασιν εἰσαγέτω Ἥραν ἠλλοιωμένην ὡς ἱέρειαν, ἀγείρουσαν Ἰνάχου Ἀργείου ποταμοῦ παισὶ βιοδώροις· καὶ ἄλλα τοιαῦτα πολλὰ μὴ ἡμῖν ψευδέσθωσαν. μηδ' αὖ ὑπὸ τούτων ἀναπειθόμεναι αἱ μητέρες τὰ παιδία ἐκδειματούντων, λέγουσαι τοὺς μύθους κακῶς, ὡς ἄρα (NB.) θεοί τινες περιέρχονται νύκτωρ, πολλοῖς ξένοις καὶ παντοδαποῖς ἰνδαλλόμενοι. ἵνα μὴ ἅμα μὲν εἰς θεοὺς βλασφημῶσιν, ἅμα δὲ τοὺς παῖδας ἀπεργάζωνται δειλοτέρους. *Nullus igitur Poëtarum nobis, ô vir optime, dicat, Deos hoſpitibus ſimiles variis in formis urbes adire. Neque aliquis de Proteo & Thetide ſimilia mentiatur, neque in Tragœdiis, aut aliis Poëmatibus, inducat Junonem in Sacerdotis ſpeciem permutatam Inachi Argivi fluminis filiis vita donatis munera colligentem. Neque [NB.] Matres vanis his fabulis perſuaſæ pueros terreant, dicentes Deos quosdam noƈte circumvagari, multis ac variis ſub formis decipientes;* [ἰνδαλλόμενοι] *ne ſimul & in Deos maledicant & pueros timidiores reddant.*

Homeri tamen (cujus dolium Jovis, uti & alia plura, a Platone exploduntur, imò & ipſe Homerus ex iſtius Republica) Heſiodi, aliorumque Poëtarum, (tam Pindari, quam aliorum) teſtimonia adducunt; uti & ipſorum auƈtoritate, circa hanc materiam abutuntur, poſteriores, tum Pythagorici, tum Platonici & Academici.

Patet hoc ex Plutarcho: qui, Dialogo de Oraculorum defeƈtu (dum interim de *Dæmonum* munere cum Platone ſentit) ita loquitur, poſtquam nonnulla ex mente Platonis, de Providentia Dei, ac de *intermediis Dæmonibus*, ſeu *Dis Medioxumis* (uti Latinis vocantur,) diſſeruerat: Ἡμεῖς δὲ μή τε μαντείας τινὰς ἀθειάστους εἶναι λέγοντας, ἢ τελετὰς καὶ ὀργιασμοὺς ἀμελουμένους ὑπὸ θεῶν, ἀκούωμεν· μήτ' αὖ πάλιν τὸν θεὸν ἐν τούτοις ἀναστρέφεσθαι καὶ παρεῖναι καὶ συμπραγματεύεσθαι δοξάζωμεν, ἀλλ' οἷς δίκαιόν ἐστι ταῦτα λειτουργοῖς θεῶν ἀνατιθέντες, ὥσπερ ὑπηρέταις καὶ γραμ-

γραμματεῦσι, δαίμονας νομίζωμεν ἐπισκόπους θεῶν ἱερῶν καὶ μυστηρίων ὀργιαστάς· ἄλλους δὲ τῶν ὑπερηφάνων καὶ μεγάλων τιμωροὺς ἀδικιῶν περιπολεῖν. τοὺς δὲ πάνυ σεμνῶς ὁ Ἡσίοδος ἁγνοὺς προσεῖπε πλουτοδότας, καὶ τοῦτο γέρας βασιλήιον ἔχοντας, ὡς βασιλικοῦ τοῦ εὖ ποιεῖν ὄντος. Εἰσὶ γὰρ ὡς ἐν ἀνθρώποις καὶ δαίμοσι ἀρετῆς διαφοραὶ &c. Ἑορτὰς δὲ καὶ θυσίας ὥσπερ ἡμέρας ἀποφράδας καὶ σκυθρωπὰς ἐν αἷς ὠμοφαγίαι καὶ διασπασμοὶ νηστεῖαί τε καὶ κοπετοὶ, πολλαχοῦ δὲ πάλιν αἰσχρολογίαι πρὸς ἱεροῖς, μανίαι τε ἄλλαι ὀρινόμεναι ἐψαύχενι σὺν κλόνῳ, θεῶν μὲν οὐδενὶ, δαιμόνων δὲ φαύλων, ἀποτροπῆς ἕνεκα φήσαιμι ἂν τελεῖν μειλίχια καὶ παραμύθια· καὶ τὰς πάλαι ποιουμένας ἀνθρωποθυσίας οὔτε θεοὺς ἀπαιτεῖν ἢ προσδέχεσθαι πιθανόν ἐστιν, οὔτε μάχην ἀνέχοντο βασιλεῖς καὶ στρατηγοὶ, παῖδας αὐτῶν ἐπιδιδόντες καὶ καταρχόμενοι καὶ φυλάττοντες, ἀλλὰ χαλεπῶν καὶ δυστρόπων ὀργὰς καὶ βαρυθυμίας ἀποσειόμενοι καὶ ἀποπιμπλάντες ἀλαστόρων. ἐνίων δὲ μανικοὺς καὶ τυραννικοὺς ἔρωτας, οὐ δυναμένων οὐδὲ βουλομένων σώμασι καὶ διὰ σωμάτων ὁμιλεῖν. ἀλλ' ὥσπερ Ἡρακλῆς Οἰχαλίαν ἐπολιόρκει διὰ παρθένον, οὕτως ἰσχυροὶ καὶ βίαιοι δαίμονες. ἐξαιτούμενοι ψυχὴν ἀνθρωπίνην περιεχομένην σώματι, καὶ διὰ σωμάτων ὁμιλεῖν οὐ δυνάμενοι ταύτῃ, λοιμοὺς τε πόλεσι καὶ γῆς ἀφορίας ἐπάγουσι, καὶ πολέμους καὶ στάσεις ταράττουσιν, ἄχρις οὗ λάβωσι καὶ τύχωσιν οὗ ἐρῶσιν . . . .

Καὶ μὴν ὅσας ἔν τε μύθοις καὶ ὕμνοις λέγουσι καὶ ᾄδουσι, τοῦτο μὲν ἁρπαγάς, τοῦτο δὲ πλάνας θεῶν, κρύψεις τε καὶ φυγὰς καὶ λατρείας, οὐ θεῶν εἰσιν ἀλλὰ δαιμόνων παθήματα, καὶ τύχαι μνημονευόμεναι δι' ἀρετὴν καὶ δύναμιν αὐτῶν. καὶ οὔτε Αἰσχύλος εἶπεν ἁγνόν τε Ἀπόλλω φυγάδα ἀπ' οὐρανοῦ θεὸν, οὔτε ὁ Σοφοκλέους Ἄδμητος, οὑμὸς δ' ἀλέκτωρ αὐτὸν ἦγε πρὸς μύλην. πλεῖστον δὲ τῆς ἀληθείας διαμαρτάνουσιν οἱ Δελφῶν θεολόγοι, νομίζοντες ἐνταῦθα ποτὲ πρὸς ὄφιν τῷ θεῷ περὶ τοῦ χρηστηρίου μάχην γενέσθαι. καὶ ταῦτα ποιητὰς καὶ λογογράφους ἐν θεάτροις ἀγωνιζομένους λέγειν ἐῶντες, ὥσπερ ἐπίτηδες ἀντιμαρτυροῦντας ὧν δρῶσιν ἱεροῖς τοῖς ἁγιωτάτοις. *Nos autem nec eos audiamus qui Divinationem aliquam esse censent Numinis expertem, neque qui Initia aut Orgia ulla a Diis negligi prædicant, neque tamen in iis Deum versari, interesse, implicari*

cari

cari censeamus; sed quibus jus fasque est, Deorum Ministris, ea attribuentes, tanquam accensis ac scribis, Dæmonas quosdam arbitros Divinorum sacrorum & Initiorum auspices & auctores, alios scelerum gravium & immanium vindices terram lustrare putemus: Quosdam etiam Hesiodus rite sanctos, munificos, regale hoc munus habentes, appellavit, quod bene mereri regium sit. Est enim ut in hominibus, item in Dæmonibus virtutis dissimilitudo &c.

ac Paulo post

Cæterum ferias & sacrificia, tanquam dies, nefasta & tristia, in quibus epulæ crudæ, & laniatus, jejunia, & planctus, sæpe numero etiam verborum obscœnitates versantur, furoris quoque & ululatus concitationes cum capitis jactatione; NEMINI DEORUM, *sed ad depulsionem malorum Dæmonum fieri affirmaverim*, UT PLACENTUR ATQUE LENIANTUR. *Et, vero vetusta illa sacrificia humanarum hostiarum, neque Dis optanda, neque grata fuisse verisimile est: nec temere Reges & Duces suos dabant liberos, eosque ipsi mactabant ac jugulabant: sed ut iracundiam & acerbitatem* DIRORUM GENIORUM (Ἀλαστόρων) AVERRUNCARENT *atque satiarent: nonnullorum etiam insanos & tyrannicos amores explerent: qui cum corporibus & per corpora consuescere, quum neque possint neque velint, ut Hercules amore puellæ captus Oechaliam obsedit, sic* PRÆPOTENTES VIOLENTIQUE DÆMONES HOMINIS ANIMUM CORPORE CLAUSUM DEDI SIBI POSCENTES, QUUM CORPORIS INTERVENTU EO FRUI NON POSSINT, CIVITATIBUS PESTILENTIAS, & AGRORUM STERILITATES INVEHUNT, BELLA ET SEDITIONES MISCENT; DONEC DELICIIS ET AMORIBUS SUIS POTIANTUR *&c..... Jam vero quotquot in fabulis & hymnis celebrant & canunt Deorum raptus errores, latebras, fugas, servitutes, non Deorum, sed Dæmonum casus sunt & even-*

& eventa ex Personarum potentiâ & virtute memorabilia: ac sane sic dixit Æschylus:

Et castum Apollinem exulem a cœlo Deum.

Sic Sophocleus ille Admetus:

Illum excibat gallus ad molam meus.

Plurimum autem a vero aberrant DELPHORUM THEOLOGI, *qui quidem credunt hic Deo cum serpente de Oraculo certamen fuisse; atque ista sinunt Poetas & Oratores in Theatri commissionibus dicere, velut de industria testimonio ea oppugnantes quæ in religiosissimis sacris faciunt.*

Empedocles non solus, verum ipse Plato, inter illos, a Plutarcho nominantur, qui *malos* quoque *Dæmones* ponebant. Quod de Platone certe plane falsum; ac de Empedocle (qui uti volunt Pythagoræ Auditor fuit) non constat. Ex Satyro quidem Diogenes Laërtius tradit, ipsum Magicis artibus deditum fuisse; verum de ipsius morte (ne de aliis ejus factis scriptisque aliquid dicam) tam mira, tam multa ac tam plane diversa, ac sibi interse contraria, narrantur; ut ista, quæ de Magicis ipsius artibus dicuntur, merito nobis suspecta sint. Namque ut unicum tantum exemplum afferam, narrat Heraclides apud Laërtium, post mulierem ab ipso e morte suscitatam, eum disparuisse atque in cœlum raptum fuisse. Ast isti Heraclidi (testante hoc ipso Laërtio) *Consuetudo erat Miracula talia confingere, cum & hominem e Luna fuisse delapsum narret.*

Posteriores igitur Platonici *malos Dæmones*, quorum nulla mentio apud ipsum Platonem, introduxerunt: atque hinc introducti in Philosophiam (ne Poëtæ talibus soli gauderent) tum ab aliis tum a Plutarcho, non tantum *Nymphæ*, *Najades*, *Hamadryades* similiaque monstra, ut Divinitates; verum & mali *genii*, *Dæmones* atque *Alastores*. Quin & hinc tam fabulosè, imo planè ridicule, ipsorum mortes atque interitus.

Quæ Apulejus (libro de Deo Socratis) habet, sunt, inter alia, hæc sequentia, quibus asserit, *Varias species Divinorum Numinum a Philosophis perhiberi &c. Nam quodam significatu (ait,) & animus humanus, etiam nunc in corpore situs,* Dæmon *nuncupatur,* Dline hunc ardorem mentibus addunt Euryale? an sua cuique Deus sit dira Cupido? Igitur bona cupido *animi Deus bonus est. Unde nonnulli arbitrantur, ut jam prius dictum est;* δαίμονας *dici beatos, quorum* Dæmon bonus; *i. e. animus virtute perfectus est. Quem nostra linguâ, ut ego interpretor, haud sciam an bono, certe quidem meo periculo, poteris* Genium *vocare; quod is Deus qui est animus sui cuique, quanquam sit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur, ut eæ preces, quibus* Genium *precamur ad conjunctionem nostram. Nec desunt qui mihi videantur obtestari, corpus atque animum duobus nominibus comprehendentes, quorum communio & copulatio sumus: ut secundo significatu species* Dæmonum *sit animus humanus exutus & liber stipendiis vitæ corpore suo abjurans. Hunc veteres Latina lingua reperio* Lemurem *dictitatum. Ex hisce ergo* Lemuribus *qui posterorum suorum curam sortitus, pacato & quieto numine domum possidet,* Lar *dicitur familiaris. Qui verò propter adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus, incerta vagatione, seu quodam exilio punitur, inane* terriculamentum *bonis hominibus, cæterum noxium malis, hunc plerique* Larvam *perhibent. Cum vero incertum est quæ cuique sortitio evenerit utrum* Lar *sit an* Larva, *nomine* Manem Deum *nuncupant, & honoris gratia Dei nomen additum est. Quippe cum eos* Deos *appellent, qui ex eorum numero juste ac prudenter vitæ curriculo gubernato, pro Numine postea ab hominibus habiti, fanis & cærimoniis Vulgo advertuntur; ut in Bœotia Amphiaraus, in Africâ Mopsus, in Ægypto Osiris,*

alius

alius alibi gentium, Æsculapius ubique. Verum hæc omnis distributio eorum Dæmonum fuit, qui in corpore humano fuere. Sunt autem non posteriores numero, præstantiori longè dignitate, superius aliquid augustiusque genus Dæmonum, qui semper a corporis compedibus, & nexibus liberi, certis potestatibus curant. Quorum e numero somnus atque Amor diversam inter se vim possident; Amor vigilandi, somnus soporandi. Ex hâc ergo sublimiori Dæmonum copia Plato autumat singulis hominibus, in vita agenda testes & custodes singulos additos, qui nemini conspicui semper adsint, Arbitri omnium non modo actorum verum etiam cogitatorum. At ubi vita edita remeandum est; eundem illum qui nobis præditus fuit, aptare dico & trahere veluti custodiam suam ad judicium, atque illic in causa dicenda adsistere; si qua commentiatur redarguere; si qua vera dicat adseverare; prorsus illius testimonio ferri sententiam.

Servius vero ad I. Georgicôn ait: GENIUM *dicebant Naturalem Deum uniusque loci, rei, aut hominis.* Unde & Censorinus: GENIUS *ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat; sed ab utero matris acceptus ad extremum vitæ diem comitetur.* Hujusmodi duo unicuique hominum (ex veterum quorundam opinione) appositi erant, unus Bonus, alter Malus; vel saltem ejusmodi aliquis (secundum alios) qui nunc bonus nunc malus esset. De hoc autem *Genio* Horatius Epistolâ 2. libri 2. *Scit Genius natale comes qui temperat Astrum, Naturæ Deus humanæ, mortalis in unumquodque caput: Vultu mutabilis albus & ater.*

Ut autem vulgatissima fama est de *Socratis Dæmonio* ast bono, ipsum semper (secundum proprium testimonium) concomitante; sic de Bruti *malo Genio* nobis fabulam narrat Plutarchus in vita J. Cæsaris, uti & de *malo (loci) Genio* apud Telmessenses (qui ex Oraculi monitu ipsi placando

Templum erexerant, virginemque quotannis pulcerrimam devoverant) per Euthymum armis devicto; idem facit Pausanias, in Eliacorum posteriore, seu libro sexto Descriptionis Græciæ.

Quod de eodem *Genio* nunc bono nunc malo, vel potius ad judicium homines post mortem trahente, tradunt hujusmodi Gentiles, an non ex Chaldæismo hauserint (unde Judæi id habuerunt, atque uni eidemque Angelo *Metatron* attribuerunt) judicet æquus Lector ex Talmudistis, qui (Chagiga. fol. 15.) dicunt: דאתיה יבא ליה רשותא למיכיב זכוותא דישראל *Quod data sit ei potestas ut sedeat & conscribat merita Israëlitarum. Quodque rursus ei sit quoque potestas* למימחק זכוותא *delere merita ipsorum.*

Quæ vero Porphyrius habet videmus cum ex fragmentis ejus Epistolæ ad Annebonem, tum ex libro de non esu animantium, tum ex Eusebio, tum denique ex Augustino; qui postremus compendiose hæc sequentia ex modo memorata epistola [libr. 10. de Civitate Dei] adduxit, ac de ipsius opinione ita loquitur: *Quosdam namque malignos Dæmonas more appellat aliorum, cum omnes generaliter imprudentes fateatur. Miratur autem quod non solum Dii alliciantur victimis, sed etiam compellantur atque coguntur facere quod homines volunt. Et si corpore & incorporalitate Dii a Dæmonibus distinguuntur, quomodo Deos existimandum Solem & Lunam & visibilia cætera in Cœlo, quæ corporea esse non dubitatur. Et si Dii sint, quomodo alii Benefici alii Malefici esse dicantur, & quomodo incorporalibus cum sint corporei conjungantur. Quærit enim veluti dubitans utrum* [NB] *in Divinantibus, & quædam mira facientibus animæ sint potentiores; an aliqui Spiritus extrinsecus veniant per quas hæc valeant: & potius venire extrinsecus conjicit, eo quod, lapidibus & herbis adhibitis, & alligent quosdam, & aperiant clausa ostia, vel aliquid ejusmodi mirabiliter operentur. Unde dicit*

dicit alios opinari esse quoddam genus, cui EXAUDIRE *sit proprium, naturâ fallax, omniforme, multimodum, simulans Deos & Dæmonas & animas defunctorum, & hoc esse quod efficiat hæc omnia; quæ videntur bona esse vel prava. Cæterum circa ea quæ vere bona sunt nihil opitulari, imò verò ista nec nosse, sed & male conciliare & insimulare, atque impedire nonnunquam virtutis sedulos sectatores, & plenum esse temeritatis, festis gaudere nidoribus, adulationibus capi, & cætera quæ de hoc genere fallacium malignorumque spirituum, quæ extrinsecus in animam veniunt humanosque sensus sonitos vigilantesve deludunt*, &c. Ac paulo inferius: *Quærit enim cur tanquam melioribus invocatis, quasi pejoribus imperetur, ut injusta hominis præcepta exequantur: cum re venereâ non exaudiant imprecantem, cùm tamen ipsi ad incestos quosque concubitus quoslibet ducere non morentur: cur ab animantibus suos Antistites opportere attractum abstinere denuntient, ne vaporibus profectò corporeis polluantur: ipsi verò & aliis vaporibus illiciantur & nidoribus hostiarum: cùmque a cadaveris contactu prohibeatur inspector* [ἐπόπτης] *plerumque illa cadaveribus celebrentur: Quid sit, quod non Dæmoni vel alicui animæ defuncti, sed aut ipsi Soli aut Lunæ aut cuicunque cælestium homo cuilibet vitio obnoxius intendit minas, eosque territat falsò, ut eis extorqueat veritatem. Nam & cælum se collidere comminantur, & cætera similia homini impossibilia, ut illi Dii, tanquam insipientissimi pueri falsis ac ridiculis comminationibus territi, quod imperatur efficiant. Dicit etiam scripsisse Chæremonem quendam talium sacrorum, vel ipsius sacrilegiorum peritum, ea quæ apud Ægyptios sunt celebrata rumoribus, vel de Iside, vel de Osiride marito ejus, maximam vim habere cogendi Deos, ut faciant imperata, quando ille qui carminibus cogit ea se prodere vel evertere comminatur: ubi se etiam Osiridis membra dissipaturum terribiliter dicit, si facere justa neglexerint.*

Hæc postrema tamen ab ipso Porphyrio commodius ac clarius exponuntur, hoc modo: [Græca compendii causa omitto] *Quodque omnium absurdissimum est, non jam vulgari cuipiam Dæmoni* [τῷ μὴ δαίμονι εἰ τύχοι, ἢ ψυχῇ τεθνηκότος] *aut defuncti animæ, sed ipsimet Soli syderum principi, Lunæ reliquisque Dis cœlestibus homo cuilibet vitio obnoxius minas intendit, atque ut eas ad vera dicenda* [*NB.*] *compellat, falsum vanumque terrorem ostendit. Nam qui denuntiat uti vel cœlum ipsum quatiat, vel Isidis arcana patefaciat, vel quod Abydi occultum latet dictuque nefas est, in lucem proferat, vel Ægyptiacæ navis cursum inhibeat, vel in Typhonis gratiam Osiridis membra disjiciat; quidnam, obsecro, vel sibi summum ad stuporem atque vecordiam, ista quæ neque novit, neque efficere potest comminando, vel numinibus quæ fictitius iste & inanis terror leviculorum pusionum more percellet, summam ad humilitatem reliqui fecit?*

Quæ porro de prætensis *sacris nominibus*, ac vocibus Barbaris, loquitur, his sequentibus concludit: *Verendum igitur ne præstigiatorum artes istæ sint, quæque vulgò Deo tribuuntur; aut ne forte aliter plane quam re ipsâ se habeat, de Divinitate sentiamus.* Et tamen hujusmodi Deorum tam *Invocationes* quam *Devocationes* & *Evocationes*, [de quibus latius in tertia hujus operis parte loquar] nobis non a solis Poëtis ac Mythologis describuntur; verum & revera (uti & hîc ex Porphyrio videmus) inter Gentiles locum habebant.

Epistola hæc Porphyrii (ne quis de ipsius veritate dubitet) ex antiquis Scriptoribus, (Eusebio aliisque,) recollecta, pene integra extat, præfixa libris istis Jamblichi, quos Porphyrio respondendo ac refellendo is conscripsit; quique Græcè & Latinè postrema vice editi Oxonii fuerunt, procurante ac vertente eos Thoma Gale, homine eruditissimo; uti ex ipsius notis in hunc Jamblichum abunde patet.

Verum

Verum, ut iterum redeam ad ipsum Porphyrium, is certe, quamvis hîc quasi dubitanter interroget atque inquirat, tamen alibi nullatenus dubitat de Auctoribus *Prædictionum*, *Vaticiniorum* atque *Oraculorum*, omnisque γοητείας seu *præstigiarum*: quæ cuncta sine ullâ hæsitatione *malignis* adscribit *Dæmonibus*, atque inprimis ipsorum Principibus (ut illos vocat) *Serapi* atque *Hecatæ*; uti ex sequentibus hisce (quæque alibi Græcè adduxi) ex tractatu περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, *seu de non esu animantium*, patescit: *Per contrarios (Dæmones) omnes etiam præstigiæ perficiuntur. Hos enim præcipuè & præsidentem ipsis venerantur, qui mala* [οἱ τὰ κακὰ διὰ τῶν γοητειῶν διαπραττόμενοι] *veneficiis & Incantationibus procurant. Pleni enim spectris imaginibusque sunt, & ad decipiendum* [*NB.*] *prodigiis fallacibus* (διὰ τερατουργίας) *apti. Per hos illecebras & amatoria veneficia infelices homines conficiunt. Omnis enim intemperantia, omnis divitiarum spes, & gloriæ, per hos existit, & præcipue deceptio: quippe cum mendacium ipsis proprium sit. Cupiunt enim Dii haberi: & quæ præsidet ipsis potestas videri Deus esse maximus vult. Isti sunt qui libatione & nidore oblectantur. quibus spirituale corpus ipsorum pinguescit. Vivit enim id vaporibus & suffimentis, & ex variis, vario modo, nidoribus & sanguine & carnibus corroboratur.*

Sic quoque alibi (Lib. 2.) *A pravis Dæmonibus non modo vulgus esse deceptum ait, sed Philosophos quoque eruditos ac disertos, qui eloquentia suâ multos alios in similes errores pertraxerunt. Violentos enim esse Dæmonas & fallaces, simulatores dissimulatoresque cultumque Deorum ad se pertrahere studentes: quod nullum sit malorum genus quo non delectentur; & Deorum induti personam in errorem ac stultitiam impulisse nos gaudeant. Tales esse & animas mortuorum quæ vitiis oppletæ e corpore migrarunt. Afflictari enim adhuc iræ & concupiscentiæ perturbationibus, & in naturam conversæ*

Dæmo-

Dæmonum ſimiles illorum reddi, noxias ac turbulentas. In varias quoque illas ſeſe vertere formas, ac modo conſpicuas ſeſe oculis præbere, modo recondere: atque ita eludere aciem tum intuentium, tum etiam cogitantium. Hinc naſci ſeditiones, hinc rixas, hinc bella. Ac quod omnium ſceleſtiſſimum eſt, eos conniti ut vulgo perſuadeant, hiſce rebus optimos quosque Deos oblectari: quibus aſſenſa quoque Poeſis dulcedine ſermonis multos mortales ceperit, &c.

Horum interim *Dæmonum principes* ponit *Serapim* atque *Hecaten:* quod firmatur his ſequentibus ab Euſebio (ex ipſo Porphyrio) libro quarto præparationum Evangelicarum allatis: Τοὺς δὲ πονηροὺς δαίμονας οὐκ εἰκῆ ὑπὸ τὸν Σάραπιν ὑποπτεύομεν. *At malos Dæmones non immeritò (vel fruſtra) Serapi ſubjectos exiſtimabimus* &c. Uti ex hiſce quoque: Μή ποτε οὗτοι εἰσιν ὧν ἄρχει ὁ Σάραπις, καὶ διὰ τοῦτον σύμβολον ὁ τρικάρηνος κύων. τουτέστιν ὁ ἐν τοῖς στοιχείοις, ὕδατι, γῇ, ἀέρι, πονηρὸς δαίμων καὶ πάλιν.

Ἐν χρηστήριον εἶτα παραθεὶς, ὅπερ αὐτὴ ἡ Ἑκάτη πεποίηται, καταπαύσει τὸν περὶ ταύτης λόγον.

Ἤδ' ἐγώ εἰμι Κόρη πολυφάσματος, οὐρανόφοιτος,
Ταυρῶπις, τρικάρηνος, ἀπηνής, χρυσοβέλεμνος,
Φοίβη ἀπειρότεχνις, φαεσίμβροτος, Εἰλείθυια,
Τρισσοίχου φύσεως συνθήματα τρισσὰ φέρουσα.
Αἰθέρι μὲν πυρόεσσιν ἐειδομένη εἰδώλοις
Ἠέρα δ' ἀργεννοῖσι τροχάσμασιν ἀμφικάθημαι.
Γαῖα δ' ἐμῶν σκυλάκων δνοφερῶν γένος ἡνιοχεύει.

Οἷς (ſuperaddit Euſebius) ἐπιλέγει ὁ συγγραφεὺς σαφῶς, τίνες οἱ σκύλακες· ὅτι οἱ πονηροὶ δαίμονες.

Quibus tum Scriptor ſuperaddit, quinam ſint (iſti) *canes, malos nempe Dæmones.*

Quæ denique Jamblichus tradit atque affirmat, ſunt; Eſſe *Deos, Dæmonas* & *Heroas*, omnes vero *Bonos:* ex quibus

bus *Dæmonas* atque *Heroas* sui ortum debere duabus extremitatibus, *Deorum* sc. & *animarum humanarum*; quibus intermedii atque adeo internuntii &c. sint: nullos interim esse eos, qui *Deorum* alios statuunt bonos, alios vero malos. *Dæmonum* porrò & *Heroum* differentiam ratione operationum &c. Unde & *Dæmonum* (quos etiam ingenitos & incorruptibiles esse asserit) operationes considerat, tanquam versantes circa mundum; *Heroum* vero ut non tam longe pertingentes, ac præcipuè occupatos esse in animis ordinandis. His duobus sic definitis *animam* sequi, quæ Divinorum ordinum fines attingit, & ab his duobus generibus portiones quasdam particulares potentiarum sortitur &c. Superaddit interim & *Angelos* & *Archangelos* & Ἄρχοντας sive *Principes* de quorum apparitionibus dum loquitur, asserit *apparitiones Angelorum* simpliciores esse iis quæ *Dæmonum* sunt, inferiores vero quam quæ sunt *Deorum.*

Nempe (ne plures differentias quas copiosas ac satis ridiculas affert hic Jamblichus, adducam,) *Deorum imagines* (seu φάσματα) esse *simplicia* (μονοειδῆ) *Dæmonum* vero *varia; Angelorum simpliciora* esse quam *Dæmonum*, inferiora vero esse quam quæ *Deorum: Archangelorum* propius paulò ad causas Divinas accedere. &c. *Deos* ipsos nullis tangi passionibus; *Dæmonas* qui mundi Rectores sunt non esse patibiles. *Deorum* alios non esse ita beneficos, ut simul alii sint malefici. Esse tamen *malos Dæmonas* (quos *Antitheos* nonnulli appellent) qui reperiantur tantum in iis operationibus, quæ non fiunt secundum ritus ac Leges in sacris observandos.

Duplex igitur esse *Dæmonum*, seu potius Spirituum, genus; quorum aliud est *Criticum*, aliud vero *Brutum* & *Cæcum.* de quorum posteriori (post illa quæ de *Diis* ac *Bonis Dæmonibus* dixerat) addit: *Est tertium circa nos genus consideratum Crisin non exercens, quodque* [*NB*] *unam numero potentiam*

 tiam

tiam sortitum est, unique particulari operi præfectum, juxta distributionem Spirituum factam singulis partibus. Quemadmodum igitur gladii opus est secare, & nihil aliud facere; sic & Spirituum (per totum mundum divisorum juxta patibilem naturæ necessitatem) aliqui certe dividunt, alii colligunt tantum quæ generantur. Quod autem dico manifestum est ex Phænomenis; Nam Scrobes Charonæe, ut vocantur, Spiritum ex se exhalant, qui omnia indifferenter corrumpit, quæ eis inciderint. Hoc igitur pacto quidam occulti Spiritus, alius aliam sortiti potentiam, illud tantum singuli peragunt, ad quod ordinati sunt. Utut interim *malorum* (inter alia) *causæ* sint *Mali Dæmones*, eos *nec nidoribus ali, neque iis avide inhiare;* nec *Divinationibus in Delphis, in Colophone, apud Branchidas, aliisque hujus commatis. Oraculis Dæmonas malos* ullo modo præsidere; neque ullas certe Divinationes quæ ita recte appellari possint esse a *malis Dæmonibus*, verum a *Diis* ipsis vatibus inspiratas.

Deorum tamen alios esse *materiales*, i.e. qui materiam regunt, alios vero *immateriales*: *Materiales* vero esse quasi intermedios, rerumque mundanarum inspectores & Rectores; eo quod ab *immaterialibus* frustra bona corporis sint exspectanda; nisi *Deos materiales*, eorumque omnes potentias in se complectantur. *Deos* denique (aut ita prætensos) in quos minas intentant Theurgi, esse *Spiritus Brutos. Id Dæmonum genus enim* (ut ipsius Jamblichi verbis utar,) *est in mundo valde divisum, indiscretum, inconsideratum, quod accipit quidem rationem & obtemperat* [*NB*] *per se autem nihil intelligit, nec verum aut falsum* [*NB*], *possibile aut impossibile, discernit. Hoc itaque genus comminationibus confertim jactatis commovetur & percellitur, ut quod & ipsum naturaliter dictis vehementioribus agitet, & alia etiam ducat trahatque* (ψυχαγωγεῖ) *per attonitam & instabilem phantasiam.*

Contra

Contra hos itaque existimat valere istas minas quibus sive *Magi* sive *Sacerdotes*, sive (quoquo tandem nomine venire debent) alii *præstigiatores*, minantur ipsis, nisi obtemperent, se velle *Cœlum disrumpere*, *Isidis occulta divulgare*, *aut arcanum in Abydo reconditum propalare*, aut *Barim sistere*, aut *Osiridis membra Typhoni dispergere*, aut simile aliquid [cujus generis nonulla alibi ex Poëtis, Lucano & aliis, adduco] se perpetraturos. Quæ præter hæc alia, ac satis singularia, tum de *Proprio cujusque Dæmone* seu *Genio*, tum de pluribus aliis, ad *Deos* ac *Dæmones* spectantia tradit, videat curiosus Lector, apud ipsum Scriptorem: ex quo jam satis multa, Lectoribusque nonnullis forsan tædiosa, excerpsi.

Ex illis autem, quæ modo adduxi; uti ex istis quæ ex *Proclo*, *Plotino* aliisque adduci possent (quorum ulterioris citationis sane tædet;) patet satis evidenter, alia sentire *Apulejum* quam *Platonem*, alia *Plotinum*, quam *Apulejum*, diversa ab iis *Porphyrium*; nec cum *Jamblicho*, aut quoquam alio, in omnibus sentire *Proclum*: quod idem in Judæis partim jam vidimus partim ulterius quoque videbimus: uti nec minus id in Christianis observabimus: Quod certe quam maxime notandum est.

Hoc interim videmus, sic sensim ac paulatim productos fuisse *Malos Dæmones*, *Genios*, *Lemures* (malos) seu *Larvas*, aliaque plura tum Poëtica, tum Philosophica Vanissima Terriculamenta: quum nihil tam absurdum Poëta aliquis commentus cecinerit, quin longe magis absurda aliquis Gentilium Theologus aut Philosophus defenderit. Quod parvo admodum labore posset ostendi.

Verum nunc tempus esse videtur, ut redeamus ad *Judæos* ac *Christianos* Platonicorum placitis inhærentes: nisi quod hîc prius memorandm sive iterandum, videatur, non solos *Homerum*, *Hesiodum* & *Orpheum*, verum & *Empedoclem* & *Pythagoram* & alios, qui sua Philosophica Metris

 inclu-

incluserunt; uti quoque *Thaletem*, *Platonem*, aliosque primos, inter Græcos *Dæmonum* patronos, nullos nisi bonos *Dæmonas* agnovisse, malorumque nullibi meminisse: ne addam *Aristotelem* pluresque alios non minimæ dignationis Philosophos, nil tale, quod jam supra nominati senserant sensisse; imò & omnes *Dæmones*; iisque patrocinium debentia *Oracula* ac *Vaticinia* pernegasse; quod partim illa humori atrabilario, partim Sacerdotum fraudibus attribuerent. Verum de *Oraculis* ac *Divinationibus* alio loco commodius tractabimus; & nunc revertemur ad modo nominatos Philosophos; post quos ad Judæos, transibimus, atque ab hisce denuo ad Chaldæorum *Zoroastrem*; ac quomodo is quoque cæteris Gentibus *duorum principiorum*, *Dæmonomaniæ*, *magicarumque artium*, cæterarumque superstitionum (a *Chaldæis* & *Ægyptiis* profectarum) auctor fuerit, virusque suum dispersérit.

An vero hæc omnia ipse *Zoroaster* docuerit valde dubito: quod, uti apud alias Gentes, ita procul dubio & apud *Chaldæos*, *Dæmonologia* seu potius *Dæmonomania*, tractu temporis magis magisque, novis opinionibus ac superstitionibus adaucta fuerit.

Quod attinet autem *Zoroastris* ætatem, de illa multum inter se variant Veteres Scriptores; dum hi ipsum 5000 annis ante Bellum Trojanum, alii tanto temporis spatio ante Platonem vixisse statuunt; alii (inter Christianos) eum pro *Chamo* Noë filio habent, vel saltem *Nimrodi*, tempore in vivis fuisse volunt; alii iterum *Nini* ætate, atque ita 500 annis ante modo memoratum *Bellum Trojanum*; alii denique 600 annorum spatio ante *Zerxis* famosam illam in Græcos expeditionem.

Quod si verum est, is tempore *Samuelis*, adeoque & 490 annis ante *Pythagoram* ac *Thaletem Milesium*, qui primi inter Græcos Philosophos de *Dæmonibus*, (nec tamen quantum patet, de malis) locuti sunt, vixerit.

Verum

Verum enimverò ut hic *Zoroaster* hanc Doctrinam Magicam, (quæ per *Dæmonas* omnes suos effectus sortitur) a *Chaldæis* ac *Bactrianis* ad *Persas* detulisse traditur; sic primus quoque (Plinio teste) extitit *commentatus de ipsa* OSTHANES *Zerxem Regem Persarum bello, quod is Græciæ intulit, comitatus: ac velut* [*NB.*] *semina artis portentosæ sparsisse, obiter infecto, quacunque commeaverat, mundo. Diligentiores ante hunc ponunt* ZOROASTREM *alium Proconnesium. Quod certum est, hic maxime Osthanes ad rabiem, non modo aviditatem, scientiæ ejus, Græcorum populos egit.* Eodem, *lib.* 30. *cap.* 1. Idem Plinius (post nonnulla interjecta) hæc addit: *Non levem & Alexandri Magni temporibus auctoritatem addidit professioni secundus Osthanes, comitatu ejus exornatus.* &c. Hisce tandem successisse videtur *Berosus* ille Babylonius, qui 60 annis circiter post Alexandri mortem (ac tempore Philadelphi) *Chaldæorum* quoque opiniones ulterius in Græcos transfudit.

Ex *Chaldæa* igitur hæ opiniones de *Dæmonibus malis* &c. ad *Persas*, *Ægyptios*, *Palæstinos* atque *Arabas* (uti tum ex S. Scriptura, tum aliis Veterum testimoniis ostendi potest) penetravit. Ut autem serius in *Persiam* in *Pontum* atque ulterius in *Asiam Minorem*, usque ad *Telmessum* Lyciæ urbem (imò hinc fortasse etiam in *Thessaliam* primum) transiit; Sic tamen in *Ponto* ab antiquis temporibus eas superstitiones locum habuisse, ulteriusque sensim sua semina dispersisse, credibile est.

Regnorum vero *Ponti* ac *Colchidis* si non incolæ quoque, certe accolæ erant illi *Chalybes*, qui a Xenophonte, Diodoro Siculo, Strabone atque Eustathio (Dionysii interprete) appellantur *Chaldæi*. Sive isti fuerint Origine *Chaldæi*, eorumque huc delatorum vel translatorum ex posteris: sive homines fuerint, qui, ex causa Doctrinæ Goeticæ ac superstitionum Chaldaicarum, rituumque hinc exorientium, *Chaldæorum* & *Assyriorum* nomine apud cæteros veniebant.

Nec pene dubitem, primos ejusmodi superstitionum auctores inter Græcos hinc processisse; ac sub *Chaldæorum*, *Magorum*, *Vatum* ac *Sacerdotum* nominibus (uti statim ex Hippocrate videbimus) non Græciam solam, verum & cæteras mundi Regiones infecisse; cum revera essent *Scurræ*, *Agyrtæ*, *Circulatores*, *Circumforanei* & γόητες. Neque ullo modo dubitandum est, *Sacerdotes* tum Græcorum, tum aliorum populorum (qui quidquid stultæ multitudini aut admirationi aut terrori esse posset libenter confingebant) has Doctrinas avide fuisse amplexos, ulteriusque adornasse; ut sic commodius populum sub superstitionis jugo, sibi (Sacerdotibus) maxime proficuo, detinerent; atque inde *Mysteria*, *Initiationes*, *purificationes*, *malorum averruncandorum gratia*, fuisse introducta; plurimasque fabellas hinc fuisse confictas, communique imprimis vulgo fuisse obtrusas.

Hisce vulgi pravis erroribus abutebantur quoque ad carmina sua magis adornanda *Poëtæ*: qui primi ulterius mundum suis (ridiculis sane & absurdissimis) figmentis dementarunt: Sic enim *Aornum* & *Phlegethonta* & *Stygem* pluresque alias stultas Nænias nobis decantarunt: veluti *esse aliquos Manes*, *& subterranea Regna*, *& contum & Stygio ranas in gurgite nigras*, *atque unâ transire vadum tot millia cymbâ;* nominibus sibi desumptis *a Charonæis* ac *Plutoniis*, ita appellatis, Antris, ab *Aorno*, *Phlegethonte* ac *Stygis aqua* similibusque in Italia, & in Arcadia alibique sitis Antris, fluminibus, lacubus atque aliis locis, quæ communi popello maxime stupori ac terrori erant, petitis; imò & ab ipsa apud Ægyptios *mortuorum transvectatione* ad subterranea sepulcra, ab Homero Poëtarum Patriarcha desumptis.

Hinc enim & cæterorum Poëtarum (Virgilii, Ovidii, Lucani, Silii & Statii, ne quid Græcos in ipsa Historia mendaces hîc memorem) *Necyomanteiæ;* hinc *Larvæ* & *Spectra* atque adeo *apparitiones Darii umbræ*, apud Æschylum,

lum, *Polydori* apud Euripidem, aliorumque porrò apud alios Poëtas ac Poëtastros: qui uti inceperat ipse Homerus, ac pene πᾶσαν τὴν ἐν ἅδου τερατολογίαν adornaverat, *Deosque infernales, Judices, Erynnias*, pluraque alia hujus commatis ulterius, tradiderat; sic posteriores, ne quid novi confingere non posse viderentur, illa ab Homero [qui tamen non, uti nec ipse Hesiodus, ullos *malos Dæmonas* agnoscebat] accepta, ita novis suis inventis adauxerunt, ut præter *Erebumque Chaosque, tergeminamque Hecaten* & *tria Virginis ora Dianæ* Incantationibus præsidentes, ipsum *Dæmogorgona* (quem, Lucano teste, scire nefastum; cujusque nomen difficulter, ac nisi in extremis casibus prætensi ipsorum *Magi*, *Magæ* ac *Sagæ*, enuntiare audebant) omnium *Dæmonum* horrendum *Principem*, in imo Tartaro latentem, produxerint.

Hincque non *Circe* solum, verum & *Medea*, quin & omnes *Magæ* ac *Sagæ*, quantumvis miseræ mulierculæ, horum *Dæmoniorum* ope, cum vellent, *Solem obscurare, Lunam ac sydera vertere retro, quin & de Cælo detrahere, umbras excire sepulchris, nocturnasque ciere Manes, atque Satas alio, (credas?) traducere messes, homines in Lupos converteret*, aliaque plurima perpatrare se posse jactitabant; idque adjumento, tum Carminum (Barbaricarum, Marsicarum, aliarumque vocum) tum Herbarum ac Venenorum vel in *Ponto* (adeoque in *Jolco* & *Iberia*) vel in *Thessalicis* quoque, imo & *Marsicis*, *montibus* collectorum.

Quod vero *Thessalos* attinet, *Hippocrates* noster, qui post *Zerxen* in Thessalia præcipue vixit, ibique & mortuus ac sepultus est, satis clare ostendit, ibi jam sua ætate istius malæ superstitionis semina longe lateque per istas Regiones fuisse dispersa. Ita enim lib. de Virginum morbis loquitur: *Primum de morbo sacro appellato [Epilepsiâ,] & de terroribus quibus intimidantur ita vehementer homines ut dementes inde reddantur, ac sibi imaginentur Dæmonas quosdam se videre mali-*

malignos, sibique infestos, quandoque noctu, quandoque interdiu, quandoque utroque tempore, &c. Quæ verba compendii gratia Græce non affero, uti nec hæc sequentia paulo inferius: *Postquam vero resipuit homo* [ὁ ἄνθρωπος] *mulieres tum alia multa, tum pretiosissimas muliebres vestes Dianæ consecrant, a Vatibus* [*NB.*] *id jubentibus deceptæ.*

Non possum me temperare quoque quin & ista, quæ (licet longiuscula sunt) ab eodem lib. de *morbo sacro* afferuntur, huc adducam; sunt autem hæc sequentia: *Cæterum qui primùm hunc morbum sacrum esse pronuntiaverunt, tales homines mihi esse videntur, quales etiam* NUNC *sunt* MAGI, *&* EXPIATORES *&* CIRCULATORES, *& quidam arrogantes* [ἀλάζονες] *qui se vehementer pios esse simulant, & amplius quid scire. Hi itaque consilii & mentis inopiæ obvelantes ac prætexentes Divinitatem, quum nihil haberent quod exhibitum prodesset, ut ne manifesta fieret ipsorum ignorantia, sacram hanc affectionem esse pronuntiarunt: & rationibus idoneis collectis curationem constituerunt sibi ipsis securam, Expiamenta offerentes & Initiamenta, & a balneis abstinere jubentes* &c. Ac cap. 3. *Sic mihi videntur hi, qui hoc modo hos morbos curare aggrediuntur neque sacros ipsos putare, neque Divinos. Ubi enim talibus Expiamentis ac tali curatione transmutantur, quid vetat etiam aliis artibus similibus illos & discedere ab hominibus & accedere? Quare non Deus auctor est, sed aliquid humanum. Quisquis enim lustrationibus &* [*NB.*] *Magicis Incantamentis talem affectionem abducere potens est, is etiam aliis artibus abduxerit: & hac ratione Divinitatis opinio penitùs pessumit. Talia itaque dicentes atque excogitantes amplius quid se scire simulant, & homines decipiunt, proponentes his lustrationes & Purificationes, quum verba ipsorum magna ex parte se ad Deum ac Dæmonium* [εἰς τὸ θεῖον ἀφήκει καὶ τὸ δαιμόνιον, quæ Græca his Latinis longe magis emphatica] *extendant. Atqui mihi sane*

non

non de pietate verba facere videntur, sed potius de impietate, & quod Dii non sunt, pietasque & Divinitas impia est ac scelesta, sicut ego docebo. Si enim & Lunam detrahere, & Solem obscurare, tempestatesque & serenitatem facere, pluvias item ac siccitates, & mare sterile, itemque terram, & alia hujuscemodi omnia se scire profitentur; sive ex SACRORUM MYSTERIIS, sive ex alia quadam Professione aut Meditatione hanc potentiam jactant, qui talia studio habent impii sane mihi esse videntur, putare non esse Deos; neque, si sint, aliquid posse, neque ullum aliquod, etiam extremum, malum prohibere. Quod quum faciant, quomodo non ipsis infesti sint? Si enim homo Incantamentis aut sacrificiis utens, & Lunam abolebit, & Solem obscurabit, & tempestates ac serenitatem faciet, non utique horum aliquid Divinum esse putaverim, sed humanum; si sane Divinitatis potentia ab humana voluntate superatur, & in servitutem redacta est. Verum ista ita se non habent sed homines victus indigi [optime ad hæc Ennius:

Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat]

multa & omnigena moliuntur & evariant [ποικίλλουσιν,] tum in alia omnia, tum in hunc morbum, in singulis affectionis speciebus causam Deo adscribentes. Non enim semel, sed crebro ipsorum mentionem faciunt. Siquidem enim capras imitentur, & si balatum edant, & frendant, & si a dextris partibus convellantur, MATREM DEORUM causam esse ajunt. Si vero acutiorem & concitatiorem sonum edant, equo assimilant & NEPTUNUM auctorem esse dicunt. Si vero etiam aliquid stercoris emittant, quod sæpe quibusdam contingit præ morbo coactis, HECATES ENODIÆ appellatio additur. Si autem tenuiorem, & crebriorem vocem edant, veluti aviculæ, APOLLO NOMIUS; Si vero spumam ex ore emittant, ac pedibus calcitrent, MARS in causa est. Quicumque porro pavores noctu ingruunt, timores ac deliria, & exsultationes e lecto terroresque ac fugæ foras, HECATES

insidias esse dicunt & HEROUM insultus: Expiamentisque utuntur atque Incantamentis, & scelestissimum atque impiissimum, meo sane judicio, faciunt Numen. Expiant enim morbo correptos sanguine, item aliis sceleribus inquinatos, aut injustos, aut ab hominibus intoxicatos, aut qui scelestum, aliquid facinus perpetrarunt: quos contraria his facere oportebat, sacrificare nimirum ac præcari, & ad Templa progressos Dis supplicare. Nunc vero horum quidem nihil faciunt, verum expiant; & alia expiamenta terra occultant, alia in mare projiciunt, alia ad montes deferunt, ubi nemo attingat, vel conculcet. Opportebat autem ea ad Templa deferri ac Deo contribuere; siquidem Deus est auctor. Non tamen puto hominis corpus a Deo inquinari, sordidissimum scilicet a purissimo. Verum etiamsi contingat ab aliquo inquinari, aut quid perpeti, cupierit utique a Deo purgari ac purificari magis, quam inquinari. Deus itaque est qui maxima ac sceleratissima peccata purgat ac purificat, & liberatio nostra existit, ipsique terminos Templorum ac Delubrorum Diis designamus, ut nullus, qui non purus eos transcendat; & ingressi respergimur, non velut qui inquinemur, sed si quid etiam prius scelus habemus purificemur. Et de expiationibus sic se res habere videtur. Hic vero morbus nulla re Divinior reliquis mihi esse videtur. &c.

Quæ hic notanda veniunt sunt 1. Superstitiosas esse hominum imaginationes *Malorum* quorundam *Dæmonum;* quales vel quos, Hippocrates non agnoscit. 2. Talia hominibus persuaderi a *Vatibus* & *Expiatoribus*, qui id lucri ac commodi causa faciebant. Hos interim esse *Magos*, *Præstigiatores*, γόητας, *Agyrtas* atque *Alazones*. Quales erant isti φαρμακεῖς, Φαρμακοὶ & Φαρμακευταὶ; uti & inter mulieres illæ, quæ Φαρμακευτείων ac φαρμακευτείδων nomine veniebant: qui, quæve, sub honesto Medicinæ titulo *Magicis præstigiis utebantur*, *ac sub prætextu herbarum*, *lapidum ac vocum*

Barba-

Barbaricarum, quibus Mirabiles non tantum, verum & Divinas virtutes adſcribebant, quibusque intermediis mira ſe & naturæ vires ſuperantia ſe poſſe perpetrare prætendebant; dum revera eſſent *Venefici* ac peſſimi *ſcurræ.*

Hinc Chryſoſtymus optime: Ἂν μὲν ἰατρὸς δῷ τινι σιτίον, μὴ περιεργάζεσθαι, ἀλλὰ ὡς ὑγείας ποιητικὸν δέχεσθαι, ἂν ᾖ φαρμακὸς καὶ γόης, ὡς δηλητήριον καὶ βλαβερὸν ἀποστρέφεσθαι. *Si quidem medicus ægroto alicui det alimentum, non opportere ut ægrotus ſit anxius, verum id ut ſanitatis inſtrumentum aſſumere. Si vero id fecerit Veneficus ac Præſtigiator, ut perniciosum & noxium id repellere.*

At enim non ſolis *Veneficiis* abutebantur loco verarum Medicinarum; Verum & Lunam de cœlo detrahere, Solisque curſum ſiſtere, millenaque alia mira ac ſtupenda ſe perficere poſſe perhibebant. Atque hinc Ariſtophanes in Avibus:

Γυναῖκα φαρμακίδ' εἰ πριάμενος Θετταλὴν
Καθέλοιμι νύκτωρ τὴν Σελήνην.

Ad quæ Scholiaſtes Græcus: Διαβάλλονται γὰρ οἱ Θετταλοὶ ὡς γόητες· καὶ μέχρι ἢ νῦν φαρμακίδες παρ' ἡμῖν αἱ Θετταλαὶ καλοῦνται. *Nam Theſſali accuſantur ut præſtigiatores: Et ad hæc uſque tempora Veneficæ Theſſalarum nomine apud nos venire ſolent.*

Ortum verò iſtius fabellæ de Luna è cœlo detracta non illepide Plutarchus narrat, tum libro de Oraculorum Defectu, tum in Conjugalibus Præceptis; *Aganicen,* nempe, (ſive *Aglaonicen) Hagetoris Theſſali filiam ſiderum ac Solis, Lunæ defectuum peritam, quum percepiſſet ratiocinatione, quo tempore Luna in umbram illapſura foret adeoque* (ut loquebantur imperiti) *laboraret; impoſuerit mulierculis, perſuaſeritque ſe vi ſuorum Veneficiorum, atque Incantationum Lunam de cœlo detrahere.*

Quod non uſque adeo mirum nobis videri debet; quum & Ludovicus Vives, in Commentariis ad Libri x. cap. 16. Auguſtini de Civ. Dei, hæc ſequentia narret: *Nec mirum*

est crediti olim rudi hominum generi Lunam cælo auferri; cum nostrâ memoriâ sit populus, qui Lunam ab asino epotam crediderit, cum is asinus defluvio biberet, qui Lunæ speciem, ut fit, reddebat, illaque obtectu nubis subitò se condidisset: asinusque in carcerem conjectus, & post legitimam quæstionem sectus est, ut Lunam mundo redderet.

Lustrationes interim (ut ad illas iterum redeam) & Expiamenta illa, sæpe adjuncta sibi quoque habebant *Incantamenta Magica*. Quæ quanti æstimet noster Hippocrates clare indicat: uti & in quali existimatione istius commatis scurræ habendi essent.

Non deërant tamen inter ipsos Atticos ejusmodi *Expiatrices*: sicut videri potest apud Demosthenem, in Oratione pro Ctesiphonte: ubi *Æschinem* eò nomine acerbè satis perstringit, eumque, & Matrem quoque ipsius (ut isto vocabulo hic, non incommodè, utar) παραδειγματίζει. Verba ipsa Demosthenis huc adducam; quod simul ritus, per hasce mulierculas adhibitos, aperiant. Ἀνὴρ δὲ γενόμενος τῇ μητρὶ τελούσῃ, ταῖς βίβλους ἀνεγίνωσκες, καὶ τἄλλα συνεσκευώρου. τὴν δὲ νύκτα νεβρίζων καὶ κρατηρίζων, καὶ καθαίρων τοὺς τελουμένους, καὶ ἀπομάττων τῷ πηλῷ, καὶ τοῖς πιτύροις. καὶ ἀναστὰς ἀπὸ τοῦ καθαρμοῦ, καὶ κελεύων λέγειν ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, ἐπὶ τὸ μηδένα πώποτε τηλικοῦτον ὀλολύξαι σεμνυνόμενος. καὶ ἔγωγε νομίζω· μὴ γὰρ οἴεσθε αὐτὸν φθέγγεσθαι μὲν οὕτω μέγα, ὀλολύζειν δ' οὐχ ὑπέρλαμπρον. ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις τοὺς καλοὺς θυάσους ἄγων διὰ τῶν ὁδῶν, τοὺς ἐστεφανωμένους τῷ μαράθρῳ καὶ τῇ λεύκῃ, τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας θλίβων καὶ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρῶν, καὶ βοῶν, εὐοῖ σαβοῖ, καὶ ἐπορχούμενος ὕης ἄλτης, ἄλτης ὕης, ἔξαρχος καὶ προηγεμὼν, καὶ κιττοφόρος, καὶ λικνοφόρος, καὶ τὰ τοιαῦτα ὑπὸ τῶν γραιδίων προσαγορευόμενος, μισθὸν λαμβάνων τούτων, ἔνθρυπτα καὶ στρεπτοὺς καὶ νεήλατα, &c. *Sumpta autem virili togâ, matri initianti libros recitabas ac voce præibas: & reliqua quæ ad munus illud pertinent concinnabas & comparabas, noctu eos qui initiabantur cervina pelle succingebas, vasa vinaria*

naria circumferebas, vinumque ministrabas ac defundebas: illos EXPIABAS, *centonibus & furfure defricabas ac detergebas. Expiatione autem factâ surgebas, eosque dicere jubebas,* EFFUGI MALA, NACTUS SUM MELIORA. *Gloriabare denique quod nunquam quisquam tam clarâ voce ululasset. Quod quidem ita esse arbitror. Nolite enim existimare, eum qui tam clare loquatur ululatus non clarissimos edere. Interdiu vero præclaros illos Bacchantium choros per vias agitabas: angues quos Parias nominant, fœniculo & populæis frondibus coronatos comprimebas & supra caput attollebas: & cum clamares, Evoe, Saboe, & carmen illud saltares, Hyas Attas, Attas Hyas, ab aniculis præsultor & princeps chori, thyrsiger Ederifer, vannifer, & hujusmodi nominibus appellabaris. Atque hujus quidem operæ ac Ministerii egregiam sane mercedem ferebas, lagana, frustula, scriblitas, liba, placentas.*

Quæ de hac Æschinis Matre apud Suidam aliosque reperimus hîc præteribo: At ista quæ Plutarchus (libro περὶ δεισιδαιμονίας) habet non possum certe omittere; ut videant cordatiores, quid olim cordati homines dum loquebantur ex propria sententia (uti præcipue fecit Cicero, libro de Divinationibus secundo; Plinius, aliique hîc alibique, at magis obtectè) de hisce, tum superstitionibus, tum superstitionum Ministris ac Patronis, senserint.

Hæc interim moneri velim Lectores, me parcendi laboris gratia, non ubique afferre textum Græcum; qui facile inspici, ac cum versionibus conferri potest ab hominibus eruditis i. e. satis Græcè peritis; non tamen defugere ut versionum rationes reddam. Quod eâ occasione dico, quod ad meas aures pervenerit, plus semel nimium me esse in citandis auctoribus. Et tamen, ubi agitur de rebus seriis, & quæ disputationibus atque altercationibus magis obnoxiæ sunt, id quandoque maxime necessarium est.

 Verum,

Verum, ut denuo agamus quæ ſunt agenda, redeamus ad rem nobis propoſitam, adeoque & ad Plutarchum; qui libro modo memorato ita, inter alia cedro digna, loquitur: *Sed ſuperſtitiones fictæ, ridiculæque perturbationes, & verba*, ET PRÆSTIGIÆ, ET INCANTATIONES, *& circumcurſationes, & cruciatus, & impuræ purificationes, immundæque Mundationes*, BARBARÆQUE *& iniquæ prope Templa punitiones, & injuriæ, quibusdam cauſam præbent ut dicant, ſatius eſſe non exiſtere Deos quam exiſtere talia probantes, talibusque gaudentes. &c.*

Cum autem prætenſi horum effectus fieri perhiberentur virtute atque ope Divorum: ipſe Hippocrates talia neque ope *Deorum*, neque *Dæmonum* (quorum nullos hîc agnoſcit) fieri autumat; ſed meris conſiſtere præſtigiis humanis: neque aliter loqui *Eurycleas* ſive Εγγαςειμύθȣς, prout & ipſe Galenus id ex illo interpretatur.

Hippocrates noſter hîc *Magos* quidem, at, exſerte, *Chaldæos* non nominat: verum *Magos* ac *Chaldæos* (ac inprimis quidem illos, de quibus locutus ſum, *Agyrtas*) ſæpius inter ſe confundi non tantum, verum & pro unis iisdemque plane haberi, patet tam ex hiſce Theocriti, Ἀσσυρίω τόδε ξείνοιο μαθοῖσα, quam ex aliis pluribus: licet Tacitus ubi, lib. 2. de Libone loquitur, hiſce verbis: *ad* CHALDÆORUM *promiſſa*, MAGORUM *Sacra, ſomniorum interpretes*, ipſos ab invicem diſtinguere videatur. Verum eſt quidem, illos qui *Magorum* nomine gaudebant, non tam Aſtrologicis obſervationibus, quam Sacris quibusdam occultis Barbaricis, atque illicitis, *Divinationes, prædictionesque* peregiſſe (quod & ex hiſtoria *de Sorani* filia, lib. XVI. patere videtur:) Sed uti ex eodem fonte tum horum, tum illorum artes aliquantulum diverſæ proceſſerant, atque hinc utplurimum conjunguntur; ſic unius certe commatis Impoſtores fuiſſe liquet; & *Chaldæos* pro *Magis*, ac *Magos* (uti ſæpe quoque *Vates*) pro *Chaldæis* fuiſſe habitos.

Ita

Ita enim, teste Strabone, qui in Babylonia, *Chaldæi*, ii in Persia *Magi* erant. Nam quamvis *Chaldæi* priores potissimum Observationibus Genethliacis insisterent, atque inde Prædictiones suas concinnarent, *Magi* verò per Sacra Barbarica atque occulta *Manes demortuorum eliciendo* (uti perhibebant) similibusque aliis præstigiis adhibitis futura prædicerent, plurimaque alia Miracula sese perpetrare posse perhiberent: tamen & Babylonii seu *Chaldæi* & *Assyrii* sæpius isto quoque crimine laborabant, unoque eodemque nomine veniebant: ut qui æque ac cæteri *Magi* (seu potius *Scurræ* ac *Circumforanei*) *Hyperborei*, *Syri* atque *Ægyptii* (ex *libellis suis Ægyptiacis*, ut postmodum quoque Ephesii *literis suis Ephesiis*, miras *Incantationes* ac *præstigias* perpetrantes) Lapidibus herbis ac verbis, ritibusque Barbaricis & occultis, utebantur tum circa Prædictiones, tum circa prætensas morborum curationes, tum denique circa *mortuorum evocationes*, *syderum devocationes* cæteraque *miracula* ab ipsis perpetranda.

Quæ Strabo paulò obscurius tradit de Chaldæis, ea Diodorus Siculus magis clare nobis explicat his sequentibus verbis: ἀντέχονται δ' ἐπὶ πολὺ καὶ μαντικῆς, ποιούμενοι προῤῥήσεις περὶ τῶν μελλόντων, καὶ τὰ μὲν καθαρμοῖς, τὰ δὲ θυσίαις, τὰ δ' ἄλλαις τισὶν ἐπῳδαῖς ἀποτροπὰς κακῶν καὶ τελειώσεις ἀγαθῶν πειρῶνται πορίζειν. ἐμπειρίαν δ' ἔχουσι καὶ τῆς διὰ τῶν οἰωνῶν μαντικῆς· ἐνυπνίων τε καὶ τεράτων ἐξηγήσεις ἀποφαίνονται· οὐκ ἀσόφως δὲ ποιοῦνται καὶ τὰ περὶ τὴν ἱεροσκοπίαν, καὶ ἀκριβῶς ἐπιτυγχάνειν νομίζονται. *Amplectuntur quoque vehementer Vaticinationes; Prædictionesque futurorum, sive Oracula, reddunt; & partim per purificationes, partim per Victimas, partim Incantationes eventuum mala averruncantur & bona ut acquirantur efficere tentant. Habent & peritiam & usum Vaticinandi per Auguria; sicut & somniorum & prodigiorum explicationes promittunt. Neque stolidè ac temere circa haruspicinam versantur: unde & accuratè*

curatè res conjectari existimantur. Ex quibus videmus hos Chaldæos non solâ Genethliaca contentos per omnium Divinationum vagatos, omnibus fuisse abusos.

Nec tamen existimem Hippocrati non quoque denotatos hîc *scurras Magnæ Matris Idææ, Isidis*, & aliorum Deorum Dearumque, hujus plane farinæ Vates; qui ab Ennio, a Plauto, a Demosthene, a Cicerone, a Plutarcho, a pluribus aliis cum salsè, tum acriter notantur; atque imprimis a Juvenale; uti suo tempore & loco latius ostendam.

CAP. IV.

Progressus Idololatriæ & Doctrinæ Dæmoniorum ex defectu Codicum Legis atque Institutionis publicæ, propter continuos lapsus in Idololatriam. Quando Lex primum instaurata, rursus deperdita ac denuò restaurata fuerit. Origo cum Lectionum Legalium, tum Haphtaroth. De versione Græca Pentateuchi. Quando primùm Samaritani Pentateuchum fuerunt adepti. De prætensis septuaginta Interpretibus. De Apocryphis ipsorumque ortu. De Deuterosibus sive Mishna. De Pharisæorum Traditiunculis. De Caraim.

EX iis igitur, quæ modo allata sunt, videmus originem istius superstitiosæ Doctrinæ, quæ *Dæmoniis* ceu *Diabolis*, tot Oracula, Miracula, similiaque hujus commatis plura attribuit; omnesque cæteras ejusmodi perversas, ac S. Scripturæ aperte repugnantes opiniones ortas ex Chaldæismo primùm; ac deinde adornatas ulteriusque adornandas sic fuisse transfusas in Ægyptios, Judæos, Arabes reliquasque natio-

nationes iſtis populis magis vicinas ac familiares; atque ab hiſce demùm ad Græcas cæterasque mundi Gentes.

Non enim ſola Inſtituta Gentium, ratione cæremoniarum ac cultus Divini; verum adhuc longe magis Opiniones iſtæ, quibus cultus Idololatricus, cæremoniæque & ritus ſuperſtructi erant, vel ſubinde ſuperſtruebantur, inde ortum trahebant, ulteriusque ſe quaquaverſum diffundebant. Atque ex talibus erroribus ac præjudiciis; Sacerdotumque, ac Pſeudoprophetarum, inde lucrum & commodum captantium, imperiumque in cæteros homines ſibi parantium narratiunculis, traditiunculis, præſtigiis, atque aliis ejusmodi farinæ impoſturis [quibus accedebant quandoque ipſi Reges ac Principes, ex cauſis Politicis aliisve, Idololatriæ patrocinantes] nedum inter alias mundi gentes, verum etiam inter ipſos Iſraëlitas, errores ac cultus Idololatrici & orti & adaucti fuerunt, ac toties repullularunt.

Cultus hos quidem ex Ægypto, Ægyptiorum opinionibus erroneis imbuti, in regionem Cananiticam deportaverant, uti ex ſolo *vituli aurei* exemplo (ne quid cætera animalia *Piloſa* [שעירים] tum *Hircos*, qui ea voce ubique peculiariter denotantur, tum *Feles*, tum *Canes*, tum *Urſos*, tum *Leones*, tum cætera hujuſmodi conficta Numina, ſeu quæ Numina iſta repreſentabant, hic commemorem) ſatis clare patet.

Atque hinc contigit quoque, ipſos jam terræ promiſſæ inhabitantes, tam facile (ut modò attigi) delapſos ac relapſos fuiſſe ad ritus Idololatricos iſtarum Gentium, quas Deus ante faciem ipſorum expulerat & internecioni dederat, illarumque quæ circumvicinæ ibi manebant. Quæ Idololatria nunquam penitus (ne quidem ipſius Davidis tempore) ante captivitatem Babylonicam exſtincta fuit.

Judæos autem ante captivitatem Babylonicam operam ullam accuratiorem (exceptis Prophetis, paucisque aliis ipſo-

rum discipulis, adeoque & nomine filiorum Prophetarum venientibus) Theologiæ, nedum Philosophiæ dedisse; scholasve aut Synagogas ad ejusmodi studia publice habuisse aut coluisse, nullibi patet. Quamvis nomen cœtus, congregationis, vel Synagogæ (seu potius quod posteris temporibus Synagogas publicas, & ordinarias, post ipsarum institutionem, denotabat) in Sacra Scriptura plus semel reperiatur, ast longe in alio sensu.

Harum autem similiumve congregationum Ecclesiasticarum defectu longe facilius ad vias Gentium denuo delabebantur, Gentiumque moribus ritibus atque opinionibus Idololatricis ita magis magisque assuescebant; ut, licet Reges summa pietate præditi omni studio & opera Idololatriam exstirpare conarentur, ac de facto quantum in ipsis erat removerent, *Populus tamen sacrificare* (etiam ipsius Josaphat & aliorum tempore) *in locis excelsis Dîs Gentium non vereretur*: ac raro multum temporis efflueret, quo non aut in Judæa, aut in Israële, aut in utrisque simul, Rex Idololatra populo dominaretur, eundemque, licet rursus ad verum cultum veri Dei conversum, ad Idololatriam denuò vel cogeret, vel alliceret aut illiceret; sive mandatis, sive præmiis, sive exemplis: quæ sola, ultima sæpius quammaximi ponderis sunt apud vulgus; quod quo magis imperitum eo magis, animo servili, Regis ad exemplum, seu bonum seu malum, componitur.

Ex hisce aliisque ejusmodi causis accidebat quoque, ut quamvis Moses, ex Dei Opt. Max. mandato instituerat, *Legem* a Deo per ipsius manus traditam ac conscriptam, *quoquo septennio publicè populo esse prælegendam*, id tam maxime neglectum atque omissum fuerit; ut de nulla *Legis publica institutione ac prælectione factâ* memoretur a tempore Josuæ usque ad imperium Regis Josaphat: quod interstitium secundum communem magis Chronologiam, tempus anno-

annorum circiter 530. complet. Neque ab isto tempore usque ad annum duodecimum regis Josiæ; quod spatium annorum 282 conficit: denique ab isto tempore usque ad illam cujus mentio fit Nehemiæ cap. 8.

Dixerit forsan aliquis, non exinde, quod raro hoc notatum fuerit, sic sequi id non sæpius fuisse factum, sive ejusmodi Solennes admodum Prælectiones non multoties fuisse peractas: neque necesse admodum fuisse olim, aut esse adhuc hodie, ut quæ sæpissime atque ex antiqua consuetudine aut instituto recurrunt, tam multoties in Scriptis hisce Divinis commemorentur, nisi aliquid valde notatu dignum, usuque & consuetudine insolitum intercurrerit: quale quid memoratorum modo temporum sacris intercurrisse videri queat.

At si quis consideret quam citò post Davidem, (etiam sub ipso Salomone) Israëlitæ, (tam Hierosolymitani quam Samaritæ) in Idololatriam delapsi fuerint, ac pene perpetuo ei adhæserint; is facile videbit, id necessariò raró admodum locum habuisse; tam ob alias causas, quam quod Lex tractu temporum non modo inter Laicos (seu communem populum Hebraicum) verum & inter ipsos Sacerdotes ac Levitas, tam plane neglectui & oblivioni tradita fuerit, tantaque ipsius ignorantia oborta; ut cum sub Josiæ regno Templum Hierosolymitanum instauraretur, & Sacerdos Maximus Helkia & Scriba Regius Saphan & ipse Rex Josias pene omnes ignorasse videantur, quis ac qualis hic liber esset, antequam ipsum pro parte legissent; ignorasse saltem quæ ac qualia in ipso continerentur.

Ostendunt hoc satis hæc verba libri Reg. II. & cap XXII. v. 8. *Dixit autem Helkias Sacerdos, librum Legis inveni in Domo Domini, tradiditque Helkias codicem ipsi Saphan, ut ipsum legeret. ac v. 10---- Indicavit quoque Saphan Scriba Regi, dicens: Helkia Sacerdos dedit mihi codicem, legitque*

in eo Saphan coram Rege. Et factum est, cum audivisset Rex verba Codicis Legis, *scidit vestimenta sua.*

Atqui ipse Rex tenebatur ex mandato Divino, sibi ipsi describere exemplar *Legis*, ac quotidie istud legere; ut qui summus Judex existens populo Israëlitico, nequaquam tum Juris Divini, tum Civilis nescius esse debebat. Ita enim Moses Deut. XVII. v. 18. & 19. *Quum sederit in solio Regni sui describet sibi exemplar hujus* Legis *in libro, coram Sacerdotibus Levitici generis. Eritque illud penes eum, ut legat in eo cunctis diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & servare omnia verba Legis hujus, & statuta ista.*

Consideret nunc æquus lector quanta penuria *Codicum Legis*, si non semper, saltem sæpissime, ibi fuerit; cum isthoc tempore ne ipse quidem Rex ac supremus Judex aut exemplar Scripturæ Legis (quæ Jus ipsorum Civile ac Sacrum, seu Canonicum simul complectebatur) possideret, aut nosset quæ in eo continebantur! Miserat quidem Rex Josaphat legatos suos præfectos, simul cum Sacerdotibus ac Levitis, qui [NB.] secum portabant Librum Legis, per omnes civitates Jehudæ (at quantulam partem totius sub Davide ac Salomone Regni Israëlitici!) ut docerent ita populum. Verum post istam prælectionem Lex isti populo ita contemptui fuit, ut ipse Codex Authenticus plane neglectus fuerit atque amissus, neque rursum repertus, nisi occasione restaurationis Templi; atque (uti modo dixi,) ita quoque ignotus, ut ipse Rex Josias, ex illis quæ inde prælegebantur, sic consternatus fuerit animo: ut *discinderet vestimenta sua*: ut qui ex eo Codice Fœderis recte jam noscebat causas illas propter quas Deus inobedientiam ac peccata patrum puniverat.

Neque in ipsa captivitate Babylonicâ commune vulgus Judæorum, imò nec plurimi quidem ex Sacerdotibus ac Levitis aut habebant aut legebant, (adeoque & ignorabant ipsam

ipſam Legem) Librum Fœderis; uti ex exemplis apud Nehemiam inveniendis clare doceri poteſt. Nec ſi maxime habuiſſent [cujus contrarium ex ſumma illa Codicum penuria ætate Joſiæ Regis patet] eo commodè uti potuiſſent; quod indies ibi magis magisque Hebraicæ linguæ, olim ſibi vernaculæ, obliviſcerentur, Chaldæamque inde pro Hebræa in Palæſtinam reportarent.

Dum autem (ut denuò propius ad propoſitum revertar) captivi Babyloniorum, inter Chaldæos verſabantur, imbibebant iterum, tam Sacerdotes ac Levitæ, quam cætera plebs Judaica, Chaldæorum ſeu Philoſophiam, ſeu Theologiam, de *Deo*, de *Angelis bonis* & *malis*; multaque alia hinc ortum ſuum trahentia.

Addere hiſce poſſimus, quod & iſti Judæi, qui tum in Ægypto, tum in Aſia minori, ex diſperſione inter Gentes, jam dudum conſederant, ac cum Ethnicis ipſorumque Philoſophis iſta occaſione converſabantur, ab illis quoque, (tum Ægyptiis, tum Platonicis tum Pythagoricis) multa didicerint dogmata, multasque opiniones fabuloſas, quæ primam ſui originem Chaldaicæ Philoſophiæ, atque Ægyptiacæ inde ortæ debebant: ex quibus (tam hiſce quam illis) demum Phariſæiſmus exortus; aliæque opiniones ſuperſtitioſæ, initia & incrementa ſua ſic nactæ, poſtmodum quoque in ipſum Chriſtianiſmum fecere tranſitum.

Ut autem poſt reditum ex captivitate iſti qui Legi Hebraicæ ſtudere volebant abſque linguæ iſtius notitiâ nihil proficere valebant, niſi illam in Scholis ſub Præceptoribus Scribis ac Sacerdotibus didicidiſſent; Sic etiam poſt reditum illum Lex ipſa quidem Hebraicè prælegabatur, verum adſtabat ſimul מתורגמן, ſive *Interpres;* qui (ſi audiamus hîc Maimonidem aliosque) poſt unumquemque verſiculum prælectum, ſenſum eo comprehenſum linguâ ipſis tunc vernacula (Chaldaica nempe, ac poſtmodum Chaldæo-Syriacâ)

interpretabatur; cujusmodi methodo, aut valde simili, Esra usus fuit per Sacerdotes ac Scribas, cum (Neh. VIII. v. 9.) Lex populo primum publicè prælegebatur: ita enim ibidem habetur: *Et Legerunt in Libro* [*i. e.*] *in Lege Dei luculenter explicantes sensum, & erudientes inter legendum;* vel ut Vulgata: *Distincte & aperte ad intelligendum.*

Quam male vero tunc eruditi fuerint tam Sacerdotes ac Levitæ, quam reliqua multitudo populi, ostendit idem Nehemias cap. XIII. v. 1. 2. *Eodem die .... lectum est in* LIBRO MOSIS, *& inventum est scriptum in eo, quod Ammonites & Moabites in Ecclesiam Dei non debeant introire usque in æternum; eo quod non &c. Factum autem est cum audivissent Legem, seperaverunt omnem alienigenam ex Israële.*

Adhuc magis id apparet ex cap. VIII. v. 14. 15. 16. (postridie post primam Legis lectionem) ubi hæc sequentia habentur: *Postero die rursus collecta sunt capita Patrum totius populi, Sacerdotes & Levitæ ad Esdram Scribam, ut erudiret eos in verbis Legis. Inveneruntque* [NB.] *scriptum in Lege, quam Dominus præceperat per manum Mosis, ut filii Israëlis sedeant in tentoriis in solennitate mensis septimi,* &c.

Post hunc reditum ex captivitate Babylonica, formatamque rursus Rempublicam Judaicam, hæc Lex quidem populo reddita fuit longe magis familiaris; tum quod multi studio Legis incumberent, tum quod ea communi plebi singulis Sabbatis (institutis ad hoc Synagogis, quarum ista memorata prælectio per Esram, aut exemplar aut initium fuit) prælegeretur: verum non ita, ut vel omnes Judæi ipsius apographa possiderent, vel, si maxime possiderent, illa absque interventu atque interpretatione Sacerdotum ac Scribarum audirent, legerent, vel intelligerent; nisi linguam Hebræam prius sub ipsis dedecissent.

Inte-

Interim tamen ab Esra cæterisque Prophetis simul cum populo ex captivitate redeuntibus [ita certè mea fert opinio, quæ tamen aliorum sententiis ut sit præjudicio minime intendo] *Pentateuchus* tum ex ipsa Lege Mosis, tum ex reliquis libris *Propheticis in istâ memoratis* (forsan & ex aliis tunc adhuc exstantibus) Divino instinctu adornatus, ac vel statim, vel tractu temporis, (brevi tamen, uti sentio) in sectiones Hebdomadales divisus, ac populo singulis Sabbatis ita prælectus fuit. Post quæ ille Pentateuchus Legis nomine veniebat, eo quod tota Lex a Deo Mosi tradita, præter alia huc maxime facientia (Historia creationis, cæterisque ibi comprehensis) illo contineretur. Quæ tamen denominatio tunc maximè locum habuit, quum jam *Haphtaroth* (de quibus modo dicendum) adornatæ erant ac publicè quoque prælegebantur; ut sic *Lex* ac *Prophetæ* ab invicem distinguerentur.

Quod interim hìc maxime notandum venit, est tempus atque imperium *Antiochi Epiphanis* (cujus tempore quoque Ptolomæus Philometer in Ægypto regnabat) cujusque genium, sive indolem ac mores, tam Diodorus Siculus, quam Athenæus, diversis in locis nobis ut simplicis aut imprudentis, aut (quod verius affirmant) ut insani sive Ἐπιμανὴς, nobis representant. Hujus enim sub imperio, ex fratrum Pontificum invidiâ ac contentione, posteaque etiam ex aliis causis, Græci ritus atque Idololatria, quibus populus Judaicus jam dudum desueverat, in terram ac rempublicam Judaicam omni vi ac conatu introducti sunt.

Hic igitur Epimanes, anno circiter 168. ante Christi nativitatem Judæam vastavit, Hierosolymam occupavit, Templum spoliavit atque omnibus modis prophanavit, Judæosque vi coegit ad Sacra Gentilium ritu peragenda; talisque exorta fuit per ipsum persecutio, ut libros Legis (quod de Pentateucho quam maximè intelligendum) quos invenerunt, conscin-

conſcindentes exuſſerint igne; & ubicumque inveniebatur apud aliquem Liber Fœderis, aut ſi quis approbabat Legem, ſecundum edictum Regis trucidarint eum.

Atque hinc traxere originem (ipſis id teſtantibus Judæis) *Lectiones Propheticæ* ſive *Hapthároth;* quum jam *Legis* lectio tam publica quam privata ſub pœna capitis eſſet prohibita. Inſtitutum enim fuit a piis atque Legi patriæ firmiter adhærentibus, (paululo liberius rurſum reſpirare incipiente Republicâ,) ut loco Legis prælegerent Prophetas; quorum Scripta ad ea uſque tempora a ſolis, uti videtur, Sacerdotibus ac Scribis conſervabantur & legebantur. In quomodo inſtitutum fuerit non inconcinne nobis tradit doctiſſimus inter Judæos (in Thisbite ſuo) verbis hiſce ſequentibus, Elias Levita: והנה אכתוב מה היא סבת ההבטרה כפי שמצאתי כתוב שאנטיוכס הרשע מלך יון גזר על ישראל שלא יקראו בתורה ברבים מה עשו ישראל לקחו ברשה אחת מנביאים שענינה דומה לענין מה שכתוב כפרשה של השבת ההיא והמשל בשבת בראשית קארו כה אמר האל יהוה בורא שמים ולפרשת נח קארו פרשת כי מי נח זאת לי וכן כל פרשה ופרשה ועתה אף שבטלה הגזרה המנהג הזה אינו בטל ועד היום קורין אותן הפרשיות של נביאים אחד קריאת התורה ונקראת הפסרה לשון הפסקה: *Et ecce, ſcribam quænam ſit cauſa (Lectionis)* ההפטרה. *juxta id quod inveni Scriptum, nempe quod Antiochus Impius Rex Græciæ, præceperit Iſraelitis, ut non legerent legem publicè. Sed quid fecerunt Judæi? legerunt Paraſcham unam ex Prophetis, cujus materia conformis eſſet ei materiæ, quæ deſcripta erat in Paraſcha, quæ in Sabbatho legi ſolebat. Exempli gratiâ, pro Paraſcha* BERESCHIT, *&c. legerunt (ex Eſaia) ſic dicit Dominus, creator cœli ac terræ, &c. Et pro Paraſcha,* NOAH, *legerunt, ſecundum dies Noah, &c. Et ſic de ſingulis Paraſchis. Et quamquam nunc ceſſaverit decretum illud tamen conſuetudo (legendi* HAPHTAROTH) *non ceſſavit, quoniam adhuc*

adhuc hodie legunt istiusmodi Paraschas ex Prophetis, post lectionem Legis. Et vocatur HAPHTARA, *a cessando, seu finiendo.*

Interim, dum sic post vastationem adhuc bellis agitabatur Judæa, Onias Oniæ filius exclusus sacerdotio per Alcimum, confugit in Ægyptum (anno ante Christum natum circiter 162.) ibique tandem anno 150. impetravit potestatem, in agro Heliopolitano Templum Hierosolytano æmulum exstruendi: in quo & Sacerdotes & Juge sacrificium & cætera eo spectantia constituit.

Ut autem tum Ritus ac Cæremoniæ, tum prælectiones Legales debite peragi possent, sacerdotesque ac scribæ ipsorum aliis quoque injungere valerent, quæ peragenda, quæ facienda aut vitanda; necesse quammaxime erat, ut ipsa Lex, seu Pentateuchus (quo illa continebatur) in istam linguam esset conversus, quam illi, quibus eam legere ac nosse necesse erat, intelligerent.

Verum enimvero cum Legis Exemplaria Hebraica, inter Palæstinos pene omnia interiissent, ac si aliqua vel adhuc ibi, vel etiam in Ægypto restarent illa Hebraice essent conscripta, Judæique tum Alexandrini tum cæteri in Ægypto, Asiaque minori longe melius Græcam linguam quam Hebraicam (quam nec ipsum Judæorum vulgus in Palæstina, nedum cæteræ Asiaticæ Gentes, amplius intelligebant) callerent; necessarium summè erat ut versio talis adornaretur, quæ ipsis, & circa Sacra peragenda, & circa populum instituendum ac docendum, posset esse usui ac commodo; nisi jam antea aliquam habuerant.

Verum tamen de tali versione minime constat, quo primùm tempore concinnata fuerit. Certe ante istud tempus Oniæ eam extitisse probari solide non potest. Affirmant quidem tum Philo tum Josephus illam ex petitione Ptolomæi Philadelphi fuisse adornatam (post quos & primitivæ

Ecclesiæ scriptores, qui Hebraicam ignorabant linguam isti traditioni fidem habuere; ac multis quoque circumstantiis fabulosis admodum, sibique inter se repugnantibus; ratione tum Chronologiæ, tum personarum, tum denique & aliarum circumstantiarum) verum nullis argumentis sat solidis id confirmant; ac cum posteriores (Christiani scilicet,) id de tota Sacra Scriptura asserant, tamen hi modo nominati Græcissantes Judæi, id de solo Pentateucho acceptum volunt.

At ejusmodi figmentis, uti & ac confictis miraculis (fabulis vere Judaicis) opus erat, ut huic versioni auctoritas quasi Divina conciliaretur; sicque pari passu illa cum textu Authentico ambularet.

Fuisse tamen aliquam primam Pentateuchi versionem qualemcunque circa tempus Ptolomæi Philadelphi concinnatam pene lubens concedo; quamvis id solis Judæis Hellenistis testantibus affirmetur: At minime istud factum fuisse ex petitione aut jussu istius Philadelphi; multò minus procurante id Demetrio Phalereo: (quod satis clare ostendi posset, si hîc aut res aut locus id commode paterentur) verum hæc alia data occasione forsan brevi a me, peculiari super his tractatu, tractabuntur.

Cum vero (ut paulò propius in viam redeam) post constitutas Synagogas, institutamque ibi Legis lectionem (per singula Sabbata) publicam; Sacerdotes ac Scribæ communem populum minus obnoxium redderent recidivæ in Idololatriam, in quam ex defectu notitiæ ipsius (aliisque de causis) ante captivitatem tam iterative delapsi fuerant; Lex quidem ipsa, i. e. totus jam Pentateuchus, per sectiones Hebdomadales divisus distributusque prælegebatur: verum scripta Prophetarum, (atque etiam Hagiographorum) adhuc intra privatos, tum sacerdotum, tum scribarum parietes latebant; neque illa communi plebi (quantum expiscari licet) communicabantur, aut usui erant.

Hoc (præterquam ex aliis quæ adduci possent) firmatur ex eo, quod Lectionum Propheticarum nulla mentio fiat; multò minus quod, *ante ista sc. tempora*, in usu publico fuerint; verum, uti jam vidimus, occasione tantum persecutionis sub Epiphane productæ, atque in istum usum (selectis inde *Paraschis* sive Lectionibus, loco Legalium) institutæ sint. Quæ Lectio Prophetarum publica, licet ex defectu Codicum Legis ortum traxerit, tamen continuata fuit, jam denuò restitutis (sive recuperatis numero sat copiosis) Codicibus Legis: nisi quod istæ Lectiones (seu sectiones) Propheticæ (Legi nunc sua prærogativâ restituta) servarentur usque ad discessum pene populi ex Synagoga, i. e. ante ipsius post Benedictiones, dimissionem. Quod etiam observamus in Actis Apostolorum: ubi I. quidem habemus, cap. XV. v. I. *Moses enim a temporibus antiquis* (ἐκ γενεῶν ἀρχαίων, κτ' πόλιν &c.) *habet in singulis Civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis; ubi per omne Sabbatum legitur.* Verum II. habemus, cap. XIII. v. 15. Μετὰ ἣ τὴν ἀνάγνωσιν τȣ̃ Νόμȣ, ϗ τ̃ Προφητῶν, *Post Lectionem autem Legis ac Prophetarum.*

Samaritani quoque (ut de ipsorum Pentateucho etiam aliquid dicam) satis argumento sunt, nihil ex Bibliis præter solum Pentateuchum ante Tempora Philadelphi fuisse publicatum. Ipsorum enim Pentateuchus (quamvis non omnimodè verum & plane accuratum) apographum Pentateuchi Hebraici, ac minime Græcorum fuit: atque inde versionem Græcam suam Onias (in usum Templi Heliopolitani) fortasse mutuatus est. Fitque id eo magis verisimile, quod Græcarum versionum Chronologia [ne plura hîc adducam] cum Samaritanor. textu longe magis quam cum Hebræorum conveniat.

Jam disquisitione non indignum est, quonam tempore demum *Pentateuchus* ad Cuthæos cæterasque Gentes, qui

 regio-

regionibus Samaritanis post expulsos, seu devectos potius, inde decem Tribus inhabitabant, pervenerit.

Nullos ibi relictos fuisse *Samaritanos*, nedum tot (ac multi volunt) ut formam qualicunque modo Tribuum reservarent, satis clarum est ex ipsa Sacra Scriptura. Omnes enim avecti fuerunt: quod contigit anno circiter ante N. Christum 720. neque ulla ex 10. Tribibus illis reversa denuo in Patriam fuit: verum *Cuthaei*, aliaeque Gentes Idololatriae, in ipsorum loca, ex Babele, aliisque regionibus Chaldaicis eò transplantatae fuerunt. Quae cum propter Idololatriam a Deo leonibus infestarentur, ministerio Sacerdotis ex captivis Samaritanis ad illos Babele transmissi, Lex ipsis utcunque proposita & communicata fuit; ipsum enim hunc Sacerdotem eò secum attulisse Legem perscriptum (& quidem ut nonnulli ex eruditis volunt, Pentateucho comprehensam, ac, quod plus est, literis illis antiquis Samaritanis, quas nunc per plurimi pro antiquis illis Hebraeis habent) nec verum, nec veri simile, est; ut pluribus Argumentis demonstrari posset.

Docuit ille quidem, (ut ipsa loquitur S. Scriptura) *ipsos, quomodo timerent Dominum; attamen faciebant quaeque gens Deos suos; quos collocabant in aede Excelsorum &c. sicque partim serviebant Domino, partim Idolis suis*, quae ex Cuthaea caeterisque Regionibus eo deportaverant.

Et Josephus tamen (qui tam saepe temere audax ac mendax contra S. Scripturam est; ut cap. VII. & alibi pluribus ostendetur) affirmat, ipsos sic edoctos. φιλοτίμως (quod *ambitiose*, *summo cum studio*, ac *certatim* denotat) *Deum coluisse, eumque verum cultum usque ad sua tempora perpetuo continuasse*. Quod quam bene concordet cum S. S. verbis, unicuique primo intuitu aperte patet: At nec hisce contentus *Pestem* hic pro *Leonibus* (quos S. S. nominat) substituit: ac (λοιμὸς γὰρ αὐτοῖς ἐνέσκηψεν ait) *Pestem illam tam vehemen-*

hementer ipſos afflixiſſe , ut nullum remedium excogitare ei depellendæ valerent : eos tamen (χρησμῷ) quodam ex Oraculo dediciſſe, ut Deum Maximum colerent, qua re præſtitâ ſtatim quoque deſiiſſe peſtilentiam.

Aſt *Oraculo* quoque monitæ hæ Gentes (auctore hoc Joſepho) fuerunt, Gentilium, certe, aliquo: nam ſi Divino, id per *Prophetam* aliquem , aut *Viſionem ſommiumve* vere Divinum, contigiſſe opportuit: quorum nihil ex ipſa S. Scriptura liquet; quæ tantum has gentes per leonum ſævitiam monitos notat. Verum in tantum hic vere ſemipaganus (prætenſus tamen Sacerdos Judæorum) ſemper adulari Romanis ac Græcis nititur , ut ipſius S. Scripturæ & ſenſus & verba Gentilium ſuperſtitionibus, ac loquendi modis & formulis, accommodet.

Quamvis igitur idem Joſephus & *Sacerdotes* (plures numero) & τὰ νόμιμα ſeu *Legem* ipſis ex Babele adveniſſe affirmet , illa tamen ad S. Scripturæ verba (uti perplurima alia Joſephi) corrigenda ſunt. Interim ex talibus conjecturam facere licet, quam ſecure huic Joſepho, & circa reliqua quæ de hiſce *Cuthæis*, ſive *novis Samaritanis*, & circa alia plura narrat, fides adhiberi queat.

Quamdiu vero abſque illa Sacerdotis Samaritani inſtitutione ibi vixerint iſti *Cuthæi* cæteræque ipſis adjunctæ gentes, ſacer textus minime exprimit : at quam bene per illum inſtituti fuerint , ac quam *ambitioſe* hinc *verum Deum coluerint*, conſtat tum ex aliis, tum ex his ſequentibus S. S verbis : *Hæ Gentes quidem timuerunt Dominum, ſed nihilominus ſerviebant & Idolis ſuis. Nam & filii eorum & Nepotes eorum ſicut fecerunt patres eorum , ſic quoque faciunt in hunc uſque diem:* ad eum, ſcilicet, uſque quo ſacer ſcriptor hæc ſcriptis commiſit.

An vero ante *Sannaballatem*, aut Legem ullam ſcriptam aut (quod plus eſt) ipſum Pentateuchum , per Sacerdotes,

vel alios, nacti fuerint non liquet; nec concedent postremum illud facile, Theologi illi, qui Pentateuchum, (tum ex Lege, tum ex aliis scriptis Propheticis,) ab Esra compositum, vel in ordinem saltem redactum ac digestum, volunt. Quin & contrarium patere exinde videbitur, quod spatio pene 400 annorum, quod inter initia captivitatis ipsorum ac *Sannaballatis* (seu cum Scaligero placeat Sanballetis) Templum ædificatum comprehenditur, nihil de *Pentateucho* ipsis communicato, studiove ipsorum erga Legem, ullibi liqueat.

Quod attinet ad *literas Samaritanas* earumque origines; istæ admodum obscuræ sunt. Nam 1. minime constat istos *Cuthæos* &c. ullas secum, e regionibus istis Babylonicis, detulisse literas in terram Palæstinam: quamvis id minime negare velim. Verum si (2) id factum fuit, nullum dubium mihi est quin fuerint illæ Assyriacæ; istarum scilicet regionum unde in hasce Colonias *Cuthæi* illi cæteræque illis adjunctæ gentes deductæ fuerunt. Nec verisimile (3) est, illas, quæ tam tenaces adhærebant Idololatriæ suæ, etiam post *Sacerdotem Samaritanum* ad ipsas missum, tam subito abjecisse omnes suas literas, ac scribendi morem, ob nihil aliud quam, quod alias in Regiones essent transplantatæ, aliorumque occupassent sedes vacuas [cum non constet ullos veteres Samaritanos, quidquid alii somnient, ibi remansisse] ac, per leones immissos castigatæ, pro parte quidem alium quoque cultum suscipissent, sed, pro maxima parte, veteri suæ Idololatriæ cultuve extraneo nihilominus adhæsissent.

Nec constat (4) nec probabile est, Pentateuchum (i. e. quinque libri Mosis) eo per Sacerdotem Samaritanum istum fuisse perlatum: quum ne quidem de *Samaritanis* per *Salmanassarem* avectis in Assyriam constet, ipsos *codices ullos Biblicos* in exilium secum detulisse: ac si maxime id constaret

ret non conſtat tamen (imò plane contrarium veriſſimum eſt) ipſos eo abſportaſſe *Pentateuchum;* quod ſi quammaxime conſtaret, non conſtat tamen inde literis illis, quas nunc appellamus Samaritanas, eum tum fuiſſe conſcriptum.

Hinc porro (5) diſquirendum venit, unde iſtæ (quas nunc pro Samaritanis habemus) literæ ortum traxerint, & annon fuerint Chaldææ ſive Aſſyriacæ, alterius cujusdam Scripturæ; ſive ex diverſitate regionum, ſive alia quadam ex cauſa vel conſuetudine: uti id & in Latina lingua, & Græca & aliis videmus; ubi majuſculæ ac minuſculæ literæ multum admodum inter ſe diſcrepant; imo & in literis Orientalibus, non ſolum Syriacis aliisque, verum & in ipſis Hebraicis: uti id tum ex iſtis literis, quibus facilitatis causâ tam in quotidianis ſcriptis ſuis Hebraicis, quam in impreſſis (poſtea) marginalibus commentariis tum *Biblicis*, tum *Gemaricis*, tum aliis quoque libris, utuntur.

An etiam (6) hæ *literæ* unquam fuerint *Phœnicicæ* (quod tamen magnus ille Joſ. Scaliger, uti & alii multi pereruditi viri poſt ipſum opinantur) vel a *Phœnicibus* deſumptæ. Namque iſtæ certe literæ quas (poſt Ant. Auguſtinum) in Punicis ſuis numiſmatis exhibet [modo *Phœnicicæ literæ* eædem cum *Punicis*, ſi non per omnia, ſaltem pro plurima parte, fuerint] Eruditiſſimus Hiſpanus *Bernardo Aldrete*, lib. 2. cap. 1. doctiſſimi operis cui nomen dedit, *Antiguedades de Eſpaña, Africa y otras Provincias*, longè alia forma, ac nihil pene cum vulgo dictis *Samaritanis* commune habentes, ibi comparent; ſicut nec cum Jonicis, circa quas tantum laboris inſumpſit verſatiſſimus circa Orientalia Scaliger. Phœnicias interim has fuiſſe literas, ex piſcibus Phœnicum inſigni, atque aliis, facile quis hic conjectare poſſet. Verum de Samaritanorum ac Phœnicum literis forſan latius alibi, ac curatius, agam.

Ex hiſce igitur concludi poſſe videtur, ex literarum formis,

mis, de Antiquitate Codicis Samaritani (quem alias ſupra omnes verſiones æſtimo) minime certum ferri judicium.

Ut autem minime comprehendo quid Eſram movere potuiſſet, ut rejectis literis veteribus, quibus jam Lex & alia Sacra deſcripta fuerant, in conſcribendo jam *Pentateucho* aſſumpſerit ſibi novas; cum nondum ſchiſma illud inter *Sanaballati* generum *Manaſſem* & *Jaddum*, eorumque ſequaces, exortum fuerat; neque adeo ex cauſa tali, ut vulgo prætenditur, iſta immutatio, ſive innovatio fieri potuerit; ſic non video, *Cuthæos* ſeu novos Samaritanos ante illud ſchiſma *Legis* ſimul ac *Pentateuchi* Codices accepiſſe.

Unde igitur, quærat nunc forte aliquis, literæ iſtæ Codicis Samaritani? Si mihi ſit reſpondendum, fateor me neſcire an Chaldæis illæ fuerint in familiari magis an in rariori uſu; an vero fuerint peculiaris cujusdam Gentis Aſſyriacæ, ſive *Cuthææ*, ſive *Avaitææ*, ſive *Hamathææ*, ſive denique *Sepharvaimææ*, ſive cujuſcunque alius demum populi; niſi quod ex Chaldæa ortum traxiſſe, vel inde tranſlatæ ad minimum videantur. Ac magis quidem mihi probabile eſt, Judæos ſchiſmaticos ſimul cum ſede ac Templo mutatis, immutaſſe quoque, ex odio in Judæos Hieroſolymitanos, ſcribendi formam, quam Eſdram literas veteres immutaſſe; cum nulla adhuc ad talia facienda daretur occaſio aut cauſa.

Interim manet in incerto, quænam literarum formæ, Chaldaicæ illæ quadratæ aut vero decantatæ iſtæ Samariticæ fuerint magis antiquæ. Ac ſi depromere licet quod ſentio, majorem hîc tribuerim Antiquitatem quadratis Chaldaicis literis, quam iſtis Samaritarum ita dictis: eo quod nulla pateat facta unquam ab Eſra literarum ſive immutatio, ſive innovatio; quidquid hic contra clament, ex odio illo pluſquam Vatiniano in Samaritanos novos, nugatores Talmudici ac Rabbinici.

Si

Si jam ulterius quoque consideremus, quando primùm Lex Hebræorum, sive Pentateuchus, ad ipsos *Cuthæos* cæterosque populos in terram Israëliticam, ut in colonias eo transplantatos, pervenerit; id certe non ante 332. annum Christi nostri nativitatem antevertentem contigit. Quod si ille tum temporis ad ipsos pervenit, id factum est per *Sannaballatum* (seu Sanballetem) *Cuthæum*, qui a Dario ad Alexandrum deficiens, cum octo suorum millibus sese ad ipsum contulerat, ab eoque libenter acceptus, petierat, ut per eum sibi liceret Templum in sua ædificare Provintia, cui generum suum *Manassen*, (qui a Pontificatu Hierosolymitano depulsus fuerat) Pontificem præficeret; quodque a Dario ille obtinere non potuerat, sic ab Alexandro obtinuit.

Hierosolymorum namque seniores ægre ferentes *Manassen Jaddi*, summi Pontificis, fratrem, contra Legem duxisse externi generis fœminam (filiam, scilicet, *Sannaballatis Cuthæi*) postularant, ut aut uxorem ille dimitteret, aut ad altare amplius non accederet. Cumque ob id frater Pontifex a ministerio ipsum repellere cogeretur, ad socerum *Sannaballaten* ille profectus, se quidem amare filiam ejus dixit, nolle tamen propter eam privari Sacerdotio: qui honor & gentilitius ipsi, & apud Judæos semper in maxima existimatione fuerit. *Sannaballates* contra recepit, se illi non Sacerdotium tantum servaturum, sed & Pontificatum paraturum, & totius suæ provinciæ principem eum facturum, modo filiam suam retineret uxorem: ædificaturum quoque Templum, in monte [Gerizim] qui imminet Samariæ, Hierosolymitano simile: idque se Darii regis auctoritate facturum est pollicitus. His ille captus promissis, mansit apud Socerum; putans se Pontificatum a Dario consecuturum. Quod omnes quoque Sacerdotes & Israëlitæ (seu potius Judæi) qui alienigenarum similiter implicati erant conjugiis, ad *Manassen* defecerunt, *Sannaballate* [NB] præbente & pecu-

niam & agros ad colendum; ac modis omnibus ambitionem generi promovente.

Hi Sacerdotes igitur (ac si qui Levitæ, ac Scribæ ipsis interfuerint) proculdubio simul Apographa Legis seu Pentateuchi eò detulerunt; ac forsan posteà inde rursus, pro parte, instaurata sunt inter Judæos Pentateuchi exemplaria, cessante jam in Legem ipsorum furore Antiochi vere Epimanis.

Quod autem *scripta Prophetarum* secum eo non portaverint, id proculdubio evenit, quod illa scripta adhuc in Sacerdotum ac Scribarum scriniis delitescerent, neque adhuc in usum publicum producta fuissent. neque dubito exinde, quod ipsis in posterum illa a Judæis denegata, fuerint, primum plane ista illis neglectui, ac denique contemptui atque odio, ex odio contra Judæos, fuisse, planeque nullius auctoritatis.

Quamvis autem possiderent sic Mosis Pentateuchum, tamen non videntur ita publice populo ipsos illum solenni ritu prælegisse; istis saltem temporibus quæ Antiochi Epiphanis imperium præcessere.

Hinc enim evenisse puto, quod (si Josepho hic fides habenda) videntes Judæos ab Antiocho miserrime oppressos, origine Sidonios se esse profiterentur; indeque literas ab Antiocho ad Apollonium præsidem suum & Nicanorem procuratorem regium obtinuerint, ut in communem cum Judæis causam ipsos non involverent; utque Templum Gariezitanum, hactenus nullius Dei titulo insignitum, Διὸς Ἑλληνίου sive *Jovis Græcanici* nomine deinceps (Joseph. lib. 12. c. 7. Antiquit.) appellaretur. Quod minus mirandum, si consideremus, quam sæpe jam ante captivitatem Babylonicam, ex simili defectu populus Israëliticus in Idololatriam delapsus fuerit. Verum enim vero Fl. Josephi testimoniis non nimis secure fidem adhiberi, ex iis, quæ de ipso adhuc dicenda sunt inferius, satis superque manifestum fiet.

Hæc

Hæc interim indicio ſunt nondum iſto tempore Scripta Prophetica atque Hagiographa communi Judæorum populo communicata fuiſſe ac publicè prælecta; verum adhucdum latitaſſe in *ſcriniis Sacerdotum* ac *Scribarum*: donec tandem ex occaſione, (ſeu potius neceſſitate) diræ perſecutionis, ac librorum Legis pene omnimodâ per A. Epiphanem exuſtione (gliſcente fere adhuc in Judæorum Codices iſta impia rabie) producti fuerunt, atque univerſo populo Judaico in uſum publicum Synagogarum divulgati *cæteri iſti libri ſacri:* quos uti jam dudum antea (ac probaliter Eſdræ tempore) *Pentateuchum*, ſic etiam in ſectiones Sabbaticas, ſive hebdomadales, diviſerunt, easque plebi Judaicæ ſingulis Sabbatis prælegerunt: donec demum ceſſante perſecutione, atque ex repullulante denuo ſufficienti exemplarium copia reſtauratoque ita in integrum Pentateucho, hæ ſectiones Propheticæ (uti jam ſuperius dictum) pro Haphtaroth, ſive Lectionibus ſecundinis (ut ſic loquar) populo jam jam ex Synagogis abiturienti prælectæ fuerint. Quæ Lectiones *Moſis ac Prophetarum*, etiam poſtea in Synagogis perdurarunt.

De *Pentateuchi Samaritanorum verſione Græca* (cujus mentio apud veteres) & an illa iſti prætenſæ τ̃ LXX. verſioni antiquior ſit; an vero & alia Judæorum Helleniſtarum, cum Jeremia, aliiſque in Ægyptum tranſlatorum, hanc τῶν LXX. nomine venientem, ratione vetuſtatis antecedat, anxie hîc diſquirere nolo; uti nec quo demum tempore, ac per quos qualesve, primùm prodierit verſio illa, uti & unde denominationem ſuam nacta fuerit, quæ (utcunque temporis tractu aliis permixta ac confuſa, forſan & in totum hoc tempore deperdita) adhucdum Verſionis Septuagintumviralis nomine vulgo, ac pene ubique inter eruditos, venit.

Certum eſt interim, ac dudum ab aliis clare oſtenſum (uti & a me jam ſatis ſuperque notatum) ſolum Pentateuchum,

ſive ab unico, ſive a pluribus ſimul, ad id congregatis Interpretibus, ac diu quidem ante Ant. Epiphanem fuiſſe in Græcam linguam converſam: quod de cæteris Hiſtoricis ac Propheticis libris minime patet; imò contrarium potius (uti ex modo ſuperius allatis non obſcure apparet) clare oſtendi poſſet: cum ipſe Canon S. Scripturæ non niſi poſt *Epiphanem* confectus, ſaltem evulgatus, fuerit. Verum hæc alibi, aliaque nobis data occaſione, latius pertractanda ſunt.

Nihil igitur probabilius eſt quam Judæos iſtos Alexandrinos, ſive Helleniſtas, Pentateuchi iſtam verſionem Græcam ſibi ſuisque in uſum Synagogarum publicum (uti & aliæ Gentes ſectæ Judaicæ tractu temporis eum in ſibi vernaculum linguam traduxerunt) concinnaſſe, eamque per Aſiam minorem ſatis mature fuiſſe diſperſam. Hiſtoria enim illa tam ubique atque a tot ævis decantata mera fabula eſt, quæ de 70. Interpretibus Judæi poſteriores confinxerunt, ut ipſi eo majorem auctoritatem, Sanctitatem imò & Divinitatem (ut ſic loquar) conciliarent, tum apud Judæos Hebraice neſcientes, tum apud ipſos Hebraizantes: quibus tamen id non ita perſuadere potuerunt. At hîc non ſtetit ipſorum audacia: verum & miracula confinxerunt, quæ circa adornandam iſtam verſionem Græcam contigerint, ita Judaicè, ut quisvis parumper ſolum emunctæ naris abſurdam ipſorum falſitatem ſtatim odorari queat. Et fuit quidem inter ipſos nugax quidam Græculus *Ariſtæas*, qui per ridicula ſua narrata tamen multis Judæis ac Chriſtianis hîc non nimium circumſpectis imponere valuit.

Quod vero attinet cætera Scripta tum *Hiſtorica* tum *Prophetica;* illa, licet ſerius, interim, ſive per Judæos ex Palæſtina in Ægyptum confugientes, aut aliter demigrantes, eo ſimul deportata; ſive ab ipſis in Ægypto jam dudum habitantibus Helleniſtis, inde [e Palæſtina] petita, a diverſis quoque, tum melioribus tum pejoribus (neque ullius libri

tam

tam accurata verſio eſt quam illa Pentateuchi verſio) Interpretibus videntur tranſlata: quod argumentis ex ipſis verſionibus petitis facillimè oſtendi poſſet.

Occaſio vero qua *libri Apocryphi* conſcripti Judæorum Helleniſtarum plebi pro veris ac Canonicis obtruſi fuerunt, mihi videtur fuiſſe eadem Judæorum miſerrima calamitas, quâ, poſt devaſtationem tum Regio Iſraëlitica, tum Urbs Hieroſolymitana, tum denique Templum Hieroſolymitanum, per totum triennium deſolata manſerunt; ac cultu denique reſtituto, Onias per Alcimum ſummo Sacerdotio excluſus, a Ptolomæo Philometere obtinuit, ut Templum ad æmulationem Hieroſolymitani ædificaret in regione Hieropolitanâ, ibique ipſe ſummum gereret Pontificatum.

Optima igitur occaſio id faciendi videbatur, quo tempore nuper adhuc Sacri Codices illi, quaſi tabulæ ex naufragio recollectæ, nec omnes ſimul adhucdum, videbantur reſtaurati; neque ab omnibus juſto adhuc criterio diſcerni poterat illi qui vere Divini eſſent ac Canonici, ab iſtis qui impia fraude ab impoſtoribus (Sacerdotibus, procul dubio, nonnullis & Scribis) talia confingentibus, pro Divinis ac Canonicis erant inductæ, atque ignoranti plebeculæ (imò & aliis minus emunctæ naris) obtrudebantur.

Quæ plebs eo facilius hìc falli poterat quod linguam Hebræam, jam minime haberet vernaculam (cujus notitia ſufficiens tunc etiam pluribus aliis deërat in ipſa Palæſtina) iſtamque addiſcere neceſſe haberet a Sacerdotibus ac Scribis, ſi libros Sacros legere atque intelligere vellet.

Quo tamen accedebat quoque, quod interpretatio cum Legis tum Prophetarum (ac præcipue quidem Doctrina & deciſiones Legales) ab iſtis Sacerdotibus ac Scribis eſſet petenda. qui quomodo ſeſe circa commune Judæorum vulgus gererent ſatis patet ex Evangelio Joan. cap. VII. v. 49.

Piæ fraudes, igitur, illæ, (per quas tantum quoque detrimen-

trimenti accepit, per similes hisce impostores, primitiva Christianorum Ecclesia) videntur quidem primùm cœptæ per famosas istas *appendices* librorum *Danielis* atque *Hesteris;* quibus alii libri suppostititii sensim acccessere, Græcisque Alexandrinis (quos quales describat Imper. Adrianus epistolâ ad Servianum, apud Plinium, videri potest) aliisque nimium credulis Judæis Asiaticis aut minime, aut minus saltem, Hebraicè peritis, obtrusi fuerunt. Quin nec soli Græculi Ἐπηγέται, ejusmodi Apocrypha (Celeb. Isaaco Vossio, tantæ venerationis, imò Sacra & Canonica) confinxerunt: verum & unus alterve Latinus hanc gloriolam, sub titulo suppositio, occupare studuit; uti patet ex 4. Esdræ libro: qui nuspiam nisi Latine inventus fuit.

Interim ab ipsis Legis Doctoribus sibi hanc Legem cæterosque libros verè Sacros ac Canonicos servantibus, populoque communi tot & talia quot ac qualia ipsis placerent communicantibus, magnum sane incommodum exortum fuit.

Justissimo Dei judicio puniti fuerant Judæi exilio ac captivitate Babylonica, ob derelictum verum atque unicum Deum; per quam pœnam tandem, quasi ex gravissimo Lethargo expergefacti, in posterum resipiscere ceperant; neque unquam post liberationem ex ista captivitate rursus in Idololatriam, quasi morbi epidemici recidivam delapsi sunt.

Huic malo præveniendo quoque tum *Esdras*, tum *viri magnæ Synagogæ*, aliique posteriores ipsis Sacerdotes ac Scribæ Synagogas, prælectionesque ibi ex Lege, instituerant, ac per singula Sabbata continuarant; ut sic populus *Legem* (statuta, minas, ac promissiones) Dei veri edoctus, non amplius, ut canis ad vomitum, aut sus ad lutum, reverteretur ad mores ac ritus Idololatricos.

Verum enim vero, ne plebs Judaica hinc nimis sapiens redderetur; sed illi Sacerdotes ac Scribæ (qui sese חכמים seu *Sapientum* & *Legis Doctorum* nomine appellari curabant) sibi

ſibi ſemper auctoritatem atque imperium in iſtam pararent ac conſervarent, *Legem ſcriptam* quidem prælegebant populo; verum ſimul aliam quandam *Legem Oralem*, ſcilicet, ſive *non ſcriptam*, quamque (ſi hic ipſorum Traditiunculis, ſeu potius anilibus fabulis, fidem habere volumus) Deus Opt. Max. ipſi Moſi, ut Deuteroſin vel Interpretationem Legis ſcriptæ, in monte Sinai tradiderit, confingebant; ut illa perpetuo eſſet quaſi clavis, qua *Legis ſcriptæ* obſcuriora, magis ſacra ac recondita, per Sacerdotes, *quorum Labia Legem cuſtodiebant*, explicarentur plebi Judaicæ, ipſique ita ſedentes *in cathedra Moſis* populum ſic commodius (in ſuam rem propriam) judicarent ac regerent.

Ex hac *Miſchna* (quæ tamen non ante ultimam Templi deſtructionem in unum corpus collecta ſcriptis mandata ac ſolis ſapientibus, ſic dictis, publicata fuit) *Legem* ac *Prophetas* interpretabantur, totumque jus Eccleſiaſticum, Civile ac Forenſe, exercebant ii, qui Synedrii tum majus, tum minus occupabant; quique aliàs in Synagogis populum publicè docebant.

De hac *Miſchna* (ut multa mira de lente, ſicut eſt in proverbio) quammulta mira ac magna fabulati ſunt hi nugaces nimium Judæi, ut apud omnes ipſi conciliaretur & veneratio & auctoritas. Moſes nempe Legiſlator per 40 iſtos dies quibus commorabatur in monte Sinai, a Deo Oralem quoque didicit Legem, præter iſtam quæ ſcriptis mandanda erat. Quæ Lex Oralis *Miſchna* erat ſeu *Deuteroſis* atque iteratio (non tantum, verum) & ulterior explicatio, adeoque ut Lux & Lucerna qua *Lex ſcripta* per ſapientes, quibus illa fuerat commiſſa, ulterius eſſet explicanda atque illuſtranda: eoque multo dignior ac venerabilior erat ipſa *Lege ſcripta;* imo in tantum, ut fundamentum Religionis Judaicæ non ſit Lex ſcripta, verum illa quæ ſic Moſi Oretenus tradita eſt: eo quod propter *Legem Oralem* initum ſit fœdus a Deo

a Deo cum Israële; sicut scriptum est [videas, quæso, mi Lector, quam bene ac recte hîc S. Scripturæ verba per recutitos explicentur!] *Quia juxta verba hæc pango tecum fædus, & cum Israële* Exod. xxxiv. v. 27. *Et hæc sunt Thesauri* (pergit R. Isaac Corbulensis, cujus verba hîc recito) *Sancti Benedicti, sciebat enim futurum ut Israëlitæ transportarentur inter alios populos, & quod transscripturi essent Gentiles libros ipsorum; idcirco noluit scripto tradi Legem Oralem, &c.*

Si quis interim quærat quonam argumento hæc dicta firmentur, noverit is ex ipsorum sententia nihil Sanctissimo *Talmude* esse superius; studiumque adeo Talmudicum omnibus aliis studiis esse præferendum; eo quod (ita enim loquitur) impossibile sit consistere nos [Judæos] posse super fundamento *Legis sanctæ*, quæ est *Lex scripta*, nisi per *Legem Oralem*, quæ est explicatio ejus. Ac tanti quidem est his nugatoribus impiis ista *Lex Oralis*, seu *verba scribarum*, ut ad ipsa magis attendendum sit quam ad verba *Legis*.

Neque mirum istud alicui videri debet, quoniam [Talmud. Hierosf. cod. Berachoth] החכמים *Hachachamim* seu *Sapientes* ac *Doctores Talmudici* in tantum extolluntur, ut de iis dicatur: *Sapientes præstantiores sunt Prophetis:* & ratio est, quia *Prophetæ* tenebantur suam doctrinam confirmare miraculis & aliis extraordinariis signis; cum de sapientibus absolute ac simpliciter dictum sit! *Et observabis ut facias juxta omnia quæ docebunt te.* Deut. xvii. v. 10. Plura hisce similia inveniet facile lector tam apud Buxtorfium (cui hæc modo allata debeo) quam alios; si ejusmodi nugæ ipsi aliquo modo placere potuerint.

Legem scriptam igitur & deprimebant vehementer, & simul corrumpebant *Constitutionibus*, interpretationibus ac traditiunculis suis: atque, uti nasum e cera confectum, quocunque ipsi vellent vera illius sensa ad lubitum detorquebant

per

per pretenſam hanc *Legem Oralem* ; ut ſic ſub ſervitutis jugo populum detinerent. Iſti quidem Judæi qui *Caraim* appellabantur ita plane literali S. Scripturæ ſenſui adhærebant (ſicut & *Sadducæi*, quorum hi ex parte ſequaces fuere, & adhucdum ſunt) ut nullas traditiunculas, nullave πατροπαράδοτα, *Miſchnam*, *Legemve Oralem*, extra S. Scripturam, admitterent (unde & capitale cæterorum Judæorum in ipſos odium, uti notum eſt) aut nullam ipſis auctoritatem tribuerent. Verum hi pauci admodum numero, præ ceteris Judæis *Phariſæis* ac *Phariſæorum ſequacibus*, & olim erant & adhuc ſunt. *Phariſæi* vero in proprium commodum his abutebantur, quotidieque novas traditiunculas comminiſcebantur, ac ſub ipſarum prætextu communi Judæorum plebi (imò & cæteris quandoque) graviſſima onera imponebant.

Nec deërat occaſio quam optima, cum hi populo dominarentur, eo quod cuncta Synedria, cunctaſque complerent Scholas ac Synagogas, ibique & alibi, per *Deuteroſas* iſtas, in quibus conſiſtebat Jus ipſorum Civile ac Canonicum plebem Judaicam explicando, decidendo, judicando, imperando, prohibendo, &c. imperioſe regerent. Curabant quidem ut *Lex* ac *Prophetæ* ſingulis Sabbatis populo prælegerentur; ſed *Miſchnam* ſuam populo minime communicabant aut publicabant, verum anxiè illam inter ſe cuſtodiebant; ſic ut nec in unum corpus redacta fuerit, Rabbiniſque ſic omnibus communicata, niſi jam annis circiter 150. poſt Chriſtum natum, ac 120. poſt ultimam Templi atque Urbis deſtructionem, præterlapſis.

Ac Rabbi Juda quidem *Miſchnam* (ſeu mavis *Miſchnajoth*) in unum volumen tunc undique coëgit; ſed temporum tractu huic *Miſchnæ* contextui acceſſit ſua *Gemara*, ſeu ſcholia, diſcurſus, traditiones ac diſputationes Talmudicæ Doctorum (vel Rabbinorum) ſuper libris, vel libro,

M *Miſch-*

Mischnajoth: quæ *Gemara* sensim post *Mischnam* collecta & absoluta (quasi) fuit circa annum D. N. Jesu Christi 500. si non serius, utrumque contigerit.

Sicque post illud tempus collectanea illa pro commentario quasi perpetuo atque Authentico recepta fuerunt; ita ut *Mischna* & *Gemara* simul junctæ Talmud Judæorum [de Babylonico, cujus potissima auctoritas, hîc potissimum loquor] constituant, Judæorumque Corpus Juris tum Canonici tum Civilis componant. Verum hæc apud alios latius pertractantur.

Sacerdotes autem ac *Scribæ*, seu *Magistri* Judæorum hujusmodi absurdissimis opinionibus imbuti, quales *Zabiorum* atque in universum pene *Chaldæorum* erant, quæve ex istis saltem fontibus scaturierant, reliquos Judæos (quos, dum sese ab istis ut impuris separabant, nomine הדיוט *Hedioth* כולבא *Coelbo* & עם ארץ *Ham Arez* appellare solebant) istis quoque opinionibus imbuere studebant: idque commodius perficere valebant, quod plebs illa, seu commune vulgus Judæorum, ex conversatione parentum cum Chaldæis plus superstitionis inde Chaldaicæ, quam notitiæ Legis Divinæ (uti ex exemplis apud Nehem. cap. VIII. v. 15. & XIII. v. 1. & alibi, patet) reportasset. Unde & facilius Legem suis prætensis traditiunculis (vide Matth. c. XV. &c.) in monte Sinai acceptis, aliisque anilibus fabulis, atque interpretatiunculis sæpe nugacissimis, corrumpere poterant.

Non tamen omnes Judæi æque patienter ista tolerabant, ipsorumque traditiunculis fidem adhibebant, auctoritatemve ullam ipsis tribuebant. Sed cum hi *Pharisæi* fere continuò nil præter Deuteroses suas, seu traditiunculas e Sinai Monte creparent, iisque populum Judaicum sub perpetuo servitutis jugo detinere studerent; illi (nempe *Sadducæi*) ex adverso, omnes, præter ipsam Sacram Scripturam, Traditiones rejiciebant: ac dum isti ex illa prætensa Orali Lege sua

ſua dogmata illa de *Metempſychoſi*, de *triplici animarum ſtatu* poſt mortem (unde & *purgatorium* Romanenſium primam ſuam originem traxit,) de *Angelis bonis* (qui non tantum unicuique hominum, verum & ſingulis Regionibus, anni tempeſtatibus, menſibus, ſeptimanæ diebus pluribusque ſimilibus rebus appoſiti erant) ac *malis* quoque, plurima quotidie creparent, iiſque præter ac contra S. Scripturam virtutes Magicas adſcriberent, illosque adeo Magicarum artium Magiſtros facerent, hominibusque viſibili forma apparere confingerent: dum, dico, iſti *Phariſæi* (namque iſtam appellationem temporis tractu ſolum in ſive uſum ſive abuſum veniſſe exiſtimo; quod ſeſe magis magiſque a communi hominum cœtu ac converſatione ſepararent) ad omnia extrema ac perverſa dogmata tam ex Chaldæiſmo, quam etiam ex Platonicorum ac Pythagoreorum doctrinis abſurdiſſimis hauſta decurrerent, *Sadducæi* (ſeu plurimi Judæorum aliàs cordatiorum, qui poſtea iſtud nomen adepti ſunt) tanto faſtidio iſtorum dogmatum afficiebantur, ut (quod ſæpiùs accidit ſtultis, qui *dum vitant vitia in contraria currunt*) hi totam *mortuorum reſurrectionem*, (cui ut firmiſſimo fundamento Religio noſtra Chriſtiana ſuperædificata eſt,) cunctosque tam *Angelos*, quam *Diabolos* tollerent, omnesque in totum Traditiones, ſeu Deuteroſes rejicerent, ſolamque reciperent S. Scripturam; quod ex iſta Deuteroſi, tanquam ex equo quodam Trojano, plurimæ tum ſuperſtitioſæ, tum falſæ opiniones prodiiſſent.

Ita enim plane mea fert opinio, *Sadducæiſmum* per *Saddocum* & *Baythum* (forſan & jam ante, licet indirecte, per alios, qui hiſce hæreticis, ut ſæpe in tali re fit, occaſionem ſic a cæteris diſcedendi dederant, quod ipſi Phariſæi proprio ſuo exemplo hìc præiviſſent) fuiſſe exortum; ulteriuſque ſuum incrementum cepiſſe per alios, qui hoſce priores, uti tempore ſubſecuti, ita animoſitate ac fervore

currendi in omnia contraria prætervecti sunt. Sic enim quotidie experimur, sectarum capita, raro tot ac tanta innovasse, quam quidem ipsorum sequaces, sub primorum auctorum nomine de novo induxerunt.

Prævalebant contra omnes sive *Sadducæos* sive *Essæos*, sive quoscunque alios, *Pharisæi*. hi namque simul cum *Scribis* (vide Matth. XXIII. v. 2.) *Sedebant in Cathedra Mosis* ac complebant (sicut & ipsorum sequaces) non minora tantum, sed & Magnum Judæorum Synedrium: tum quoque præ se ferebant magnam Sanctitatem; unde & sese a communi populo (cui & sortem in futuro seculo denegabant) ne tangi quidem patiebantur, cibumve cum illis, ut impuris ac peccatoribus, minime capere volebant; Pluraque alia observabant, quibus faciendis magnam pietatem ac sanctitatem præ se ferebant. Cum tamen essent ii, in quos, ut in pessimæ notæ Hypocritas, tam sæpe invehitur Salvator noster Dominus Jesus Christus.

Videtur tamen Apostolus Paulus ipsos quam serio laudare, dum Act. XXVI. v. 5. se defendens ait: Κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα Φαρισαῖος. *Secundum exquisitissimam sectam nostri religiosi cultus, &c.*

Verum nodum mihi solvit hic (si quis sit) Celeb. Theod. Beza; qui super hoc loco commentatus ait: *Non est (opinor) quod ex hoc loco colligamus Pharisæismum a Paulo tantopere fuisse laudatum, ut vitæ genus exquisitissimum vocarit. Loquitur enim Paulus ex adversariorum Hypothesi; quasi diceret: Judæi Pharisaicam habent pro sanctissima ac religiosissima: eam ipsi norunt me jam inde a meis majoribus fuisse professum. Non est ergo, cur anteactam vitam meam reprehendant. Deinde vero ad id vitæ genus progreditur, quod eo ipso tempore amplectebatur, i. e. ad Christianam Religionem: cujus præcipuo capiti, i. e. Resurrectioni ex mortuis, immoratur.*

Ad

Ad integritatem igitur vitæ, rectioremve vivendi normam, minime hæc Apostoli verba respiciunt, verum ad illa quæ spectabant Resurrectionem mortuorum: circa quam Pharisæorum Doctrina magis rationi conveniens erat, ac cum Dei Opt. Max. mysticis adeoque obscuris, (verissimis tamen) promissis, per Prophetas, concordabat.

Neque ullo modo cogitandum est, Apostolum magis quam ipsum Servatorem nostrum approbasse ipsorum purificationes ac lotiones superstitiosas, aliosve ritus pene Idololatricos, Hypocriticos saltem; Doctrinasve hominum, Traditiunculas, aut schismata plane ex hypocrisi nata; ac quibus non solum cunctis e populo cordatioribus, sed plurimis quoque ex infima plebe, odio ac deridiculo erant, plane ut Monachi in Christianismo. Nam licet omnes essent *Pharisæi*, tamen sectis (& quidem septem) discriminabantur, natis ex diversis superstitionibus, superstitionumve atque Hypocriseon modis ac circumstantiis. Hinc erant inter illos, qui *Sichemitæ* nominabantur, alii qui *impingentes, alii sese incurvantes*, alii *Cœcutientes*, alii aliter. Inter quos quoque erant qui quasi dicebant: *Quod est debitum meum amplius & faciam illud* ממעליותא *ex superabundantia.* Cujusmodi juvenis occurrebat D. Salvatori nostro (namque horum ex numero mihi videtur fuisse) quique eodem modo loquebatur (Matth. XIX. v. 20.) πάντα ταῦτα ἐφυλαξάμην ἐκ νεότητός μου. τί ἔτι ὑστερῶ; *Omnia hæc servavi a pueritiâ mea: quid adhuc mihi deest?*

CAP. V.

De locis S. Scripturæ Vet. Testamenti, ubi Dæmonum malorum (uti vulgo existimatur) fit mentio. De Sehirim sive Hircis [uti & de Vitulis] & an hi fuerint Mali Spiritus vel Diaboli. De Targumistarum, Talmudistarum ac Rabbinorum aliorum S. Scripturæ interpretamentis: ex quibus & Diaboli in Veteris Testamenti libros irrepserunt. Denique de Schedim; ac quales isti fuerint Dii.

UT autem satis clare constat, Doctrinam de *Dæmonibus* ex Chaldæismo (sicuti jam partim vidimus, partim vero ulterius videbimus) ad Judæismum fecisse transitum, eamque Pharisæos imprimis fuisse amplexos; sic operæ quoque pretium mihi videtur examinare paulò curatiùs ista S. Scripturæ loca Vet. Testamenti, quæ de *Dæmonibus* ceu *Diabolis* vulgo putantur fuisse locuta; qualia sunt, quæ apud Esaiam habentur, cap. XIII. v. 21. & cap. XXXIV. v. 14. Apud Mosen, Levit. cap. XVII. v. 7. & Deut. cap. XXII. v. 17. tum quoque apud Psalmistam, Psal. CVI. v. 37. ac denique in Paralipomenis, lib. II. cap. II. v. 13.

Verba Esaiæ, in locis modo citatis, præprimis consideranda sunt, ob vocem שעירים *Seirim* (vel *Sehirim*) quam pene omnes Interpretes interpretantur *Diabolos* vel *Dæmonia*: cum de solis ac meris animalibus feris ac sylvestribus (quales *Hirci* quoque erant, aliæque bestiæ hirsutæ: quamquam pene semper istud nomen solis *Hircis* attribuatur) ibi sermo sit; atque iis in locis, ne per somnium quidem de *Dæmoniis* cogitaverit, nedum locutus fuerit Propheta.

Primo

Primo enim loco prædicit *devastationem Babylonis*; 2. *Terræ Idumææ*: utque in ipsorum palatiis, ab hominibus desertis, habitaturæ essent *bestiæ sylvestres* & *feræ*.

Diaboli tamen quoque (in quos Interpretes השעירים, *Sehirim* seu *Hircos* transformarunt) in textum sacrum, seu potius Versiones ejus, intrusi sunt, ex superstitiosis præjudiciis in *Chaldæa* haustis, atque inde in Palæstinam deportatis: quæ indies adaucta fuere per Pharisaicæ sectæ Rabbinos: e quorum numero, vel secta, fuere priores Sacræ Scripturæ Targumistæ & Interpretes; quos alii deinde sine satis sufficienti ac prævio examine, circa plurima sunt secuti. Firmant, id quod dixi, illa quæ summus vir Samuel Bochartus in Hierozioco, hoc modo affert: שעירים *Seïrim Mosi esse Dæmones qui coluntur in Idolis putant plerique Interpretes.* Ita enim Chaldæi reddunt, & Syrus, & Arabs *uterque, & Hieronymus & Hebræi omnes. Neque res est sine exemplo. Nam ad Dæmones referunt Græci, Syrus & Arabs, quod habetur Esai.* XIII. *v.* 21. *de Babylonis futura desolatione,* (ושעירים) *& Pilosi saltabunt ibi, & Es.* XXXIV. 14. ושעיר *(& Saïr seu Pilosus) ad Socium suum clamabit, i. e. Dæmon ad Dæmonem.*

Ac paucis interjectis de *Dæmonum ululatu*, ex Arabum doctrina, ita pergit: *Neque aliud voluit Aquila Judæus cum* שעידים *reddidit* τειχιῶντας, *unde Hieronymus Pilosos. Saltem si Procopio credimus; cui* τειχιῶντες *sunt Dæmonum genus Sylvestre, & tenebrosum. Verba sunt,* Τούτους δὲ φασι Τειχιῶντας Ἀκύλας ὠνόμασε, δηλῶν, κάθυλον καὶ ἐσκοπισμένον δαίμονα. *Et Hebræi varias afferunt causas, cur Dæmones sic appellantur. Aben Ezra in Leviticum,* נקראו כן שנצטער הגוף הרואה *Sic vocatur, quia mæret quisquis illos videt. Sequitur* והקרוב-בעבור שיראו אותם המשוגעים כדמות שעירים *Sed vero similius est sic vocari, quia* MANIACI *vident eos in specie Hircorum. Quod idem sequitur Abarbanel in Esaiam.*

Esaiam. Et Kimchius in Lexico: [Verum in commentariis ait: *Possibile tamen est ut sit genus animalis in deserto commorantis.*] *Eos ita nominat Moses, quia Hircorum specie* SIBI CREDENTIBUS *apparent. Maimonides itidem in More Nevochim, lib.* 3. *cap.* 46. *Ex Zabiis quidam fuerunt, qui Dæmonas colebant, & eos* EXISTIMABANT *habere formam Hircorum. Unde etiam Dæmonas* שעירים *Seirim h. e. Hircos appellabant. Quæ opinio* MOSIS ÆVO JAM LONGE LATEQUE *in orbe diffusa fuit, sicut ait Levit.* XVII. 7. *Et non sacrificabunt ultra sacrificia sua* לשעירים, *Hircis, i. e. Dæmonibus ita appellatis. Huc refer quod in Jamblichi Babylonicis apud Photium* τράγου καὶ φάσμα ἐρᾷ Σινωνίδος, *Hirci spectrum quoddam deperit Sinonidem, i. e. Diabolus Hirci specie: Et totam veterum Theologiam de Pane, Fauno, Sylvanis, Silenis, & Satyris, qui & ipsi Hirci dicti sunt.*

In propria autem significatione השעירים denotant *Hircos;* ut ex plurimis S. Scripturæ locis, tum Levit. 16. tum aliis patet: eaque est revera primaria istius vocis significatio: unde & Pilosorum tam hominum (vide Genes. XXVII. 11. exemplum Esavi) quam aliorum animalium Hirsutorum denominatio originem traxit: cum & Zabii & Ægypti inter alia tum Hirsuta tum non Hirsuta animalia quoque maxime *Hircos,* colerent (uti ex sequentibus latius patebit) Judæi illi qui jam isto laborabant præjudicio de *malis Dæmonibus,* (Deosque Gentium existimabant, revera esse *mala Dæmonia,* ipsaque apparere quandoque hominibus) *Hircorum formam* iis aptarunt, *Dæmonesque* hos *Sehirim* appellarunt.

At, cum Esaias (cap. XIII. v. 21. ac XXXIV. v. 13.) loquatur tantum *de feris Sylvestribus*, quæ in disertis, ex ruina, Idumææ ac Babylonis, essent habitaturæ, isti Pharisaicæ sectæ homines (istorumque in illa re sequaces) ibi *Dæmones sibi invicem acclamantes,* ac *ludentes* (& qiu-

(& quidem cum *Onocentauris*, cum *Strigibus*, cum *Sirenibus*, ſimiliſque farinæ aliis monſtris, ſecundum Græcos Interpretes, quos Latinus hîc pro parte ſequitur) ſubſtituerunt. De quibus nobis in ſequentibus loquendi commoda adhuc dabitur occaſio.

Primi inter Græcos (Alexandrinos nimirum) qui Pentateuchi Interpretes fuere, hîc minus occœcati hujuſmodi præjudicatis Chaldæorum opinionibus, adeoque & hinc quoque & aliunde longe cæteris accuratiores, vocem שעירים Levit. XVII. v. 7. vertunt ματαῖα ſeu *Vanitates*; quamvis Deut. XXXII. v. 17. vocem שדים *Dæmonia* vertant. de qua voce paulò inferius quoque aliquid dicam.

Interim illi qui poſt hoſce Interpretes Pentateuchi, Paraleipomenon libros in linguam Græcam tranſtulerunt, non omnino ab hiſce prioribus diſceſſerunt; cum vertant ibi, Lib. II. cap. II. v. 15. hæc ſequentia ויעמד לו כהנים לבמות ולשעירים אשר עשה: *Qui conſtituit ſibi Sacerdotes Excelſorum & (NB.)* HIRCORUM *&* VITULORUM, *quos fecerat.* Ubi tamen vulgata verſio *Hircorum* loco *Dæmoniorum* ſubſtituit: cum vertant, dico, hi Græci: Καὶ κατέστησεν ἑαυτῷ ἱερεῖς τῶν ὑψηλῶν, καὶ τοῖς εἰδώλοις καὶ τοῖς ματαίοις, καὶ τοῖς μόσχοις, ἃ ἐποίησεν Ἱεροβοάμ.

Obſervandum, autem Brutorum cultum apud Ægyptios jam olim obtinuiſſe, & antequam Iſraëlitæ ex Ægypto excederent. Itaque cum *Moſi* & *Aaroni* dixit Pharao, *Ite Sacrificate Deo veſtro in hâc terrâ*, reſpondit *Moſes* Exod. VIII. 26. *Non convenit ita facere, qui abominationem Ægyptiorum ſacrificaremus Domino Deo noſtro. Ecce! ſi ſacrificiemus abominationem Ægyptiorum ante eorum oculos, nonne lapidarent nos?* Abominationem Ægyptiorum i. e. *boves* & *oves* quibus in abominabilem Idololatriam abutuntur. [Gentium enim Idola *abominationes* appellant Sacri Scriptores, Deut. VII. 25. XII. 30, 31. 2 Reg. XXII. 13. Eſdr. IX. 1.

Ef. XLIV. 19.] *Vel abominationem Ægyptiorum*, id eſt, Sacrificium quod Ægyptiis erat abominationi nequaquam perpeſſuris, ut ea immolemus animalia, quæ ipſi colunt; quomodo accipiunt Chaldæi interpretes. Secundo id quoque notandum Ægyptios eorum animalium, quæ viva coluerunt, ſtatuas paſſim in Templis erexiſſe. Mela lib. I. c. IX. *Colunt effigies multorum animalium, atque ipſa magis animalia.* Strabo Lib. XVII. ubi de ipſorum templis: Τινὰ μὲν γὰρ τῶν ζώων ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν Αἰγύπτιοι, καθάπερ τῶν πεζῶν μὲν τρία, βοῦν, κύνα, αἴλουρον, &c. *Sunt etiam animalia quædam, quæ Ægyptii univerſi colunt, ut de terreſtribus tria, bovem, canem, felem.* Tertiò certum eſt Judæos dum Ægyptiis ſerviebant, eorum quoque Dîs ſerviiſſe. In quam rem diſerte Joſua cap. XXIV. v. 14. *Auferte Deos quos coluerunt Patres veſtri in Meſopotamia & in Ægypto, & ſervite Domino.* Ezech. XX 7. *Tum dixi ad eos, ſinguli abominationes oculorum ſuorum abjicite, & in Idolis Ægyptiorum ne polluamini*, &c. Confer cum hiſce quæ idem XXIII. 3. habet, de duabus Sororibus, *Ohola* & *Oholiba &c.* Addas denique quæ Stephanus Protomartyr ille narrat, Act. VIII. 39. *Sed repulerunt, & averſi ſunt cordibus in Ægyptum, dicentes ad Aaron; Fac nobis Deos qui præcedant nos: Moyſi enim huic, qui eduxit nos de terrâ Ægypti, neſcimus quid factum ſit ei. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulacro, & lætabantur in operibus manuum ſuarum* &c. Porro de *Hircis inter Ægyptios cultis* non ſolus Herodotus, verum & Diodorus Siculus, & Strabo, & Lucianus, & Plutarchus & alii plures Veteres loquuntur: idque imprimis apud *Mendeſios* locum habuiſſe aſſerunt.

Redintegrare voluerat *Jeroboamus* Idololatriam Ægyptiorum, unde venerat jam mortuo Salomone. Ægyptii vero, (uti jam ſuperius dictum) colebant præter *canes*, aliaque plura animalia, etiam השעירים *Hircos* & העגלים *Vitulos.*

Quos

Quos quandoque etiam ſimul cultos fuiſſe, etiam inter ipſos Hebræos, indicio eſt locus modo allatus (Paral. II. cap. II. v. 15.) ubi tum *Hircorum* tum *Vitulorum* ſimul mentio fit. Ac de ejuſmodi שעירים ſive *Hircis*, ceu de *Imaginibus* ac *ſtatuis* ipſorum, loquitur Moſes, Lev. XVII. v. 7. *Nec ultra ſacrificabunt ſacrificia ſua* לשעירים *Hircis i. e. ſtatuis ſive imaginibus Hircorum.* Pro cujuſmodi שעירים ſive *Hircorum ſtatuis* vel *imaginibus* quamrectè igitur reddunt Græci Interpretes librorum Chronic. Τοῖς εἰδώλοις καὶ τοῖς ματαίοις; quaſi dicerent, *Idolis quæ ſunt Vanitates*, atque ita alluderent ad vocem אלילים, *res vanas* ac *nihili;* quibus fruſtra adeo adhibetur cultus Divinus: eo quod nec videant, nec audiant, &c.

Lectoris mei nunc judicio relinquo, an recte concipi queat *Jeroboamum*, qui omni molimine conabatur ad ſeſe allicere populum Iſraëliticum (ac, ſi poſſibile fuiſſet, ſimul & reliquas Tribus *Rehabeamo* adhærentes, qui jam quoque השדים *Haſchedim* colebant) ſuoque illos ſub imperio retinere; an, dico, concipi queat, hunc Jeroboamum non per *Vitulorum imagines* vel *ſtatuas*, verum per ipſorum *malorum Dæmoniorum*, ſive *Diabolorum* (ut talium) voluiſſe avertere hunc populum a vero cultu veri Dei: quaſi non Deus Opt. Max., non Dii aliorum Gentium [namque an fuerint iſti non אלילים ſed vere Diaboli, alibi adhuc diſquirendum reſtat] ſed ipſius Veri Dei infenſiſſimi hoſtes, (*Diique averrunci*, ac tales quidem qui ab ipſo damnati atque adeo in ima Tartara detruſi fuerant) liberaſſent ex Ægypto hunc populum, eique adhuc eſſent vere *Dii Tutelares* atque ἀλεξίκακοι.

Interim ipſe quoque *Jeroboamus* conſulebat veros Dei Veri Prophetas; quod & ipſe *Achab* fecit; Qui qualis fuerit, ex 1 Regum libro abunde patet; imò & ipſe Verus Deus eum plus ſemel liberavit ex extremis anguſtiis, per

 hoſtes

hostes ipsi importatis. Quod certe, meo judicio, non fecisset, si ille Achab, cultor malorum Dæmoniorum, ut talium, fuisset. Neque ullibi patet Israëlitas aut Judæos, ejusmodi *Dæmonia* (ut talia) agnovisse, aut Dîs suis, sive אלהים נכר, aliter quam *Diis Tutelaribus* serviisse. Namque *Vitulus* ille qui ab Aarone fuerat in cultum Divinum dedicatus, non Deus aliquis, ex malorum numero (quorum nullos agnoscebant, imò ne quidem noverant) esse prætendebatur; verum esse eum ipsum qui cæcos hosce Israëlitas liberaverat ab Ægyptiorum Tyrannide ac servitute, credebat Idololatra hic populus.

Neque enim ullibi Deus, per Prophetas suos ipsis cultum *Dæmoniorum malorum* (quam distinctionem hîc semel serio notari velim) aut Israëlitis, aut Judæis, exprobravit. Verum solum cultum istorum, sive *Deorum* sive *Dæmoniorum*, qui cum essent אלילים, sive הבלים, nec manus nec pedes, nec aures, nec oculos ullatenus habebant ad juvandum aut nocendum; quique ipsi adeo nihil aliud erant, quam *Vanitates* ac plane nihil (ut qui ex sola horum astutia, aliorumque demum simplicitate ac stulta superstitione Dii putabantur) quorumque factura ex nihilo (tum ratione superstitiosæ imaginationis, tum ratione materiæ, quæ nihil juvare poterat) erat. Coluerant antea ipsorum Patres *exercitum cœli;* coluerant quoque *Vitulos* & *Hircos* &c. coluerant denique & postea *Deos Amorrhæorum*, aliarumque *gentium circumvicinarum;* at nullibi in S. S. ipsis exprobratur cultus ejusmodi malorum *Dæmoniorum.*

Ista enim opinio, *Deos Gentium* revera esse *Dæmonia mala*, & postea, & quidem inter longe alias gentes, eluxit.

Notissimum est, & Græcos & Romanos pluresque præter hos populos coluisse, ne obessent, læderent vel nocerent, *Eumenides*, *Parcas* & *Furias* seu *Diras ultrices*, aliasque hujus commatis Divinitates (inter quas *Diræ* tamen

ad

ad Jovis solium in cœlo, a Virgilio, locantur, inde a Jove ad homines puniendos demittendæ) verum inter Israëlitas istum eive similem cultum obtinuisse minimè constat. Quamvis *malorum Dæmonum* veneratione ac cultu, ex juniorum Platonicorum Doctrina (cui etiam postremis Judaismi temporibus plurimi Judæorum adhærebant) obortis; sic quoque opiniones de malis æque quam bonis Angelis, & in Judæorum & in primorum Christianorum Theologiam invectæ fuerint; hincque ortæ iterum istæ, inter hos Christianos, opiniones, *Deos Gentium* seu *Dæmonas* omnes esse *malos Spiritus*, adeoque & κακοδαίμονας, seu (ut a posterioribus ista vertitur vox atque usurpatur) *Diabolos:* ad cujusmodi opiniones, proculdubio, quoque eo magis impellebant Sacri cultus, ac ritus (tum circa Sacrificia, tum circa alia) abominandi, qui ejusmodi numinibus exhibebantur; ita ut inde facilius concluderent, *Omnia Gentilium numina esse mala Dæmonia.*

Porro notandum hìc, quasi in transcursu, Israëlitas post Davidis regnum, per *Jeroboamum* (qui pridem fuga delapsus in Ægyptum, ubi per 13. annos delituerat, jamque ad Regnum *Salomonis* invadendum redierat) Deos Ægyptiorum denuò coluisse; ac Judæos, qui Rehabeamo Salomonis filio adhærebant, tum per Salomonis lapsum ex connubiis externarum mulierum, tum forte & per *Rehabeami* cultus Idololatricos (Namque ille ab iis minime liber fuit) ad Sidoniorum, aliorumque circumvicinis Gentibus adoratorum numinum cultus magis magisque declinasse A quibus Gentibus rex Achab quoque (præter cultum Jeroboami) ex conjugio Jesabel, etiam cultum tam *Baalis* quam *Asteroth Sidoniorum* [quæ numina ipsis [Sidoniis] singulari Idololatriæ genere, atque in summo gradu, ut sic dicam, videntur fuisse culta atque adorata; quod tanta cum emphasi, inprimis, de *Achabi* ac *Manassis* circa hæc numina Ido-

lolatria S. S. pluribus in locis loquatur] accepit; atque ita Israëlitarum Idololatriam (ut sic loquar propter miserrimum tribuum a se invicem divortium) cum Judæorum, a *Salomone* introductâ conjunxit; & eximio quoque, ut videtur, modo Sidoniorum *Baalem* & *Asteroth* veneratus fuit. Quod horrendum crimen & alii reges Israëlitici post ipsum (atque inprimis inter ipsos *Manasse*, qui & ulterius progressus fuit) commiserunt; atque adeo cultum Ægyptiorum Idololatricum cum illo τῶν *Schedim* (ut sic loquar) i. e. *Diis* circumvicinarum Gentium (& inprimis Sidoniorum) jungebant.

De Dæmoniorum malorum, ut talium, *simulacris* seu *statuis* adoratis, inter Israëlitas vel Judæos, quoque nullibi legimus. Adducitur quidem statua aut *Priapi* aut *Panis* (qui tamen ne quidem inter ullos Ethnicorum pro *malis Dæmoniis* habiti fuere) verum frustra plane: at multo magis id falsò asseritur de Diabolis κακοδαιμονίοις quæ vox in hâc significatione tantum, apud Scriptores N. T. (nisi forte semel in Apocryphis, si bene memini) in Sacra Scriptura occurrit, nisi apud recentiores magis, ac jam Chaldæorum superstitiosis opinionibus imbutos, qualis Jonathan fuit, cæterique Targumistæ (excepto aliquatenus Onkelos) tum qui in Legem, tum qui in reliquos Vet. Testamenti libros paraphrases suas conscripserunt; tum denique Veteres (post Interpretem Pentateuchi) Græci Interpretes: de quibus tamen paulò inferius agam. De prætenso Jonathane Pentateuchi Interprete constat id ex Lev. XVII. v. 7. ולא ידבחון תוב ית דיבחיהון לטעון דמתילין לשידי: *Neque sacrificabunt rursus sacrificia sua Idolis, quæ assimilantur Dæmonibus, post quæ &c.*

Sic quoque idem ad Deut. XXXII. 17. de Schedim: ידבחון לטעוות דמתילין לשידין דלות בהון מדעם דצרוך טעוון דלא ידעונון דחלן הדתן דמזמן קריב אתעבידו ולא אתעסקו כהון אבהתכון: *Sacrificaverunt Idolis quæ assimilantur Dæmonibus,*

bus, in quibus nihil eſt utilitatis, Idolis [*NB.*] *quæ non noverunt, . numinibus novis, quæ a tempore propinquo facta ſunt, cum quibus nihil negotii patribus veſtris.*

Ita & Targum Hieroſolymitanum: ידבחון לשידיא דלית בהון ממש טעון דלא הכימו יתהון חדתנין מן כדון אתברון ולא אדכרון בהון אבהתכון: *Sacrificaverunt Dæmonibus in quibus non eſt ſubſiſtentia; Idolis quæ non cognoverunt, a nunc creatis, quæ non memorarunt Patres veſtri.* Quibus tum opponit *Deum fortem*, quem dereliquerant.

Quod attinet porro ad hanc vocem שדים *Schedim*, quam Onkelos (Deut. XXXII. v. 17.) reddit שדין, ſubſtituta ſolum Chaldaicâ terminatione, quamque (Lev. XVII. v. 7.) repoſuerat pro Hebraica שעירים *Sehirim*, ejus ſignificatio quidem admodum obſcura eſt per Chaldæorum (qui *Haſchedim* cum *Haſchirim* confundunt amboſque pro *Diabolis* habent) interpretamenta: Quamvis ipſa Sacra Scriptura hîc nobis facem præferat, uti jam ſtatim clarius patebit.

Quam libenter vero ac quam facile hi *Targumiſtæ* Diabolos in Sacra Scriptura inveniant, vel potius pro lubitu confingant, apparet exinde, quod ipſos plurimis S. S. locis, præter ac contra omnem rationem, intrudant; patetque ex ſequentibus hîc exemplis. Ipſorum igitur modeſtiſſimus prodeat primo, Onkelos ſcilicet, qui Deut. XXXII. v. 14. vertit: נפיחי כפן ואכילי עוף וכתישי-רוחין בישין *Inflati erunt fame & commeſti ab avibus & vexati Spiritibus malignis.* Quem Syrus quoque ſecutus habet....... *& dabuntur eis Spiritus mali.*

Hebræus interim textus habet. מזי רעב ולחמי רשף וקטב מרירי ושן בחמות אשלח בם עם חמת זחלי עפר. Vulgata: *Conſumentur fame & devorabunt eos aves morſu amariſſimo: dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentum.*

Græ-

Græcus Interpres (quod hîc ista occasione intersero) non quidem ullos *Diabolos* vel *mala Dæmonia*, hîc textui sacro infarcire voluit. Verum unde huc ὀπισθότονον ἀνίατον intrudere ausus sit plane non capio. Est enim ὀπισθότονος apud Medicos Græcos, Latinosque (ut qui Græcos hic sequuntur, morbi genus, seu species spasmi, quæ, testantibus Aretæo & aliis, *perpetua corporis talis est convulsio, quâ caput ad posteriora, scapulas nempe, retrahitur, atque ita rigens permanet.* Nisi forsan hæc in textum ex margine (ubi a Sciolo quodam notata fuerant) irrepserint; quod tamen nulla, quod sciam, exemplaria, sua variatione confirmant: Vide interim, mi Lector, qualis constructionis consequentia hic sit: Τηκόμενοι λιμῷ καὶ βρώσει ὀρνείων, καὶ ὀπισθότονος ἀνίατος?

Quamfacile autem & hi Græci Diabolos in S. S. introducant, suo tempore quoque ostendetur: Ast nunc mihi redeundem est ad Targumistas. ex quibus, qui Deuteron. paraphrazei, cap. XXXII. v. 8. ita loqui facit Mosen ex ore ipsius Dei: עלאה עלמא לעממיא די נפקו מבנוי דנח באברשותיה מכתבין ולשנין לבני נשא בדרא דפלגותא בי היא זמנא רמא פיצתא עם שובעין מלאכיא רברבי עממין דאתגלי עמהון למחמי קרתא ובי היא זימנא אקים תחומי אומיא כסכום מניין שובעין נפשתא דישראל דנחתו למצרים: *Cum sorte divideret altissimus mundum in populos qui exierant e filiis Noë, & separaret ipse* SCRIPTURAS [*NB. nam v. 7. dixerat quoque: Legite libros Legis & docebunt vos. quasi Lex jam tempore Mosis conscripta in omnium manibus versaret*] *& linguas filiorum hominis ætate divisionis: eo ipso tempore jecit sortem cum 70. Angelis* PRINCIPIBUS *populorum, cum quibus revelatus est ut videret civitatem; & eo ipso tempore constituit limites populorum, juxta supputationem numeri 70 animorum Israëlitarum, quæ descenderunt in Ægyptum. v. 9. Postquam autem cecidit populus Sanctus in*

sortem

ſortem Domini totius mundi, aperuit Michaël os ſuum, & dixit, portionem bonam nominis ſermonis Domini cum ipſo eſſe: aperuit Gabriel os ſuum cum laudibus & dixit, domum Jacob eſſe ſortem hæreditatis ejus. [ac hactenus habuimus *Angelos* hoſce ſupernumerarios, exſpecta nunc, mi Lector, *Dæmonas* ac quidem in Deſerto] *Occurrit illis habitantibus in deſerto, in ſolitudine, loco ubi ululant* DÆMONES *& Dracones. &c.* quod non mirum igitur nobis videri debet de Deſertis ex ruïna tum Babylonis tum Idumææ.

Verum majori copia ac plurium ſpecierum nunc adducamus Diabolos ac Spectra: nam verſu 24. hæc ſequentia habentur: אגלי יתהון במדי ובעילם מן גוא שבית בבל אעיקו לחון דבית אגג די מתילין לשדין מנפחי כפן ולמזיקי אכילי עוף ולבני טהררי כתישי רוחין בישין ולילין ומרווחי דווחין בישין: *Migrare faciam eos in Medos & Elam e medio captivitatis Babel, opprimeat eos domus Agag, qui aſſimilantur Dæmonibus inflatis fame, & ſpectris comeſtis ab avibus* [at quanta ac qualia hîc prodeunt monſtra!] *& meridianis percuſſis Spiritibus malis & Lemuribus, & afflatis Spiritibus malis.* Cujuſmodi Dæmonum ac ſpectrorum ſpecies quoque comparent Numeri cap. VI. v. 24. Namque ubi Hebræus textus habet hæc ſolemnia verba: *Benedicat te Jehova & cuſtodiat te &c.)* Paraphraſtes habet: *Benedicat tibi Dominus in omni negotio tuo, & cuſtodiat te a* LAMIIS, *& Terriculamentis meridianis;* item ac *matutinis Dæmonibus, & nocivis ac Spectris;* &c. Ipſa verba Chaldaica ſonant: יברכינך יי בכל עסקך ויטרינך מן לילי ומזייעי ובני טיהררי ובני צברירי ומזיקי וטלוי: Vide, mi Lector, quam gratis ac quam largâ manu hi magiſtri Judaici & *Diabolos* & *Lemures* & *Larvas* Sacro-Sanctæ Scripturæ admetiantur!

Addamus hiſce quæ Pſalmo XCI. v. 5. habent: לא תדחל מן דלוחא דמזיקי דאזלין בליליא מן גררא דמלאך מותא דשדי בימםא: מן מותא די בקבלא מהלך מסיעת שידין דמחבלין בטיהרא:

O *Non*

Non timebis a timore Dæmonum qui ambulant in nocte, a ſagitta ANGELI MORTIS, *quam emittit interdiu, a morte in tenebris ambulante; a [NB.] caterva Dæmonum qui graſſantur in meridie:* Vulgata tamen (licet modeſtior) hic quoque habet *a ſagittâ volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & Dæmone meridiano.* Ubi & Græus Interpres habet: Ου φοβηθήσῃ ἀπὸ φόβου νυκτερινοῦ, ἀπὸ βέλους πετομένου ἡμέρας, ἀπὸ πράγματος διαπορευομένου ἐν σκότει, ἀπὸ συμπτώματος καὶ ἀπὸ δαιμονίου μεσημβρινοῦ. ubi Aquila (Judæus) quoque habet: δηγμοῦ δαιμονίζοντος μεσημβρίας. Quod lubens fateor me plane non intelligere: verum plura adhuc inferius ſuper Græcis Verſionibus conſideranda reſtant.

Superaddamus hiſce Pſalm. CXXI. v. 6. ubi habet textus Targumicus: ימם כד שליט שמשא לא ימחונך צפרירי ולילי כד שליט סיהרא בליליא: *Interdiu quando dominatur Sol, non feriet te* SPECTRIS MATUTINIS, *neque noctu, quando dominatur Luna* NOCTURNIS; *cum* Hebræa verba ſimpliciter ſonent: יומם השמש לא־יככה וירח בלילה: *Per diem Sol te non uret, neque Luna per noctem.* Denique & addamus illa, quæ inter alia, in Cantico Canticorum Hebraice (Cap. III. v. 8.) ita habent: מפחד בלילות, *propter metum nocturnum.* ubi tamen Chaldæus Paraphraſtes, impudenter admodum verba hæc Hebraica ita reddit: ובגין כן לא דחלין מן מזיקיא וטלני דאזלין בליליא: *Et ideo non timent a Spiritibus nocivis & Dæmoniis qui ambulant in nocte.* Sicuti & cap. IV. v. 6. (ubi Hebræus textus habet עד שיפוח היום ונסו הצללים *Donec aſpiret dies & inclinentur umbræ)* ſeſe virum præſtat, at temerarium ſane! hoc modo: וכד זמן דהוו בית ישראל אחדין בדיהון אומות אבהתהון צדיקיא הוו ערקין מזיקי וטלני וצפרירי וטהרי מכיניהון על דהוה שכינת יקראדיי שריא בבית מוקדשא דהוה מתבני בטור מוריא וכל מזיקיא ומחבליא הוו ערקין מריח קטורת בוסמין: *Et omni tempore quo populus Domus Iſraël tenebat manibus ſuis artem*

tem patrum ipſorum juſtorum, fugiebant nocentes [*Spiritus*] TENEBRIONES *&* MATUTINI *ac* MERIDIANI [Dæmones] *de medio ipſorum; eo quod Majeſtas gloriæ Domini reſidebat in domo Sanctuarii, quæ ædificata eſt in monte Moriah, & omnes* DÆMONES *&* SPIRITUS NOCENTES *fugiebant ab odore incenſi aromatum.*

Si vero poſtremum deſideras *& Spiritus familiares*, mi Lector, ac quidem magno iſti Regi Salomoni, qui ſecundum Judæos, (tum Joſephum, tum alios) avium voces intelligebat, atque in Dæmones imperium exercebat; reſpicias, quæſo, Cap. II. v. 5. in libro Eccleſiaſtis, ubi Targum Salomonem facit ita loquentem: עגדית לי בנת שקין ופרדסין ודרעית תמן כל מיני עסבין מנהון לצרוך מיכלא ומנחון לצרוך משתיא ומנהון לצרוך אסותא כל מיני עסבי בוסמין נציבית בהון אילני סרק וכל אילני בוסמין דאית יאו לותי טלני ומזיקי מן הנדקא: *Feci mihi hortos irriguos & Paradiſos; & ſeminavi ibi omnia genera herbarum, partim ad uſum cibi, & partim ad uſum potus, & partim ad uſum Medicinæ. Omnis generis herbas aromaticas plantavi in illis, arbores ſteriles, & omnes* ARBORES AROMATUM, *quas attulerunt mihi* LEMURES, [*NB.*] *ac* SPIRITUS NOXII *ex Indiâ.*

Ecce igitur hîc, mi Lector, Salomonem! cui, ut poſtea Do. Salvatori noſtro, obediebant; verum ita, ut ipſi quoque ſervirent (nam & artem ejiciendi Dæmonia mala tenuerat, teſte Joſepho, aliosque docuerat) cum Salvatori noſtro tantum Angeli boni id præſtarent! Hæc atque hujuſmodi nugamenta nugaciſſima (ſi non & ſimul impia) faciunt, ut minus miremur illa, quæ Cant. VIII. v. 3. de *poteſtate Dæmonum* (מזיקין ibi habetur) *perdendi;* Jobi c. v. v. 7. de *filiis Dæmonum*, alibique alia plura atque abſurdiſſima, dicuntur.

Etenim ſi talibus Judæis fides adhibenda, *ſex proprietates attribuuntur Dæmonibus, quarum tribus ſimiles ſunt Angelis,*

gelis, aliis tribus aſſimilantur hominibus: habent nempe alas ſicut Angeli; & volant ab una mundi extremitate uſque ad alteram ſicut Angeli; & præſciunt futura ſicut Angeli: Edunt vero & bibunt ſicut homines; gignunt & multiplicantur ſicut homines, & moriuntur ſicut homines.

Sicut autem Judæi ex Captivitate Babylonicâ reduces, ejuſmodi *Dæmones* quales jam vidimus (qualeſque adhuc in aëre, igne, aquis, ac terra, adeoque & omnibus elementis, plus minuſve malos, ex Philone Judæo oſtendam) commenti fuerunt; ſic variis quoque denominationibus illos (uti fecerat ipſa S. Scriptura Gentilium Idola) denotarunt: ut (ex. gr.) primò רוחין בישין, *Spiritus immundos.* 2. צפרירין, Zaphiririn, (quos alii pro *Dæmonibus ſylveſtribus*, alii pro *ſpectris matutinis* habent.) 3. מזקין *Maſſikin*, *vaſtatores, perditores;* ac denique (ne plura huc afferam) שדים (quod bis tantum in Sacro textu occurrit) ſeu שדין *Schedin.* Quod nomen Dîs Gentium (at quibus ac qualibus ſtatim dicetur) impoſitum puto. 1. quod veluti *perditores* ac *vaſtatores*, ut ſic loquar, Iſraëlitas per cultus Idololatricos in certam perniciem illicerent ac deducerent: plane eodem modo ſicuti גללים Dei ſtercorii appellantur, quod iſtorum cultu Iſraëlitæ ſeſe ut ſtercore commacularent, atque עצבים Dolores, quod ſuis ipſis cultoribus dolores ac pœnas afferrent. 2. demùm שדים ſeu שדין Ironicè plane, cum שדי ſit Dei *Omnipotentis* venerabile nomen; ut ita שדים, per irriſionem appellantur, quaſi *falsò dicti Omnipotentes;* eo quod nihil intelligerent ac nihil poſſent, adeoque & eſſent אלילים, i. e. *vanitates* ac *res nihili*, quarumque creatura i. e. fictio, ex nihilo, ſeu mera ſuperſtitioſorum imaginatione, conſtat: unde & non immerito hæc vox conſideratur ut compoſita ex duabus hiſce אלוהים & אל *non* & *Dii.* unde & Hab. 11. v. 18. 19. appellantur אלילים אלמים *mutæ vanitates;* ſicut etiam Græcus Interpres ibi vertit φαντασίαι ψευδῆ, atque אלילים

φαντα-

Φαντασίαν ; Chaldæusque Interpres טעון דלית בהון צרוך *Idola in quibus nulla eſt utilitas;* uti quodque Deut. XXXII. v. 17. eſt , לשדין דלית בהון צרוך. *Schedim in quibus nulla eſt utilitas.*

Hi שרים *Schedim* numerantur inter *Deos Gentium:* quamvis a Judæis, (Chriſtianiſque eorum ſequacibus) habeantur pro *Dæmonibus malis* ſeu *Diabolis*. Dii Gentium interim fuerunt : at quales , ac quando primum culti (fuerintne quoque Diaboli) curatius nunc diſquirendum.

Quæ Propheta Moſes de ipſis teſtatur , his verbis comprehenduntur (Deuter. XXXII. v. 17.) יזבחו לשרים לא אלה אלהים לא ידעום חדשים מקרב באו לא שערום אבתיכם: quibus indicat , *Iſraëlitas ſacrificaſſe Leſchedim, non Deo, Diis novis, quos antea* [ante exitum ex Ægypto] *non noverant; qui nuper* [inter ipſos] *exorti erant, quoſque Patres ipſorum non coluerant.* Coluerant tamen illi Deos Gentium, jam tempore Jacobi Patriarchæ; (uti patet ex Geneſ. cap. XXXV. v. 2. & 4) Imò & dudum antea Pater Abrahami aliique , dum adhuc *ultra Euphratem* habitabant (Joſ. XXIV. v. 2.) ac poſtmodum in Ægypto ; ubi & *Siderum* cultus , & [NB.] cultus tum *Piloſorum* tum aliorum *animalium*, in abuſu erant.

Hæc (e Deuteronomio) verba quamoptime illuſtrare atque explicare videtur regius ille Pſalmiſta , qui poſt alia (Pſalm. CVI.) enumerata Iſraëlitarum peccata, poſt cultum *vituli aurei* , ac denique poſt illum τȣ̃ *Bahal-Peor* , alioſque plures (verſu 34. &c.) narrat, *quod non exciderint populos, quos Dominus juſſerat illis: ſed permiſcuerint ſe Gentibus, &* DIDICERINT OPERA IPSORUM; *&* COLUERINT IMAGINES ILLORUM *& fuerint (iſtæ) ipſis in laqueum ; & ſacrificaverint filios & filias ſuis Leſchidim* [לשרים] *& fuderint ſanguinem innoxium, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum ; quos ſacrificaverunt*

runt [לעצבי כנען] *Diis Canaanæis*. Per quæ postrema verba vocem *Schedim* שדים satis explicat.

Sunt igitur *Schedim* Dii illi, quos nec antea ultra Euphraten, nec postea in Ægypto, cum his ipsis Ægyptiis, coluerant, sed quos ante ista tempora sibi ignotos, demum cum Canaanæis cæterisque Palæstinæ Gentibus, quarum terras jam occupaverant (aliisque ipsis circumvicinis) colere cœperunt: cujusmodi fuere *Astrum Rempham*, cæterique Dî, qui inter Canaanæornm numina numerabantur.

Male igitur ac perverse (quod pace tamen aliorum eruditissimorum virorum dixero) vox שדים æque atque illa שעירים a plurimis redditur *Dæmones*, *Dæmonia* (mala scilicet) & *Diaboli*. Et tamen isti Judæi, qui non solos *Diabolos* nobis, pro lubitu, verum & Diabolas seu *Dæmonas fœminini sexus*, pepererunt, ex voce illa שדים, confingunt adhuc alias, nempe *Scheed* שיד sive שד *Diabolum* ac שידא *Diabolam*, sive (ut sic barbare loquar) *Diabolissam*: ac *Schedim* [NB.] morborum auctores esse credunt: imò & בעלי שדים sive *Lycanthropos* (in nostra vernacula **Weer-wolven**) inde extundunt. Ut sic videas istud monstri genus hisce hominibus minime incognitum fuisse.

Plura huc certe, mi Lector, adduci possent (nonnulla quoque adhuc statim adducentur) verum jam hæc abunde mihi sufficere videntur, ut Jure ac merito cum Juvenale exclamemus: *Qualiacunque volunt Judæi somnia vendunt*. Quum sic non sola nobis sint ridenda decantata illa commenta Thessala, verum & *Nocturni Lemures commentaque Judæorum*.

Et hæ tamen deliciæ erant *Pharisæorum* qui per talia alios ipsis magis prudentiores pene ad omnia istis contraria, ac quandoque ad æque vel etiam magis, absurda confugere cogebant ita, ut sicut (quod in proverbio est) *stulti dum vitant vitiâ in contraria currunt; Sadducæi* non solum

omnes

omnes apparitiones Angelorum. Verum in totum omnes malos Dæmonas (ut jam ante notaveram) imo & ipsam resurrectionem (fundamentum sane nostræ fidei) non negarent tantum, verum & irriderent; uti patet ex interrogatione Salvatori nostro proposita, Matth. cap. XXII. v. 24. &c. & Marci cap. XII. v. 23. &c.

CAP. VI.

Judæorum modo nominatorum commenta de Diabolis, *de* Lilith, *aliisque ejusdem commatis figmentis: de* Dæmonibus *seu* Diabolis masculini sexus *ab* Adamo, *ac* fœminini *ab* Eva, *procreatis. De* Diabolis *secundo Creationis die creatis: de* Sammaële, Asmodæo *&c. De* Azazele, *ac Judæis Diaboli per munera corruptoribus. De* Diabolis *a* Nahema *sorore Tubalcain procreatis. De* Angelis *e cœlo ad filias hominum delapsis, ac* Diabolis *hinc enatis. De Interpretationibus Græcis tam ratione locorum Esaiæ* XIII. *&* XXXIV. *quam & aliorum; collatis interim & aliis Interpretibus.*

QUæ de origine Dæmonum malorum ulterius confinxerunt *Pharisæi* ipsorumque sequaces *Talmudici*, sunt; *Adamum* cum a Deo reprehenderetur, quod de arbore vetita comedisset, fuisse simul ab ipso excommunicatum per 130. annos; & tunc primum eum generasse liberos ad similitudinem suam. Namque omnibus istis annis quibus sub Anathemate Excommunicationis vixit, genuit (secundum hos nugatores,) *Spiritus*, *Dæmones*, ac *Spectra nocturna*. Sunt quidem inter ipsos qui dicant, *Spiritus* istos ac *Dæmo-*

nes

nes progeneratos fuiſſe, ex nocturno ſeminis fluxu interea temporis, dum ab uxore ſua *Eva* ſeparatus fuit: At Benſira, aliique poſt illum, ejuſmodi fabulam narrant. Interrogatum, nempe, fuiſſe hunc Benſiram, (ſeu Ben Siram) a Nebuchodonoſare, cur ante octavum diem morerentur multi infantes; ac quid ſibi vellent tria illa nomina סנוי סנסנוי סמנגלוף *Senoi, Sanſenoi, Samangeloph*, quæ pergameno inſcripta viderat? Reſpondiſſe vero Ben Siram, *Adamo* primùm fuiſſe uxorem *Lilith*, quæ originis causâ ſuperbiens, quia ex eadem cum illo terrâ fuerat creata, noluerit ei ſeſe ſubjicere, & recitato *Nomine Jehovæ* [*Schemhamphoraſch*] avolaverit, atque ita e viri conſpectu ablata fuerit. Quæ uxoris pervicacia, cum *Adamo* eſſet permoleſta, atque is apud Deum ſuper hac re graviter conquereretur, Deum ipſius quæſtibus permotum, miſiſſe tres *Angelos* appellatos *Senoi, Sanſenoi & Samangaloph*, qui ipſam inſecuti ſunt ac demum aſſecuti prope mare rubrum, atque interminati, niſi rediret quamprimum ac viro morigera foret, ſe ipſam demerſuros, & præterea 100. ex ipſius liberis quotidie interfecturos. Illam vero, denegato quidem reditu, de liberis accepiſſe conditionem; ac de cætero dixiſſe: Dimitte me; eò quod in iſtum finem creata ſum, ut pueris ſim infeſta; maribus nempe intra diem ab ortu octavum, fœminis vero intra viceſimum. Attamen promitto ac ſancte juro, in nomine Dei viventis, me iſtis eſſe parſuram, quoties videro vos ipſos, aut nomen, aut figuram veſtram Amuleto cuipiam impreſſam. atque hinc fieri, quod in dies pereant 100. Diaboli; ac pueris ſtatim ab ortu pro amuleto appendantur nomina iſtorum trium Angelorum: ut ſic *Lilith*, memor juramenti ſui, ſit infantibus illis propitia. Quæ amplius narrata (ſeu conficta) videantur apud ipſum Ben Siram, ac Buxtorfium, in Lexico ipſius Talmudico: modo non omittantur illa quæ, ubi

forte

forte puerpera decumbit, quatuor parietum lateribus inscribunt, nempe אדם חוה חוץ לילית *Adam Eva, foras esto Lilith:* quibus tum nomina illa trium Angelorum jam memoratorum adjunguntur.

De hac *Lilith* mihi placet, occasione data, adducere illa quæ Celeberr. Bochartus de ipsa plane hîc ad rem corrasit in parte 2. Hierozoici sui: *Dubitatur quid sit* לילית *Esai.* XXXIV. 14. *Ibi resedit Lilith & quæsivit sibi requiem. Aben-Ezra* NOCTURNAM AVEM, *explicat. Aquinas, animal ita dictum, quia natura ejus est ut noctu clamet. Hebraicè enim* ליל *est nox. Sed* SPECTRI GENUS *esse veteres summo consensu docent, etsi de specie non constet. LXX. reddunt* ὀνοκενταύρους. *Chaldæus* לילין, *i. e.* LEMURES. *& Syrus* לליתו LILITHO, *uterque fictis vocibus ad Hebrææ similitudinem. Vulgatus ex Symmacho* LAMIAM. . . .
. . . .
. . . . *Sic & Hebræi quidam in Hieronymo* Ἐριννὺν *& Furiam reddunt. Et Jarchius* שידם, τὰ δαίμονα. *Kimchius ridiculè, in Lexico,* CHAMELEONTEM AVEM; *& in commentariis, animal, quod noctu clamat; aut avem quæ noctu volat.* [Omnes conjecturæ sc. a voce ליל desumuntur.] *Sed ibidem profert locum ex Talmudico tractatu Nidda, in quo Lilith aliter sumi constat. Verba sunt* המפלה דמות לילית טמאת לידה *Si abortivo partu mulier peperit, partus ille est immundus.* Et ibi glossa habet: לילית ולד הוא אלא שיש לו כנפים *Lilith est instar pueri, nisi quod habet alas.* Iidem in tractatu *Erubim*: המגדלת שער כלילית *Quæ alit, vel, quæ torquet capillos ut Lilith.* ut sciat Lector hoc monstrum esse capillatum.

Opportet sane *Lilith* aliasque *Striges, Lemures* & *Larvas* fuisse admodum visibiles, cum ipsarum formam, tam accurate describant: Quod melius tamen præstat Ovidius sexto Fastorum, hoc modo:

Sunt avidæ volucres; non quæ Phineïa mensis
Guttura fraudabant, sed genus inde trahunt.
Grande caput: stantes oculi: rostra apta rapinæ:
Canities pennis, unguibus hamus inest.
Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes;
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactantia viscera rostris;
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis STRIGIBUS *nomen: sed nominis hujus*
Causa; quod horrenda stridere nocte solent.
Sive igitur nascuntur aves, seu carmine fiunt;
Næniaque involucres Marsa figurat anus;
In Thalamos venere Procæ. Proca natus in illis
Præda recens avium quinque diebus erat.
Pectoraque exsorbent avidis infantia linguis.
At puer infelix vagit, opemque petit.

Nesciebant hi miseri homines illud *Senoi*, *Sansenoi &c.* non deërat tamen ipsis tandem medicamen & solatium; quod non minus erat virtute, atque magis etiam illo conveniebat, quod *Tobias* olim ab Angelo comite didicerat. Audi igitur qualenam fuerit: nam *Cor* & *fibræ* (procul omni dubio Hepatis) hic quoque adhibebantur: sed ipsum audiamus Poëtam:

Territa voce sui nutrix accurrit alumni;
Et rigido sectas invenit ungue genas.
Quid faceret? color oris erat qui frondibus olim
Esse solet seris, quas nova læsit Hyems.
Pervenit ad Granen, & rem docet. Illa timorem
Pone; tuus sospes dixit, alumnus erit.
Venerat ad cunas: flebant materque paterque.
Sistite vos lacrymas, ipsa medebor, ait.
Protinus arbutea postes ter in ordine tangit

Fronde:

Fronde: ter arbutea limina fronde notat.
Spargit aquis aditus, ſed quæ medicamen habebant:
Extaque de porca cruda bimeſtere tenet.
Atque ita, Noctis aves. extis puerilibus, inquit,
Parcite: pro parvo victima parva cadit.
COR PRO CORDE, *precor*, PRO FIBRIS SUMITE FIBRAS.
Hanc animam vobis pro meliore, damus.
Sic ubi libavit, proſecta ſub æthere ponit,
Quique ſacris adſunt, reſpicere illa vetat.
Virgaque Janalis de ſpinâ ſumitur alba:
Qua lumen thalamis parva feneſtra dabat.
Poſt illud nec aves cunas violaſſe feruntur;
Et rediit puero, qui fuit ante, color.

Obſtrepit hic interim Plinius, qui (licet inter mendaciorum ac fabularum patronos a multis dudum habitus fuerit; quique nihilominus ubi vult ejuſmodi nugarum egregius cenſor, imò & deriſor, eſt) tamen ita de his *Strigibus* loquitur: *Fabuloſum arbitror de Strigibus, ubera ea infantium emulgere. Eſſe in maledictis jam antiquis Strigem convenit: ſed quæ ſit avium conſtare non arbitror.*

Nec mirum talia protuliſſe hunc Plinium; qui omnes quoque operationes Magicas, totamque adeò Magiam ipſiuſque fundamenta directe aut indirecte deridet atque exſibilat.

Alii hâc ſolâ *Lilith* minime contenti (videantur R. Elias, in Tisbi, aliique) nugantur quatuor eſſe matres Dæmonum nempe לילית נעמה אגרת ומחלת *Lilith, Nahama, Ogeret & Machalath:* unde *Dæmonas* quotquot ſunt, per iſtos 130. annos, per quos ab *Eva* abſtinuit *Adam*, ille procreaverit.

Quid, quod & alii hanc *Dæmonum* Originem non ſoli *Adamo*, verum & *Evæ* quoque adſcribant? dum dicunt, omnibus iſtis 130. annis, quibus excommunicatione illa ab

Adamo separata fuit, fuisse etiam SPIRITUS MASCULOS *incalescentes ab eâ* [i. e. concubuisse cum ipsâ] *ipsamque ex iis concepisse ac peperisse;* SPIRITUSQUE, *vicissim, fœminas incaluisse ab Adamo ac peperisse ex illo; hos nempe* SPIRITUS MASCULOS, *illas vero* SPIRITUS *sexûs fœminei.* ut inde vocem שידא *Dæmonissa*, seu *Dæmonem fœminini generis*, minus miremur.

Ut autem *Lilith* ex pene communi Judæorum posteriorum consensu (paucis admodum qui magis sapiunt exceptis) *Dæmon fœminini generis* habita fuit, atque adhucdum est; sic tamen in Targum Jobi cap. I. v. 15. *Est Regina Samargat:* quæ ipsis Judæis concilianda relinquo: nisi hæc posterior *Lilith* ob malignam indolem mores aut actiones ita fuerit appellata. Interim fabula manet.

Præter istos tamen ab *Adamo* procreatos, erant adhuc alii *Dæmones* jam ante creati a Deo; ac quidem (uti in Pirke Eleazer habetur) *secundo Creationis* die. *Eo die enim* (ut ipse refert) *Octo res fuere creatæ, Puteus* (Abyssi) *Man, Pluvia, Scriptura Legis* [de ipsa Lege, paulo ante narraverat, quomodo Deus cum illa de Creando mundo consilium inierit, ipsiusque Legis cum Deo Colloquium μάλα σεμνῶς recitaverat] *Scriptura Legis* (in tabulis Decalogi) *Tunicæ Adami* & *Evæ*, (quas tamen post lapsum exuere cogebantur, aliasque ex pelle serpentis confectas induere) & denique *Dæmones* [NB.] *noxii:* quibus tamen & *ignem Gehennæ* & *Angelos Bonos* superaddit.

Horum malorum autem *Dæmonum* expulsorum e cœlo, propter lapsum *Adamum*, faciunt אשמדי *Asmodai* (qui cum iisdem sociis suis, uti perhibent, *Salomona* expulit Regno suo;) quem tamen multi ipsorum eundem esse putant cum סמאל *Sammaële*, qui *Angelus mortis* & *Princeps aëris* appellatur; cuique tanquam judicii advocato, *dant, seu offerunt, munus in die propitiationis*, ne Judæos propter peccata accuset.

Ita

Ita enim habetur in Pirke Eleaſer cap. XLVI. *Iſto die quo Lex fuit lata, dixit* SAMMAEL *coram Sancto Ben. Domine mundi,* SUPER OMNES POPULOS MUNDI *dediſti mihi poteſtatem non vero in Iſraëlitas. Reſpondet illi: En habes in illos poteſtatem in die Expiationis, ſi habuerint peccatum: ſi vero non, in illos non habebis potentiam. Idcirco* [*NB.*] *dant illi munus die Expiatorio; ne irritum reddat Iſraëlitarum ſacrificium.*

Vide hîc jam *Judæos Diaboli per munera corruptores!* Ac quammaxime hîc ad Ethniciſmum accedant ii, qui eum tantopere alias abominantur! forſan hoc manſit inter multos (non omnes enim ita ſentiunt) ex reliquiis fermenti *Chaldaici*, atque ipſorum *Zabiorum;* qui, teſte Maimonide, More Nevochim (ſaltem multi inter illos) *colebant Dæmones, credentes eos habere formam Hircorum, ac propterea eos Seirim* (שעירים) *appellabant.*

Quomodo autem hic jam dictus *Sammaël* inequitaverit ſerpenti, camelo ſimili, cum *Evam* deciperet ac ſeduceret; quibuſque modis *Diabolus* ſeſe viſibilem reddiderit [exemplum unicum ſuffecerit ex Gemara Sanhedrin, cap. XI. in hiſtoria Batſebæ] qualibuſque demum mediis procurari queat, ut is ſeſe hominibus viſibilem reddat; illa ex ipſis nugatoribus (ut hîc tædioſum nimis) peti velim.

Ut vero adhuc clarius videamus quam parum Judæorum Traditiunculis atque explicatiunculis (ut ſic loquar) ſit tribuendum: conſideret æquus Lector quæ ipſi de *Azazele* nugantur, ac quam multa ſæpius confingant, ut aliquam Scripturæ interpretationem (uti ipſis videtur) commodam, ubi obſcura nimium illa eſt, extrudant. Adducam non mea verba, ſed maximi certe (& meritis quidem ſuis in Rempublicam Literariam) Bocharti, ubi in Hierozoico de *Azazele* ex profeſſo loquitur: *Locus poſtulat ut diſcutiamus quid ſit* עזאזל *Azazel, Levit.* XVI. *ubi legitur v. 8. Aaron ſortes*

tes jaciet ſuper duos Hircos , ſortem unam Domino , & ſortem unam לעזאזל *Azazeli. Et verſu* 10. *Et Hircus in quem ceciderit ſors , Azazeli ſtabit vivus coram Domino , ut per eum fiat propitiatio , & mittatur ad Azazelum in deſertum. Et verſu* 26. *Et qui miſerit Hircum ad Azazelem, lavabit veſtes ſuas , &c. In iis locis quid proprie ſit Azazel , magno molimine quærunt Interpretes , neque dum [NB] id conſtat ſatis. Prudentiores [NB.] vocem Hebræam relinquunt* ἀνερμήνευτον , *ut e multis interpretationibus Lectori libera ſit optio. Ita Jonathan , Onkelos , Samaritanus & plerique recentiorum. Aben-Ezra in hac dictione magnum aliquid myſterium ſubeſſe ſignificat , quod nemo poſſit capere ante annos virilitatis. Multis Azazel eſt nomen montis , in quem Hircus deducebatur. R. Selomo* עזאזל הוא הר עז וקשה צוק וגבוה שנאמר גזרה התוכה AZAZEL EST MONS ASPER , ET CONFRAGOSUS , ANGUSTUS ET CELSUS , QUI VERSU VIGESIMO SECUNDO DICITUR TERRA גזרה I. E. AB ALIIS DIVULSA ET EXCISA.

Poſt quæ atque alia plura eruditiſſime in hanc rem tractata tandem pergit : *Et Julianus Apoſtata hoc Moſis loco abutitur , ut eum ſcripſiſſe probet* ὑπὲρ ἀποτροπαίων , i. e. *de Dîs averruncis , quod multis refellit Ciryllus libro nono in Julianum. Sed & inter ejusdem Cirylli Epiſtolas unus extat bene longa ad Melitenis Epiſcopum Acacium* περὶ τοῦ ἀποπομπαίου ; *quâ in eos acriter diſputat , qui ex eo , quod in Græca verſione legerant , in duos Hircos jactas fuiſſe ſortes , unam Domino , & alteram* τῷ ἀποπομπαίῳ , *colligebant ex duobus Hircis unum quidem Deo ad ſacrificum deputari ,* τὸν γε μὲν ἕτερον ἀποπομπαίῳ τινι , καὶ πονηρῷ , καὶ ἀκαθάρτῳ δαίμονι πεμφθῆναι κατ' τὴν ἔρημον , καὶ τοῦτο διὰ χειρὸς ἱερᾶς , καὶ ἐκ νομικοῦ θεσπίσματος , *alterum autem ad averruncum aliquem malum & impium Dæmonem in deſertum fuiſſe amandatum , idque per ſacram manum , atque ex decreto Legis.* *Nec*

Nec eſt, quod quis hîc dicam ſcribat Græcis interpretibus, quaſi ambigua verſione huic errori anſam dederint, cum ex Hebræis etiam in hunc eundem lapidem multi impegerint. Ita MENACHEM, *in Leviticum, ex hoc loco colligit* עזאזל AZAZEL *unum eſſe ex quatuor Dæmonum anteſignanis, quorum, hæc ſunt nomina, ſi recutito credimus,* סמאל, עזאזל, עזאל, מעזאל, SAMMAEL, AZAZEL, AZAEL, MACHAZEEL. *At in capitulis R. Eliezer,* AZAZEL *Dæmon idem qui* SAMMAEL; *cui cur Iſraëlitæ Hircum obtulerint die Propitiationum, prout concludere ſe putat ex verbis Moſis, en tibi jocularem rationem, ex cap.* 46. *Die, quo data fuit Lex, Deum Sanctum & benedictum ita compellavit* SAMMAEL: *Domine mundi,* CUR IN RELIQUOS TOTIUS ORBIS POPULOS *mihi dediſti poteſtatem præter ſolos Iſraëlitas? Reſpondit Deus, etiam in illos habebis poteſtatem, ſi die Propitiationum peccatum in illis inveneris. At ſi peccati ſunt expertes, nihil erit tibi juris in illos.* לפיכך היו נותנין שוחד ליום הכפורים לסמאל שלו יבטל קרבנם שנאמר גורל אחד ליהוה וגורל אחד לעזאזל גורלו של הקב״ה הוא קרבן העולה וגורל עזאזל שעיר חטאת כל עונות של ישראל עליו: *Ideo Sammaëli dant munus in die Propitiationum, ne irritam reddat ipſorum Oblationem. Hinc dicitur, una ſors Deo, altera Azazeli; & ſors Azazelis eſt Hircus peccati, ſuper quem ſunt omnes iniquitates Iſraëlis.*

Hinc legas in libro Capthor. pag. 71. prout citat Buxtorfius, Synagogæ cap. 21. *Judæos ideo Sathanæ dediſſe munus, ut illius oculos præſtringerent, ne ab illo accuſarentur; quia ſcriptum eſt Exod.* XXIII. *v.* 8. *Munus excæcat oculos videntis. Alii Sathanam aſſerunt hoc uno die nihil poſſe, atque inde eſſe quod literæ numericæ nominis* השטן, *i. e. Sathanæ, valent* 364, *quia per anni dies totidem imperium ſuum exercet in homines, nec ullus excipitur in toto anno,*

præter

præter diem quem diximus. Valentinianos quoque Azazelem pro Dæmone habuisse suadent veteris Poëtæ Christiani carmina in Marcum, Valentini discipulum, qui præstigiis suis credebatur spectatoribus illudere:

Εἰδωλοποιὲ Μάρκε, καὶ τερατοσκόπε,
Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε, καὶ μαγικῆς τέχνης,
Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,
Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπό σου πλανομένοις,
Ἀποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,
Ἅ σοί χορηγεῖ σὸς πατὴρ Σάταν ἀεὶ,
Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως Ἀζαζὴλ ποιεῖν.

Hos versus ex Irenæo citat Epiphanius Hæresi 34. & vir doctus ita reddit:

Idola fingens Marce, monstrorum artifex
Fraudisque, quare Magicæ & astrorum sciens,
Erroris inde dogma pestiferum struis.
Portenta cœcæ ficta dum turbæ exhibes,
Per te rebellis qualia aggreditur manus:
Hoc tu illa Satanæ fretus auxilio patris
Azazelique mira designas ope.

Quin hodieque in Magorum libris Azazel inter Dæmones, qui elementis præsunt. Sed hæc commenta, præter Cirillum, de quo diximus Theodoretus, Hesychius & Procopius meritò rejiciunt. Cum nihil quicquam fingi potuerit absurdius, quam Deum ex duobus Hircis alterum sibi, alterum Diabolo destinasse, & offerri jussisse. Cum sequentis capitis versu septimo sacrificare Dæmonibus vetet disertis verbis. Et ille ipse Hircus qui servabatur vivus, CORAM DOMINO SISTI *jubeatur, Levit.* XVI. 10. *Itaque Hircus uterque Deo fuit ex æquo devotus; & solùm differebat in offerendi modo. Unus enim super altare mactabatur, alter in desertum vivus emittebatur.*

At

At נחמה *Nahema* ſoror Tubalcaini hîc nos quoque interturbat; ut ex qua (tradente id Elia, in Tisbi, ex Rabbinorum ſententia) plures *Dæmones* nati fuere.

Fuerintne hæ *Dæmones fæminini generis* quoque quibus cum ſeſe commiſcuere filii Dei, i. e. *Angeli*, an vero aliæ ab Eva procreatæ, hoc Rabbinis iſti diſpiciendum trado. Hoc ab ipſis accipimus, Angelos malos, primum & ante cæteros creatos, e cœlo lapſos, humanamque formam indutos amaſſe filias hominum ac procreaſſe Gigantes.

Quæ ſuperſtitioſa non ſolum, verùm & abſurdi plena, opinio, a Judæis quoque ad Chriſtianos tranſitum fecit; niſi quod, cum Judæi hæc *malis Angelis* adſcriberent (עזי אל ſcilicet, ipſiuſque ſocio שמחזאי, uti in Targum Jonathanis ad Geneſ. capite VI. habetur) primitivæ Eccleſiæ Chriſtiani, id *malis Dæmoniis* ſeu *Diabolis*, attribuere maluerint.

Patet hoc ex Juſtino, Tertulliano, Cypriano, aliiſque Scriptoribus Eccleſiaſticis; quorum primus in Apologia prima, ita loquitur: Οἱ δὲ ἄγγελοι παραβαίνοντες τήνδε τὴν τάξιν, γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν, καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν, οἵ εἰσιν οἱ λεγόμενοι δαίμονες· καὶ προσέτι λοιπὸν τὸ ἀνθρώπειον γένος ἑαυτοῖς ἐδούλωσαν· τὰ μὲν διὰ φόβων καὶ τιμωρειῶν, τὰ δὲ διὰ διδαχῆς θυμάτων καὶ θυμιαμάτων, καὶ σπονδῶν, ὧν ἐνδεεῖς γεγόνασι μετὰ πάθεσιν ἐπιθυμιῶν δουλωθῆναι: καὶ εἰς ἀνθρώπους φόνους, πολέμους, μοιχείας, ἀκολασίας, καὶ πᾶσαν κακίαν ἔσπειραν. ὅθεν καὶ ποιηταὶ καὶ μυθολόγοι, ἀγνοοῦντες τοὺς ἀγγέλους, καὶ τοὺς ἐξ αὐτῶν γεννηθέντας δαίμονας, ταῦτα πρᾶξαι εἰς ἄρρενας καὶ θηλείας, καὶ πόλεις καὶ ἔθνη, ἅπερ συνέγραψαν, εἰς αὐτὸν τὸν θεὸν, καὶ τοὺς ὡς ἀπ' αὐτοῦ σπορᾷ γενομένους υἱοὺς, καὶ τῶν λεχθέντων ἐκείνου ἀδελφῶν καὶ τέκνων ὁμοίως τῶν ἀπ' ἐκείνων, Ποσειδῶνος καὶ Πλούτωνος, ἔνεγκαν. ὀνόματι γὰρ ἕκαστον, ὅπερ ἕκαστος ἑαυτῷ τῶν ἀγγέλων, καὶ τοῖς τέκνοις ἔθετο, προσηγόρευσαν. *Angeli autem ordinationem eam tranſgreſſi, cum mulierum concubitûs causâ amoribus ſunt victi, tum filios procrearunt eos, qui* DÆMONES *ſunt dicti, atque ita inſuper reliquum genus huma-*

 huma-

humanum in servitutem suam redegerunt. Id vero effecerunt vel per scripta Magica, vel per errores & supplicia, vel etiam per institutionem victimarum & incensorum & libationum; quarum indigentes esse cœperunt, postquam animi perpessionum & concupiscentiarum servi sunt effecti: atque exinde inter mortales cædes, bella, adulteria, libidines & vitiositatem malitiamque [utor hîc versione Langii] *omnem disseminarunt. Unde Poëtæ & fabularum scriptores ignorantes* ANGELOS ET EX IPSIS PROGENITOS DÆMONES, *hæc in masculos & fœminas, atque in urbes & nationes perpetrasse, quæ ipsi conscripserunt, in ipsum Deum, & tanquam satu ipsius prognatos, fratrumque ejus qui dicti sunt, Neptuni, Plutonis, liberorumque itidem ab illis procreatorum filios retulerunt. Nomine enim quisque suo, quod Angelorum quilibet sibi ipsi & gnatis imposuerat, appellarunt.*

Multa certe, in his Justini verbis, notari ac redargui possent; sed pergo ad Tertullianum, qui Apologetici cap. 22. sic loquitur: *Sed quomodo de Angelis quibusdam suâ sponte corruptis corruptior gens Dæmonum evaserit, damnata a Deo cum generis auctoribus, & cum eo quem diximus Principem* [Satanam principem hujus mali generis paulo superius nominaverat] *apud literas sanctas ordine cognoscitur.*

Si interim consideremus unde tales opiniones in primùm Christianismum irrepserint, non solos serioris ævi Talmudicos, aut priores ipsis Targumistas, iis imbutos fuisse reperiemus; verum etiam *Fl. Josephum* ac *Philonem Judæum;* quos tanti semper (ac præcipue quidem Philonem) fecerunt Veteres Christiani. Horum prior namque ita paucis verbis de Angelis loquitur: Πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες. &c.

Quod attinet ad *Philonem*, is non contentus filiis Dei illos in Angelos Dei transformat, dum & textum Græcum hoc sequenti modo affert, ipsique explicando adhuc magis absurda

surda subjungit: Ἰδόντες δὲ οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων ὅτι καλαί εἰσιν ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας ἀπὸ πασῶν, ὧν ἐξελέξαντο· οὓς ἄλλοι Φιλόσοφοι δαίμονας, ἀγγέλους Μωϋσῆς εἴωθεν ὀνομάζειν· ψυχαὶ δ' εἰσὶ κατὰ τὸν ἀέρα πετόμεναι· καὶ μηδεὶς ὑπολάβῃ μύθον εἶναι τὸ εἰρημένον· ἀνάγκη γὰρ ὅλον δι' ὅλων τὸν κοσμον ἐψυχῶσθαι τῶν πρώτων καὶ σειχειώδων μερῶν ἑκάστου τὰ οἰκεῖα καὶ πρόσφορα ζῶα περιέχοντος, γῆς μὲν τὰ χερσαῖα, θαλάττης δὲ καὶ ποταμῶν τὰ ἔνυδρα, πυρὸς δὲ τὰ πυρίγονα. (λόγος δὲ ἔχει ταῦτα κατὰ Μακεδονίαν μάλιστα γίνεσθαι) οὐρανοῦ δὲ τοὺς ἀστέρας· καὶ γὰρ οὗτοι ψυχαὶ ὅλαι δι' ὅλων ἀκήρατοί τε καὶ θεῖαι, παρ' ὃ καὶ κύκλῳ κινοῦνται τὴν συγγενεστάτην νῷ κίνησιν· νοῦς γὰρ ἕκαστος αὐτῶν ἀκραιφνέστατος. ἔστιν οὖν ἀναγκαῖον καὶ τὸν ἀέρα ζώων πεπληρῶσθαι. ταῦτα γε ἡμῖν εἰσιν ἀόρατα, ὅτι περ καὶ αὐτὸς οὐχ ὁρατὸς αἰσθήσει.

Cum vero viderent Angeli Dei, quod filiæ hominum essent pulchræ sumebant sibi uxores quas ex omnibus elegerant. Quos alii Philosophi Dæmonas, eos Moses Angelos nominare solet. Sunt verò animæ per aërem volitantes. Neque existimet aliquis fabulam me narrare. Necesse enim est totum mundum per omnia animari; unaquaque primarum & Elementarium parte sibi familiaria ac convenientia animalia complectente; terra quidem terrestria, mari ac fluminibus aquatilia, igne vero ignigena (quæ, uti fama est, maxime in Macedonia versantur) cœlo vero astra. Namque & hæc tota sunt animæ per omnia impermixtæ & Divinæ: quare & in circulum moventur; qui motus est menti maxime proprius. Singula enim mens istorum purissima est. Necesse igitur est & aërem animalibus impleri; quæ nobis quidem invisibilia sunt quoniam ipse (aër) invisibilis est.

Septuaginta, sic dicti, Interpretes habent υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, Codex Alexandrinus, tamen, cum Josepho ac Philone οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ; dum Aquila υἱοὶ τῶν Θεῶν, Symmachus τῶν δυναστευόντων, vertunt. Quocum tum Onkelos, tum prætensus ille Jonathan Pentateuchi interpres, concordant. Quod in hoc Jonathane plane mirum: quod is perpetuò pene nugetur; uti &

 hinc

hinc aperte satis patet; quod *istæ filiæ hominum* (hoc testante Paraphraste) *fricarent faciem & discernerent capillos, ambulantes cum manifestatione carnis, & cogitatione scortationis.*

Nunc certe tempus postulat ut progrediar ad *Tobiam* ac reliquos *Libros Apocryphos*, ut consideremus & ibi progressum δεισιδαιμονίας.

Verùm antequam ad Tobiam cæterosque istos libros Apocryphos deveniam; locus postulat, ut *de Interpretibus* Sacrorum Bibliorum *Græcis* (qui tam Prophetica quàm Hagiographa, ita dicta, Scripta verterunt) quoque aliquid dicam.

Hi igitur Interpretes vocem שעירים Sehirim (quàm Pentateuchi Interpres, sive Interpretes, ματαῖα, uti & Chronicorum Interpres τοῖς εἰδώλοις καὶ ματαίοις, verterant) *Dæmonia* transferunt; aliaque plura monstra Sacris auctoribus incognita imprudenter, ne dicam plane impudenter, intrudunt. Hebræa enim verba habent: ולא--יהל שם ערבי ורעים לא ירבצו שם ורבצו שם ציים ומלאו בתיהם אחים ושכנו שם בנות יענה ושעירים ירקדו שם: וענה איים באלמנותיו ותנים בהיכלי ענג בוקרי לבוא עתה וימוה לא ימשכו: At versio Græca illa reddit: οὐδὲ μὴ διέλθωσιν αὐτὴν Ἄραβες, οὐδὲ ποιμένες οὐ μὴ αναπαύσονται ἐν αὐτῇ. Καὶ ἀναπαύσονται ἐκεῖ θηρία, καὶ ἐμπλησθήσονται αἱ οἰκίαι ἤχου· καὶ ἀναπαύσονται ἐκεῖ σειρῆνες, καὶ δαιμόνια ἐκεῖ ὀρχήσονται, καὶ ὀνοκένταυροι ἐκεῖ κατοικήσουσι, καὶ νεοσσοποιήσουσι ἐχῖνοι ἐν τοῖς οἴκοις αὐτῶν. *Sirenes* igitur hîc habemus, & *Onocentauros* & *Dæmones*; ac vulgata versio, hanc temere satis secuta, habet: *Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec Pastores requiescent ibi. Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus ipsorum Draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & Pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & Sirenes in delubris voluptatis.*

Secundus locus est: cap. 34. v. 13. ועלתה ארמנתיה סירים קמוש וחוח במבצרוה והיתה נוה תנים חציר לבנות יענה: ופגשו ציים את איים ושעיר על רעהו יקרא אך שם הרגיעה לילית

לילית ומצאה לה מנוח: שמה קננה קפוז ותמלט ובקעה ודגרה בצלה אך שם נקבצו דיות אשה רעותה: Græci Interpretes: Καὶ ἀναφυήσεται εἰς τὰς πόλεις αὐτῶν ἀκάνθινα ξύλα, καὶ εἰς τὰ ὀχυρώματα αὐτῆς· καὶ ἔσται ἐπαύλεις σειρήνων, καὶ αὐλὴ στρουθῶν. καὶ συναντήσουσι δαιμόνια ὀνοκενταύροις, καὶ βοήσονται ἕτερος πρὸς τὸν ἕτερον· ἐκεῖ ἀναπαύσονται ὀνοκένταυροι εὕροντες αὐτοῖς ἀνάπαυσιν. Ἐκεῖ ἐνόσσευσεν ἐχῖνος, καὶ ἔσωσεν ἡ γῆ τὰ παιδία αὐτῆς μετὰ ἀσφαλείας, ἐκεῖ συνήντησαν ἔλαφοι καὶ εἶδον τὰ πρόσωπα ἀλλήλων. Vulgata vero habet: *Et Orientur in domibus ejus ſpinæ, & urticæ, & Paliurus in munitionibus ejus: & erit cubile Draconum, & Paſcua Struthionum. Et occurrent* DÆMONIA ONOCENTAURIS, ET PILOSUS CLAMABIT ALTER AD ALTERUM: *ibi cubavit* LAMIA *& invenit ſibi requiem. Ibi habuit foveam Ericius, & enutrivit catulos & circumfodit, & fovit in umbra ejus: illuc congregati ſunt Miloi, alter ad alterum.*

Quæ hic maxime, præter השעירים (de quibus modo dictum) notanda ſunt animalia, ſunt illa quæ in S. Scriptura appellantur הציים והאיים, ZIIM & IIM de quorum prioribus Clariſſimus Bochartus (in Hierozoico) ita loquitur: *Interpretes de voce* ציים *mire ambigunt. Seniores* θηρία, δαιμόνια, ἰνδάλματα. *Syrus reddit* ܚܝܘܬܐ FERAS ܪܘܚܐ *Spiritus* ܣܝܪܢܘܣ SIRENES. *Arabs* الوحوش FERAS الجان DÆMONES اصنام IDOLA. *Vulgatus* BESTIAS, DÆMONIA, DRACONES. *Chaldæus* תמון CERCOPITHECAS. *Abarbanel* הקופים SIMIAS. *Selomo* נמיום MARTES. *Kimchius* & *Aben Ezra*, BESTIAS HABITANTES בציה IN LOCO ARIDO ET SITICULOSO. *Munſterus*, LAMIAS. *Caſtalio*, SILVANOS. *Pagninus*, BESTIAS SYLVESTRES. *Junius*, FERA ANIMALIA. *Aquila, Symmachus, Theodotion & Arias maluerunt vocem Hebræam intactam relinquere, quam Lectoris animum dubia verſione ſuſpendere.* De Poſterioribus (איים ſcilicet) ita idem ille eruditiſſimus Literator, [poſt caput de Phœnice ave,

quam quoque in Sacra Scriptura multi ex veteribus invenire se credebant, dum Græcos Interpretes, qui Hebream vocem φόινιξ vertunt, ridiculum in modum secuti, arborem in Avem *Phœnicem* convertebant legentes *Justus ut Phœnix* (avis sc.) *vivet*] ita loquitur: *Eliminato Phœnice, jam majora monstra sunt debellanda;* Fauni ficarii, Satyri, Lamiæ, Striges, Sirenes, Onocentauri. *Quorum omnium nomina legere est in Esaiæ & Jeremiæ interpretibus: sed minore cum periculo, quia ibi non proponuntur ut animalia quæ vere existant, sed tanquam spectra Dæmonum in solitariis locis apparere solita. Juvabit tamen perpendere quo jure quave injuria in Sacrum textum irruperint tot voces ex Fabulis Poëtarum petitæ.*

Hebræam vocem איים *nos suo loco* Thoas, *Hieronymus* Faunos Ficarios *explicat Jer. 50. v. 39. Emmanuel Sa legi vult* Fatuos Sicarios; *quomodo dici putat* Dæmonum genus Sicariorum specie apparentium.

Post quæ, & nonnulla alia huc spectantia subjuncta, ita pergit: *Porro cur* איים *Hieronymus* Faunos ficarios *reddiderit non cuivis patet. Ego rem ut potero edisseram;* אים *Hebræis* Terribilem אימה terrorem *sonat. Unde fieri putavit* איים, *ac si Mem servile in fine vocis pertineret ad radicem: adeoque voluit* איים, *esse* Spectra *quævis* terribilia, *quales* Fauni *vel maxime: cum* Fauno *terrores Panicos, & quæcumque φάσματα videntibus terrorem incutiunt, veteres Romani tribuerint.*

Quibus tot ex Bocharto adductis tamen & hæc sequentia addam; nec metuo hîc exscriptoris nomen, modo quæ eo ipso mihi afferuntur, plane ad rem faciant. ציים Tsiim & איים Iïm *in Babylonis & Idumeæ desertis describunt Prophetæ duo Esaias & Jeremias* [*Esai.* 13. 21. 22. & 34. 14. *Jerem.* 50. 3]. ציים *videntur esse* Sylvestres feles

&

& אִיִּים IIM THOES, *ab acuto ululatu sic appellati. Huc facit quod feles Arabice* صغاوين DSAJAWINO *appellantur voce non absimili :* & THOES بنات اوي FILIÆ AWI, *quasi ululatu suo non aliud sonent quam* AWI. *Nec parum confirmatur ex his Esai.* 13. 22. ALTERNIS CLAMABUNT IIM IN PALATIIS EJUS. THOUM *enim ululatum esse alternum ex Alberto, Bellonio, Scaligero, & Busbequio, scimus. Nec temere junguntur in Prophetis* אִיִּים IIM & צִיִּים TSIIM; *cum* FELIUM *in desertis coeuntium dira vox* THOUM *ululatus aliquo modo referat. Proinde cum infantium vagitibus utrumque conferri video. Hæc conjectura nostra est de vocibus jam olim parum notis, quasque Aquila, Symmachus & Theodotion nude discribunt* σιεὶν & εἰεὶν, διὰ τὸ ἄδηλον τῆς ἑρμηνείας, *propter incertam interpretationem. Seniores* צִיִּים TSIIM, θηρία, δαιμόνια, & ἰνδάλματα *reddunt, &* אִיִּים, Ονοκενταύρους. *Hieronymus itidem* צִיִּים, BESTIAS, DÆMONIA & DRACONES *habet ; & pro* אִיִּים ULULAS, ONOCENTAUROS, & FAUNOS FICARIOS. *In versione vernacula* צִיִּים *sunt feræ* EREMICOLÆ, & אִיִּים, FERÆ INSULARES. *Quod non capio, quia si quæ essent feræ insulares, i. e. insularum propriæ, ea in Babylon & Idumea non habitarent. Tamen multi Hebræorum sic reddunt vocum etymologiâ freti.*

Et iterum : *Phœnicum lingua* שִׁיר SIR *est cautio inde factum* SIRENUM *nomen ; quæ navigantes scilicet* λιγυρῇ θέλγουσιν ἀοιδῇ, *blando cantu demulcent. Superiora sunt inferiora* τῶν στρουθῶν, *passerum vel struthionum, non piscium, ut vulgus putat. Sedes in prato vel in scopulis ad maris littus. Unde mirari subit, cur toties Græci Interpretes* [*Job.* 38. 29. *Esai.* 13. 21. & *Ezech.* 4. 13. *Jerem.* 50. 20. 39. *Micha* 1. *v.* 8.] *atque ex iis Vulgatus, semel* [*Esai.* 13. *v.* 2.] *Sirenas accenseant iis animalibus, quæ in intimis desertis procul a mari degunt. Maxime cum in fonte Hebræo nusquam compareant Sirenes ; sed*

pro

pro iis vel תנים *dracones vel* בנות יענה *ſthruthiones ; quæ duo animalia neque inter ſe, neque cum Poëtarum Sirenibus quicquam habent commune. In ſacro certe argumento conſultiſſimum eſt, abſtinere prorſus his* μυθώδεσι, *proximum ut iis ſaltem ſobrie utaris, nec niſi cum res maxime poſtulat. A quo temperamento plane videtur aliena Sirenum in iis locis tam intempeſtiva mentio.*

Verum ut etiam eo melius eluceſcat qualeſnam homines fuerint Græci, tum Jobi, tum Pſalmorum tum Prophetarum tum aliorum Auctorum ſeu librorum Sacrorum, Interpretes, conſideremus (quamvis id non uſque adeo proprie ad *Dæmonas* ſpectet, ſed ad fidem ejuſmodi verſionibus habendam) illa quæ in Jobi cap. XL. apud Græcos, tam de *Behemoth* & *Leviatham* creatis, ut Angeli vel cum ipſis luderent, vel (ſi ita mavis) iſtis illuderent; quam de iſtius *Leviathanis* ſtupendâ magnitudine, habentur.

Verſu enim 14. (poſt nominatos v. 6. *Angelos,* qui neque in ipſo textu Hebraico nec in vulgata comparent) de *Behemoth* ita narrat: τοῦτ' ἐστιν ἀρχὴ πλάσματος κυρίου, πεποιημένον ἐγκαταπαίζεσθαι ὑπὸ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ. ac cap. 41. v. 26. de Leviathane: Οὐκ ἔστιν, οὐδὲν ἐπὶ τῆς γῆς ὅμοιον αὐτῷ πεποιημένον, ἐγκαταπαίζεσθαι ὑπὸ τῶν ἀγγέλων μου.

At quæ de *Leviathanis* magnitudine habentur ridicula ſane ſunt: nempe hac ſequentia (verſu 26. cap. 40.) Πᾶν δὲ πλωτὸν συνελθὸν οὐ μὴ ἐνέγκωσι βύρσαν μίαν οὐρᾶς αὐτοῦ, καὶ ἐν πλοίοις ἁλιέων κεφαλὴν αὐτοῦ. *Omne naviginum conveniens non ferent pellem unam caudæ ejus, & in navigiis piſcatorum caput ejus.* Ubi Olympiodorus (qui tamen, ut Origenes aliique, hæc omnia *Diabolo* applicant) conſtanter βύρσαν interpretatur φολίδα ac λεπίδα i. e. *ſquammam.* Quam proportionem ſquammæ unius e cauda cum capite, ego, fateor, minimè capio.

Mirum tamen id eo minus videri debeat, hunc vel hoſce, Interpretes maximum animal tanto grandius (ut ſic loquar) per-

perfecisse; cum & ipsum Jobi librum reddunt longiorem, (ut alii Græci libros Danielis & Hester, suas par Appendices) dùm post postrema textus Hebraici verba: ויחי איוב אחרי זאת וג *Et vixit Job 140. annis ac & mortuus est senex plenus dierum.* Superaddunt (ne de aliis quæ præcedentibus intermiscentur, aliquid dicam) Γέγραπται πάλιν ἀναστήσεσθαι αὐτὸν μεθ' ὧν ἀνίστησιν ὁ Κύριος. οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου. Ἐν μὲν γῇ κατοικῶν τῇ Αὐσίτιδι, ἐν τοῖς ὁρίοις Ἰδουμαίας καὶ Ἀραβίας· προϋπῆρχε δὲ αὐτῷ ὄνομα Ἰωβάβ. Λαβὼν δὲ γυναῖκα Ἀραβίσσαν γεννᾷ υἱὸν ᾧ ὄνομα Ἐννων. Ἦν δὲ αὐτὸς μὲν πατρὸς Ζαρὲ, τῶν Ἠσαῦ υἱῶν υἱὸς, μητρὸς δὲ Βοσόρρας· ὥστε εἶναι αὐτὸν πέμπτον ἀπὸ Ἀβραάμ. Καὶ οὗτοι οἱ βασιλεῖς οἱ βασιλεύοντες ἐν Ἔδωμ, ἧς καὶ αὐτὸς ἦρξε χώρας· πρῶτος Βαλὰκ ὁ τοῦ Σεπφώρ, καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτοῦ Δενναβά· μετὰ δὲ Βαλὰκ Ἰώβαβ, ὁ καλούμενος Ἰώβ· μετὰ δὲ τοῦτον Ἀσώμ, ὁ ὑπάρχων ἡγεμὼν ἐκ τῆς Θαιμανίτιδος χώρας· μετὰ δὲ τοῦτον Ἀδὰδ υἱὸς Βαράδ, ὁ ἐκκόψας Μαδιὰμ ἐν τῷ πεδίῳ Μωάβ· καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτοῦ Γεθθαίμ. Οἱ δὲ ἐλθόντες πρὸς αὐτὸν φίλοι, Ἐλιφάζ· υἱὸς Σωφὰν τῶν υἱῶν Ἠσαῦ, Θαιμανῶν βασιλεύς, Βαλδὰδ υἱὸς Ἀμνὼν τοῦ Χοβὰρ τοῦ Σαυχίτου τυράννου, Σωφὰρ ὁ Μιναίων βασιλεύς. *Scriptum est autem ipsum rursus resurrecturum, cum quibus resuscitat Dominus.* [Olympiodorus accurate se id nosse videtur existimasse, cum addit, explicando, μετὰ Νῶε καὶ Δανιὴλ, *cum Noë ac Daniele.*] *Hic interpretatione redditur ex libro Syriaco* [quod hic Græci interpretantur *Hebræo*] *in terrâ quidem Ausitide habitans, in finibus Idumææ & Arabiæ; & erat ei nomen Jobab. Cum autem accepisset uxorem Arabissam, generat filium, cui nomen Ennon. Erat autem ipse ex patre quidem Zare, de filiis Esau filius, matris autem Bosorræ: ita ut ipse quintus sit ab Abraham. Et hi sunt Reges qui regnaverunt in Edom: cujus regionis etiam dominatus est: Primus Balac filius Beor; & nomen civitatis ejus Bennada: post Balac autem Jobab, qui vocatur Job: post hunc autem Asom, qui erat dux ex regione Themanitide:*

 de:

de: post hunc autem Adad filius Barad, qui excidit Midiam in campo Moab: & nomen civitatis ejus Gethem. Amici autem qui ad eum venerunt, Eliphaz de filiis Esau Thæmanorum rex, Baldad Tyrannus Sauchæorum, Sophar rex Minæorum.

Hæc tamen adhuc tribus versibus, hîc sequentibus adaucta reperimus in celeberrimo isto *Codice Alexandrino*, qui tam magni æstimatur inter eruditos, atque istos præcipue qui linguam non callent Hebraicam: Θαιμὰν υἱὸς Ἔλιφαζ, ἡγεμὼν τῆς Ἰδουμαίας· οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου.

> Ἐν μὲν γῇ κατοικῶν τῇ Αυσίτιδι,
> Ἐπὶ τῶν ὁρίων τοῦ Ἐυφράτου.
> Προυπῆρχεν δὲ τὸ ὄνομα αὐτοῦ
> Ἰώβαβ· ἦν δὲ ὁ πατὴρ αὐτοῦ
> Ζαρὲ, ἐκ τῶν ἀνατολῶν ἡλίου.

Quæ prius adduxi pro parte desumpta sunt ex Græca Pentateuchi versione; verum, qui ibi *Jobab* appellatur, minime (neque in Textu Hebraico. neque ullis aliis in Versionibus antiquis) appellatur simul *Job*. Cætera quam bene cum ipsa S. Scriptura conveniant (male certe dicendum esset) conferat curiosus Lector; ac videbit veritatem hîc iterum veteris dicti; *Qualiacunque volunt Judæi somnia vendunt*.

Quæ Græcus Interpres Jobi de *Behemoth* ac *Leviathane* nugatur; illa adhuc magis Judaice, i. e. magis fabulosè, adornantur, tam a Scriptore Apocrypho, ac per impias fraudes confícto Libri quarti *Esdræ*, quam à Judæis libri Jobi Interprete posterioribus. Sed antequam ista producam, proferam locum adhuc unicum ex Psalmo LXXXI. v. 5. ubi Hebræa quidem veritas habet: *Non timebis a pavore noctis, a sagitta volante per diem, a peste &c.* Græcus verò ut *Spectra* ac *Diabolos* hîc in Sacram Scripturam intruderet, habet, Οὐ φοβη-

φοβηθήσῃ ἀπὸ φόβου νυκτερινοῦ, ἀπὸ βέλους πετομένου ἡμέρας, ἀπὸ πράγματος διαπορευομένου, ἐν σκότει, ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ. Ubi tamen vetus Latinus Græco pene nihil ſapientior, (ipſumque hîc ſecure ſecutus) habet: A ſagitta *volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & Dæmonio Meridiano.*

Accedendum nunc denique ad Apocrypha Græcorum ac Latinorum commenta: Inter quos quartus Eſdræ liber mihi primus ordine erit, propter *Behemoth* & *Leviathan*, de quibus modo Græcorum nugas videre cœpimus. Narratiuncula autem ibi talis eſt: *Tunc autem* [quinto ſc. die] *duo animantia, quorum unum vocaſti Behemoth* [aliæ editiones habent *Henoch*, verum male, uti exiſtimo, ob rationes a Fr. Junio, aliiſque eruditis, jam olim datas] *alterum vocaſti Leviathan; & ſeparaſti ea unum ab altero; non enim ſeptima pars, ubi erat aqua congregata poterat capere ea ſimul. Itaque dediſti Behemoth unam partem, quæ tertio die ſiccata fuerat, ut habitaret ubi ſunt montes mille. Leviathani vero dediſti ſeptimam partem humidam; & ſervaſti ipſum, ut devoret quos & quando volet.*

Quod vero hic *Behemoth* mille Montes quotidie depaſcatur extundunt ex verbis Pſalmiſtæ (Pſalmi L. v. 10.) כי לי כל חיתו יער בהמות בהררי אלף: *Quoniam mihi omnis beſtia ſylvæ, & animalia in montibus mille.* Quæ Chaldæus paraphraſtes ita tranſſert: ארום דילי כל חיות חורשא ועתדרת לצדיקיא בגן עדן דכין בעיריא ותור בר דרעי בכל יומא בטורין אלפא: *Quoniam mea eſt omnis fera ſylvæ, & præparavi juſtis in horto* [*Eden*] *deliciarum animalia munda, & Bovem ſylveſtrem paſcentem quotidie in mille montibus.*

Ut autem Lector, huic paraphraſi debitam adſcribat auctoritatem, addam, ὡς ἐν παρενθέσει, quæ ſequenti verſu 11. ſequuntur: גלין קדמי כל מיני עופא דפרחין באויר שמיא יתרנגול ברא דקרצולי שרין בארעא ורישיה מטי בשמיא: *No-*

*tæ sunt in conspectu meo cunctæ species avium, quæ volant in aere cœlorum: & G*ALLUS *S*YLVESTRIS, *cujus pedes stant in terrâ, & caput ejus attingit cœlum, cantat coram me.*

Verum rursus redeamus ad *Behemoth;* de quo hic nugator, quod ipsi in pasturam mille montes dati fuerint; eo quod ista septima pars mundi, qui aquas continebat [opportet autem tunc longe alia forma ac constitutione mundum fuisse fabricatum] duo illa animalia capere nequiret. Ne vero pascua illi deficerent, subsidio ipsi fuere Judæi Talmudici; qui docent, montes istos mille unaquoque die ab hac immanissima bellua depastos omni subsequente nocte nova gramina rursus producere.

Leviathanis interim non tantam curam gerunt; quod iste, nimirum, jam septimam partem solus possideat, *ac devoret quos ac quando velit;* pisces uti credo minores, ut majoribus semper consuetudo est. An jam versetur *Behemoth* in regionibus Australibus adhuc incognitis, ac Leviathan in Hispanici aliisve magni maris fundo lateat, nescio. Servantur tamen ambo in adventum istius, Messiæ, qui adhuc a recutitis exspectatur. Asserunt quidem illi ambas has belluas, marem ac fœminam (utriusque speciei) fuisse creatas; veruntamen Deum, ne totum terrarum orbem devorarent aut devastarent, marem utrumque intestabilem reddidisse, fœminas vero utrasque mactatas ac sale conditas reservasse ad convivium istud magnificum, quod prætensus ille ipsorum Messias daturus est. Quando etiam, ne tam durus cibus nimis oneret ac gravet stomachum, simul & ut cor ipsis exhilaretur, bibituri sunt vinum quod olim in Paradiso crevit, atque ab isto tempore sub terris bene conclusum ac munitum reservatur in usum istius convivii: in quo post multas cæremonias rex *David* poculum benedicet; uti scriptum est Psalmo CXVII. v. 13. *Poculum salutum accipiam, & no-*

& nomen Domini invocabo. Cuncta enim sua ac suorum commenta ita Sacræ Scripturæ testimoniis corroborare nituntur.

Quæ vero celeberrimus Bochartus in Hierozoico (de Cetis, Cetaceis, ac de Leviathane dum loquitur) affert, hæc sequentia, ac quidem notabilia, sunt: *At Hebræi, sæpe mendaces in hoc argumento potissimum mentiuntur liberalissime. In illis modestissimi cetis 500 stadiorum longitudinem assignant, h. e. milliarium plus 60. Balænam multi volunt ideo dici* נחש בריח *Serpentem vectis, Esai.* XXVII. *v.* I. *Quod ab uno maris extremo ad alterum vectis instar attingat. In tractatu Talmudico* BAVA-BATHRA, *fol.* 73. *col.* 2. *Navis quædam in dorso ceti navigans iter ab una pinna ad alteram* [confer hæc, quæso, cum iis, quæ de una Squamma ex Jobi Interprete adduxi] *tertio demum die confecit.* &c.

Hæc atque hujusmodi nugamenta sane faciunt, ne solis Græcis occinamus: *& quidquid Græcia mendax audet in Historia.*

Attamen hîc sibi minimè desunt famosi isti, in Historia, Mendaciorum Patroni; uti videre licet apud Athenæum, de Sacro Geryonis pisce, qui tota Creta major erat, similibusque qui ibidem sequuntur. Ne quid etiam addamus illa, quæ de *Mahone pisce*, ac *diabolo ipsum alloquente*, Arabes nugantur; cum jam nimis procul extra oleas vagatus sim.

Non interim omittendi Angeli cap. 4°. ab hujus quarti libri Esræ auctore adducti, *Uziel* nempe ac *Jeremuel Archangelus*: qui ut in Sacra Scriptura nullibi comparent, posteriorque solum in Magicis nomen obtinet, facile videre nobis licet, ex quonam fonte (Cabalistico, ac prætenso Magico) scaturierint. Unde autem habeat hic falsus Propheta *Man esse Panem Angelorum*, ab ejusmodi hominibus (Judaicis Fabulatoribus) petendum esset. Ita enim hic au-

ctor, quasi ex nomine Dei: *Et dedi vobis Manna in escam Panem Angelorum manducastis.*

CAP. VII.

Post illa quæ præcedenti capite de Leviathane, ac de Behemoth mille montes depascente, similibusque aliis, ac post progressum ad Apocrypha, dicta fuere, ulterius ad Apocrypha pergitur: in quibus & Lemures *&* Spectra *(sicut apud Targumistas) &* Angeli, *ipsorumque apparitiones in præliis apparent. Quâ occasione quoque de Fl. Josepho Historico semipagano, deque ipsius mala fide, &c. agitur; ut de signis exitium urbis Hierosolymæ antecedentibus; de* Bubone *Agrippæ primò imperium, at postea mortem, prænuntiante; de Oraculis in Templo Hierosolymitano inventis (qua occasione Tacitus cum Josepho comparatur;) de Salomonis Exercismis contra Dæmones; de ventriloqua in Endor; de fluvio Sabbathico; de Magis Pharaonis; de Davide per carmina Dæmonum excantatore; de Jonæ pisce, ac Jonæ prædictionibus; de malignis hujus Josephi distorsionibus Legis in gratiam Ethnicorum; ac denique de assumptione Mosis, &c.*

UT vero Scriptor ille personatus quarti libri Esdræ de *Angelis* ipsorumque pane loquitur; Sic quoque ille Machabaici secundi Scriptor, frequenter satis *Angelorum apparitiones* fabulatur. Capite enim 5. v. 2. & 3. affirmat, *Accidisse per totam civitatem* [*Jerusalem*] *ferme ad quadraginta*

ginta dies, ut apparerent in aëre currentes equites auratos amictus habentes, & lanceis, turmæ ritu, armati; & turmæ equitum dispositæ, congressionesque factæ & incursiones utrorumque, & clypeorum agitationes, & spicula multa & tela conjecta, & aureorum ornamentorum splendores, & loricæ omnigenæ.

Si autem, mi Lector, hi equites non fuerunt ex *Angelorum bonorum* numero [supposita paulisper Historiæ hujus, seu narratiunculæ veritate] hi nunc sequentes tamen tales fuerunt; nempe *Angeli Boni* ac quasi *Tutelares*. Namque hanc, capite x. v. 29. & 30. nobis accinit fabellam: *Dum autem vehemens committebatur pugna, apparuerunt adversariis e cælo, insidentes equis frenatis auro, viri quique illustres; & duces Judæorum duo. Qui Macchabæum assumentes medium, & protegentes omni armaturâ, quæ super ipsos erat, integrum a vulneribus conservabant: in adversarios vero tela & jacula ejaculabantur. Quamobrem confusi cæcitate concidebant, & pleni pertubatione.*

Ejusmodi Angelus quoque fuerit eques ille [hic enim homo videtur nullos Angelos (phantasmata saltem) nisi sub militum armatorum forma somniasse] de quo cap. 11. v. 8. &c. sic loquitur: *Quum autem ibidem ad Hierusalem essent, apparuit antecedens ipsos eques veste albâ, armaturam auream commovens. Et simul omnes benedixerunt Deo misericordi, animisque confirmati sunt: adeo ut non solum homines, sed bestias etiam ferocissimas murosque ferreos parati impetere processerint; ordinibus suis adjutorem habentes e cælo, miserente ipsorum Domino.*

Ejusmodi sane fabellæ suspectas reddunt istas narratiunculas, quibus Flavius Josephus prodigia illa, quæ Exidium Hierosolymæ ac Templi præcessisse dicuntur, audacter satis describit; quasque inter Eruditos quamplurimi, ut Evangelicæ veritatis Historias secure, & absque ullo debito ejus-

ejusmodi narratis, examine, ex hoc Scriptore, seu potius auctore, producunt: ut de *Militum turmis in aëre conspectis, atque auditis;* de *Voce in Templo audito*, &c. quorum prius Ostentum φάσμα ἢ δαιμόνιον vocat.

At si vox δαίμων hîc *Deum* denotet [uti persæpe apud Gentiles, utque in hisce Callimachi, τοῦτακις ἔπεσε, δαίμον, ἀπ' ὀμφαλός] hincque δαιμόνιον pro *Divino* sit sumendum, certe a Deo hæc Signa atque Ostenta fuere producta. Sin vero pro Diabolico, *Diabolica* hæc [Supposita paulisper Historiolarum istarum veritate) fuere *portenta:* ac quæ de Jesu Anani filio ejusque insanis clamoribus & actionibus narrat, ostendunt potius (quamvis addat Josephus existimasse Judæorum proceres δαιμόνιον fuisse τὸ κίνημα τοῦ ἀνδρός) eum fuisse *Maniacum:* uti Albinus quoque, postquam vergis cæsus fuerat, judicavit. Malignitatis certe (licet artificiosè obtectæ) mihi hic Josephi locus suspectus est. Semper enim ille, ubi occasio datur loquendi de vero Christo nostro, quovis pisce mutior est; ubi vero occasio nascitur ipsius dicta aut facta ad alias personas detorquendi, studiosam in illa re navat operam. Sic (ex. gr.) ut Christi nostri assumptionem in cœlos obscuret, de Mose talia (licet plane contra S. Scripturam) narrat: ac, ne Hierosolymæ exitium ob Christi necem &c. credatur contigisse, Jacobi necem &c. producit ut istius causam: atque ut verum Jesum, ipsius nomen ex animis hominum deleret; aut impediret saltem ut in Græcorum animos, per Evangelica Scripta ipsius religio pervaderet, alium quendam Jesum eumque contra Jerusalem, clamantem, ac virgis cæsum in scenam protrudit. Verum latius de hac re alibi.

Mirabuntur forsan plurimi, me hunc Josephum alicubi posuisse inter semipaganos: verum qui attente apud ipsum legerit Historiam Elisæi (quæ legitur 2 Reg. cap. II. & ab hoc Josepho Belli Jud. lib. 4. c. XXVII. sat Tragice narratur)

atque

atque ibi contra textum Hebræum ritus paganicos ac pene Magicos confictos viderit, minus ea de re dubitabit: ac imprimis, si ibi legerit, *Elisæum* præter Salem, &c. τῇ πηγῇ σπονδὰς μειλικτηρίους infudisse, (libamina, scilicet, & placamenta:) si legerit porrò quæ de Revelatione Dei Alexandro Magno facta, habet lib. 3. cap. ult. Antiq. Jud. ac quæ lib. 18. cap. VIII. narrat de *Bubone* Agrippæ Imperium Judaicum primùm, ac postea mortem, præsignificante: quam avem & aliquis ex captivis Ethnicis *Deorum jussu apparuisse* affirmaverat, seu quod τὸ θεῖον τὸ ἐξαποστεῖλον τύπον τὸν ὄρνιν esset; qui & paulo ante appellaverat illud Ostentum προσαγόρευσιν τῶν θεῶν.

Hic tamen noster Josephus oblitus videtur istius Historiæ quam de Judæo Mossetano alibi narrat, ubi Gentilium superstitiones circa ejusmodi auspicia ipse deridet; uti & ignorasse plane, *Bubonem avem* nunquam inter *aves auspicatas*, bonive ominis, sed semper inter *mali ominis portenta* habitum fuisse: quod tamen a Romanis tot annis inter ipsos versatus perfacile addiscere potuerat. Hinc enim Virgilius lib. 4.

Solaque culminibus ferali carmine BUBO
Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.

Uti quoque Ovidius, Metamorphos. lib. 5.

Tristia mille locis Stygius dedit omina BUBO.

Unde quoque Josephi contemporaneus Plinius lib. X. c. 12. *Bubo funebris & maxime abominatus, publicis præcipue auspiciis, deserta incolit; nec tantùm desolata, sed dira etiam & inaccessa: noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu. Itaque in urbibus, aut omninò in luce* VISUS *dirum Ostentum est.*

Quæ id adhuc clarius ostendunt sunt illa quibus Vespasiano sordide, & aperte contra S. Scripturam, adulatur lib. VI. cap. 31. Belli Jud. ubi ita loquitur: Ἦν χρησμὸς ἀμφίβο-

λος [nullibi parcit vocibus circa Græcanicas ac Romanas superstitiones usitatis; uti & statim in voce λογίοις videbimus] ὁμοίως ἐν τοῖς ἱεροῖς εὑρημένον γράμμασιν, ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς χώρας τις αὐτῶν ἄρξαι τῆς οἰκουμένης. τοῦτο οἱ μὲν ὡς οἰκεῖον ἐξέλαβον, καὶ πολλοὶ τῶν σοφῶν ἐπλανήθησαν περὶ τὴν κρίσιν. [De Messia aut Christo nostro Jesu Nazareno nulla hîc mentio] ἐδήλου δὲ ἄμα τὴν περὶ Οὐεσπασιανοῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν, ἀποδειχθέντος ἐπὶ Ἰουδαίας αὐτοκράτορος. *Erat similiter Oraculum ambiguum inter Sacras repertum literas; quod* (nempe) *circa istud tempus aliquis ex ista ipsorum regione* [*prodiens*] *Orbi dominaretur. Istud alii quidem ut sibi proprium* [*ac promissum*] *accipiebant; ac multi ex Sapientibus circa illud errabant judicium. Namque Imperium Vespasiani, qui in Judæa Imperator factus fuit, istud Oraculum manifestabat.*

Ipsa tamen Sacra Scriptura [*Mich.* v. *v.* 2.] ita loquitur: *At tu Bethlehem Ephrata, minima ut sis in millibus Judæ; ex te mihi prodibit futurus dominator in Israele;* CUJUS EXORTUS INDE A PRINCIPIO, *a diebus seculi* (*sunt.*)

Quam maligne autem hanc Prophetiam [ne aut novisse aut agnovisse videretur verum Messiam, quem ubique dissimulat, famamque ipsius indirecte obscurare nititur] mutilet ac detorqueat in sensum plane S. Scripturæ scopo contrarium, ex nuda collatione verborum tum Josephi, tum ipsius Prophetæ *Michæ*, luce clarius patet: uti inde quoque quod tam Joannem Baptistam quam Jacobum Apostolum, in cœlum laudibus tollat; dum circa Jesum Nazarenum, verum nostrum Messiam, pisce mutior est.

Sed addamus hîc quoque quæ de alio λογίῳ, sive *Oraculo in Sacris literis invento*, non minori mendacio confingit; nempe *Urbem, uti & Templum, captum iri, siquando Templum factum fuisset quadratum.*

Et hic est ille Scriptor, qui nihil plane præter veritatem,

aut

aut quod testimoniis firmissimis non corroboret, se scribere audacter jactat: Ita enim loquitur lib. VIII. cap 2. Ταῦτα μὲν διεξῆλθον, βουλόμενος γνῶναι τοὺς ἐντευξομένους ὅτι μηδὲν ἔξω τῆς ἀληθείας λέγομεν, μηδὲ πιθανοῖς τισι καὶ πρὸς ἀπάτην καὶ τέρψιν ἐπαγωγοῖς τὴν ἱστορίαν διαλαμβάνοντες, τὴν μὲν ἐξέτασιν φεύγειν πειρώμεθα, πιστεύεσθαι δ᾽ εὐθὺς ἀξιοῦμεν. οὐδὲ συγκεχωρημένον ἡμῖν κατεξανισταμένοις τοῦ πρέποντος τῆς πραγματείας, ἀθῴοις ὑπάρχειν. ἀλλὰ μηδεμιᾶς ἀποδοχῆς τυγχάνειν παρακαλοῦντες, ἂν μὴ μετ᾽ ἀποδείξεως [NB.] καὶ τεκμηρίων ἰσχυρῶν ἐμφανίζειν δυνάμεθα τὴν ἀλήθειαν. *Ista quidem enarravi, ut sciant illi qui hæc legent, nos nihil præter veritatem dicere, nec suasoriis aliquibus verbis, auresque in fraudem demulcentibus abuti Existimantes; atque Historiam quidem proponentes, justum examen tamen defugientes, si fidem nobis haberi velimus. Quum si divagemur extra id quod decet, illud minime nobis impune futurum sit. Verum admonemus ne nobis ulla habeatur fides, si non firmis demonstrationibus atque indiciis ostendere queamus veritatem.*

Verum in iis quæ de prodigiis excidium Hierosolimæ prænotantibus tradit, eadem fere cum ipso Tacitus (ne de Suetonio quoque idem pene asseram) habet. Ita est sane; sed aut hic illius exscriptor est, (quod facile quivis odorari potest) aut ex aliis (quod tamen minus credo) Josephi similibus hausit. Prius magis verum est; eo quod Josephus & Græcè & Græcis scripserit ac Latinis, seu Romanis, qui pene omnes Græce noverant; ac Romæ Vespasiani Titi Domitiani, adeoque & Taciti tempore versatus, atque ut unus ex Judæorum magnatibus notissimus fuerit; cum ibi liber atque honoratus viveret, dum cæteri Judæi ferorum pecorum loco haberentur.

Ex ipsis Taciti verbis [Libro 5. Histor.] id melius perspiciemus; ut qui ita loquitur: *Evenerant prodigia. . ; ... visæ per cœlum concurrere acies, rutilantia arma, & subito nubium igne collucere Templum, expansæ repente delubri fores,*

 res,

res, & audita major humana vox, EXCEDERE DEOS, *simul ingens motus excedentium.* . . . . . PLURIBUS PERSUASIO INERAT, ANTIQUIS SACERDOTUM LITERIS CONTINERI, EA IPSO TEMPORE FORE, UT [NB.] VALESCERET ORIENS, PROFECTIQUE JUDÆA RERUM POTIRENTUR: QUÆ AMBAGES, VESPASIANUM ET TITUM PRÆDIXERAT. *Sed vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur.* verum, ut Josephus initio dixerat (unde Tacitus hæc posteriora quoque desumpsit) hic χρησμὸς ἀμφίβολος (ut ipse Prophetiam a se corruptam ac malignè detortam vocat, Tacitus ex ipso *ambages)* is erat, qui, inter alia, maxime illos ad istud bellum incitabat.

De *bove parturiente agnam* Tacitus (ut de fabella jam nimis vili ac detritâ inter Romanos) silet, ac de *Jesu Anani filio;* uti qui *Maniacos* ipsorumve verba vel actiones non inter portenta seu prodigia numerat.

I nunc & crede Josepho ubi (ut subinde facit) homines adhuc viventes suo tempore, imò ipsam S. Scripturam, in testimonium advocat!

Verum enim verò ex quanam Sacra Scripturâ habet, *Cainum* post fugam a Patre *Adamo*, (quo tempore, teste Josepho, ille solas metuebat feras) ac post multas terras oberratas, ipsum cum uxore urbem condidisse, liberos ibi tandem procreasse, vi ac rapinis rem domesticam adauxisse, ut voluptate ac deliciis corporis gauderet, omnesque alios homines qui ad ipsum affluebant, ad voluptates ac rapinas incitasse; ponderibus, mensuris atque agrorum terminis inventis Avaritiam, in mundum introduxisse; urbem denique propugnaculis muniisse, ac coegisse familiares ipsi & notos, ut eò commigrarent?

Ex quanam quoque S. Scripturæ libro hausit [nullos enim ipse nominat præter viginti & duos] Salomonem a Deo acce-

accepisse καὶ τῆς κατὰ τῶν δαιμόνων τέχνην εἰς ὠφέλειαν καὶ θεραπείαν τοῖς ἀνθρώποις (hæc ipsius verba sunt, post quæ pergit) ἐπῳδάς τε συνταξάμενος αἷς παρηγορεῖται τὰ νοσήματα, καὶ τρόπους ἐξορκώσεων κατέλιπεν, οἷς ἐνδούμενα τὰ δαιμόνια, ὡς μηκέτ' ἐπανελθεῖν ἐκδιώκουσι: καὶ αὕτη μέχρι νῦν παρ' ἡμῖν ἡ θεραπεία πλεῖστον ἰσχύει. (&c. quæ alibi adduco) *Artem contra Dæmones in auxilium ac medelam hominum, componentem* I N C A N T A T I O N E S *quibus mederetur morbis; ac modos* [*seu formulas*] *Incantandi reliquit, quibus illigata Dæmonia expelluntur ut nunquam revertantur. Et iste medendi modus nunc apud nos plurimum potest.*

Videmus hîc mi Lector (ac plura indicia hujus rei adducere possum, si & rerum tractatio, & tua patientia, id paterentur) ipsum, sicut & alibi personam & facta nostri salvatoris obscurare plane nititur, sic hic quoque istud tam grande, tam spectabile sane, miraculum *ejiciendi Dæmonas*, ac *curandi verbo* πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν, *omnem morbum atque omnem debilitatem*, ut vulgare, quotidianum ac præstigiatorum opus, quod nullus ex Judæis miretur valde, proponere: nisi quod *Salomon* id primus a Deo dedicerit.

Nec aliquid mali, in historia Sauli quæ in Endor contigit, de Ventriloquis seu ἐγγαστριμύθοις, dicit; tantum ait: τὸ γὰρ τῶν ἐγγαστριμύθων γένος ἀνάγοντες τῶν νεκρῶν ψυχὰς, δι' αὐτῶν προλέγει τοῖς δεομένοις τὰ συμβησόμενα. *Nam genus istud Ventriloquarum demortuorum animas reducens, per ipsas, iis qui eo indigent, quæ futura sunt prædicunt.*

Cæterum multis ac magnis laudibus mulierem hanc, prætensam Ventriloquam, usque ad cœlum evehit, ob pium ac beneficum animum in *Saulum*; ipsamque hinc reliquis mulieribus in exemplum proponit.

Condonemusne ipsi descriptionem, seu fabellam de *fluvio Sabbatico*, æquo Lectori considerandum relinquo. Narrat enim Lib. VII. cap. 13. Belli Judaici, quod ille

Πᾶς ἐκ τῶν πηγῶν διαλείπων, ἑξ ἡμερῶν ἀριθμὸν, ξηρὸν παραδίδωσιν ὁρᾶν τὸν τόπον. εἶθ' ὥσπερ οὐδεμιᾶς γενομένης μεταβολῆς, ὅμοιος κατὰ τὴν ἑβδόμην ἐκδίδωσι. *Totus a fontibus deficiens, sex diebus, siccum exhibeat oculis locum; posteaque quasi nulla facta mutatione, similis septimo die exoriatur.* At Plinius libro XXXI. cap. 2. ait: *In Judæa rivus Sabbatis omnibus siccatur.* Vide nunc quisnam hîc contemporaneorum magis veritatem dicat, aut potius magis strenue mentiatur.

Elias, tamen, *Levita* hîc non cum *Josepho* sed cum *Plinio* facit: ut qui nomen inde accepisse istum fluvium vult, מפני שביתתו בשבת *Quod in Sabbato is cesset;* Casaubonus ac Fullerus quidem σοφά τινα φάρμακα, excogitant, quibus *Josephum* idem, cum cæteris Judæis (nam non solus *El. Levita* ita loquitur) ac Plinio, sentire ostendant: Frustra tamen talia ex ingenio comminiscuntur, non emendant. Neque enim insolitum *Josepho* huic hujusmodi confingere fabellas; cum & audacter, præter ac contra exserta S. Scripturæ verba, ac frequenter nugamenta, (sæpe vanissima, ac ridicula quandoque,) confingat: quorum exempla statim aliquot videbimus. Interim aliqui inter Judæos, ut miraculum hoc prætensum in majus exaggerent, rapidissimum istud flumen faciunt, lapidesque & arenas vehementi impetu ac sonitu per sex septimanæ dies provolvere; ac dum septimo (Sabbati sc.) quiescit, ignem, per totum istud Sabbatum incensum in ripis ita transitum quoque impedire: ne nimirum aliquis ex Decem Tribibus eò devectis, per istud aliò transeat. Unde autem originem trahat, quasque vel Indiæ vel aliarum Regionum tractus pererret; legat Lector apud Eruditissimum Fullerum, qui ista salse, nec immeritò, ridet.

Ut vero ulterius videamus, quam secure acquiescere queamus Josephi hujus narratiunculis, ubi ipsa S. Scriptura silet: Is certe, ubi de Magis Pharaonis, quos sibi is Pharao contra

tra Mosen advocabat, loquitur, illos non *Diabolicis* super aut *præternaturalibus artibus*, verum *humanis præstigiis* atque *imposturis* usos fuisse, asserit: præterquam quod unicum tantum harum *imposturarum* exemplum afferat; ac quæ circa aquas in sanguinem convertendas, uti & circa ranas arte sua producendas, ex ipsorum parte acta fuerunt alto prætereat silentio: quæ tamen non prætereunt reliqui Judæi, qui, quod circa producendos pediculos præstigiæ ipsis defuerint, caussantur id factum eo, quod (vide Gemara Sanhedrin) Diabolus ulla animalia minora hordei grano creare nequeat.

Moses igitur, secundum nostrum Josephum, visis ipsorum in producendis Serpentibus præstigiis, *dicebat Pharaoni, se quidem illa non contemnere; sua tamen* [*Mosis*] *miracula tanto horum esse majora, quanto excellunt Divina præ humanis* [ὅσῳ τὰ θεῖα τῶν ἀνθρωπίνων διαφέρει] asserebatque se non per ejusmodi præstigias, verum per Divinam providentiam ac potestatem, sua esse peracturum.

Nulla igitur in tota hâc historia apparet *Dæmonum*, vel *Diabolorum*, ipsorumve *præstigiarum præter* aut *supernaturalium* mentio. Cum contra in *Saulem* (ex hujus Josephi sententia) *Dæmonia mala*, postquam Deus ipsum dereliquerat, irruebant, terroribus, suffocationibus & strangulationibus eum divexabant: quibus malis averruncandis David *Excantationibus* per Citharam, atque *Hymnos*, Saulis capiti superimminens, incumbebat: quum alias *Dæmonia mala* ipsius capiti insultarent, sicque misere eum affligerent: Ita enim Jonathan ad Patrem, dum pro Davide intercedit, ὅτε σοι τοῦ πονηροῦ πνεύματος καὶ τῶν δαιμονίων ἐγκαθεζομένων ταῦτα μὲν ἐξέβαλεν· εἰρήνην δ᾽ ἀπ᾽ αὐτῶν τῇ ψυχῇ σου παρέσχε. *Quando insidentibus tibi malo Spiritu ac Dæmonibus, illos quidem ejecit, animam vero tuam ab ipsis liberatam ac quietam reddidit.*

Sed,

Sed, quæso, mi Lector, num talia reperimus in ipsa Sacra Scriptura? Et tamen hunc *Saulem*, quem hic a Deo desertum *Diabolorumque*, seu *Dæmonum divexationibus* traditum asserit, eo loco, ubi de ipsius Nece per αὐτοχειρίαν loquitur, tot ac tantis laudibus in cœlum evehit, ut nullus Rex Codrus pro patria non timidus mori, nullusve Menæceus, altius apud Ethnicos extollantur. Saulem, dico, in cœlum laudibus effert, quod in summa rerum suarum desperatione, se suosque filios plane frustra perditum iret, imò sibimetipsi in quantum poterat, necem propriis manibus conscisceret, Interim sui, suorumve horum dictorum, uti videtur, plane oblitus, mortem ejusmodi αὐτόχειρον [libro 3. Belli Jud. cap. 25.] acriter reprehendit ac damnat: In qua re, ut alter [in Sophoclis OEdipo Tyranno] Creon, quod in aliis summe laudat atque approbat, in propria persona abominatur. Namque ibi non de *Saulis*, sed de ipsius *Flavii Josephi*, vita agebatur.

Accedat hisce exemplum ex Jonæ Historia ac Prophetia; de qua promittit se proditurum quæ in Sacris reperiuntur Scripturis: atque interim quasi fabulam narraret (quod pro parte quoque facit) ait, Τὸν δὲ λόγος, ὑπὸ τοῦ κήτους καταποθέντα τρεῖς ἡμέρας καὶ τοσαύτας νύκτας, εἰς τὸν εὔξεινον ἐκβρασθῆναι πόντον, ζῶντα καὶ μηδὲν τοῦ σώματος λελωβημένον. ἔνθα τοῦ θεοῦ δεηθεὶς, συγγνώμην αὐτῷ παρασχεῖν τῶν ἡμαρτημένων, ἀπῆλθεν εἰς τὴν νιναυὺ πόλιν. καὶ σταθεὶς ἐπήκοον ἐκήρυσσεν, ὡς μετ' ὀλίγον πάλιν ἀποβαλοῦσι τὴν ἀρχὴν τῆς Ἀσίας, καὶ ταῦτα δηλώσας ὑπέστρεψε. διεξῆλθον δὲ τὴν περὶ αὐτοῦ διήγησιν, ὡς εὗρον ἀναγεγραμμένην. *Hunc vero fert Historia, deglutitum a pisce, post tres dies totidemque noctes denuo ad Ponti Euxini littora ejectum, vivum ac nulla corporis parte læsum. Ubi a Deo deprecatus veniam delictorum, adiit Niniven urbem; atque ibi consistens unde audiri commode posset annuntiavit* UT POST BREVE TEMPUS RURSUS ASIÆ IMPERIUM AMITTERENT. *Quæ*

post-

poſtquam manifeſtaverat, inde revertebatur. Narro autem hanc de ipſo Hiſtoriam, uti eam conſcriptam reperi.

Itane Sacra Scriptura de *Ponto Euxino* loquitur? At quamvis de ipſo S. S. non loquatur, videamus, ex hoc Joſepho, quodnam iter tenuerit, quæque Maria pervectus fuerit ſic a piſce deglutitur Jonas. Non admodum procul a littore aberat cum exoriretur tempeſtas (uti ex verſu 13. patet) neque piſcis ipſum ad oras Ciliciæ aut Iſſicum ſinum, multo minus ad Syriæ aut Paleſtinæ littora, ejecit: verum (ſi huic credamus ſcriptori) circumvexit eum, ſi excogitemus iter maxime compendioſum, trans Cretam vel Carpathum ac Rhodum, per Sporadas inſulas & Cycladas; atque hinc inter Seſtum & Abydum, per Propontidem uſque in Pontum demum Euxinum, iter certe, ſi pedeſtre eſſet, ad minimum trecentorum milliarum Germanicorum, ſi ad initia Ponti Euxini ipſum ejeciſſet; atque ultra 400, ſi ad littora Ponti, unde, per Armeniam breviſſimum iter Niniven verſus eſt.

Conſideret nunc æquus Lector, an piſcis ille confictum illud, mendacio Joſephi, iter trium dierum totidemque noctium ſpatio emetiri potuerit; niſi hìc, extra ac præter naturam, nova confingere velimus miracula! Quibus æque fides adhibenda, quam iis quæ de Jonæ prædicatione loquitur; ipſum, ſcilicet, Ninevitis prædixiſſe, *quod Imperium Aſiæ iterum brevi amitterent*, atque ita inde reverſum fuiſſe.

Hæc igitur illa erant, quæ Deus ipſi dederat in Mandatis? longe aliter certe loquitur Sacra Scriptura; quam hìc Judaici populi Sacerdos legerat quidem, uti oſtendit, verum ſequi minime voluit. Et tamen addit διεξῆλθον δὲ τὴν περὶ αὐτοῦ διήγησιν ὡς εὗρον ἀναγεγραμμένην. *Narro autem hanc de ipſo Hiſtoriam, ſicut eam conſcriptam reperi.* Aſt ubinam? in S. Scriptura, id mendacium, aut in Scriptis Rab-

 bini-

binicis? æque commode ſic & addere potuiſſet, quæ illi de Jonæ cum Piſce colloquio, de occurſu Leviathanis, de Margarita in Piſcis ventre (ne in obſcuro degeret Jonas,) ſuſpensâ, inſulſe nimium nugantur: uti ex Pirke Eliezer (qui ad minimum contemporaneus huic Joſepho erat) pateſcit.

Hiſce gemina ſunt iſta quæ narrat de ſene illo Propheta, qui (1 Reg. cap. XIII.) mendaciis ſuis, ſub prætextu Divinæ revelationis, effecit, ut reverteretur atque ad ſe diverterit, Propheta ille, qui contra Altare in Bethel, ex mandato vere Divino, prophetaverat. Ita enim (omiſſis aliis quæ huic Hiſtoriæ præter & contra S. Scripturæ verba inſerit) Prophetam ſenem iſtum, ex æmulatione atque invidia, ne alter ille ipſi apud Regem auctoritate ac dignitate præferretur, loquentem inducit: *Et quid ita iſtius fatui turbatus es ſermonibus? illo vero* [*Rege*] *de altari & ſua ipſius manu referente, ac vere hominem Dei, vatemque optimum vocitante, cæpit hanc ejus opinionem malitioſe labefactare. Ajebat enim præ laſſitudine, ex nimio labore ferendis hoſtiis obriguiſſe, ac deinde poſt quietem priſtinum recuperaſſe vigorem. Altare quoque, quod adhuc novum & tot ac tantis victimis ferendis necdum aptum erat, diſruptum concidiſſe. Poſtremo vatis mortem indicat; a leone eſſe necatum: adeo nihil Divinum nec in vita nec in verbis fuiſſe. His dictis Regi perſuaſit, &c.* Verum ubi talia, aut talibus ſimilia reperiuntur in ipſa S. Scriptura?

Tandem, ne quis me fruſtra hunc Joſephum vocaſſe ſemipaganum exiſtimet, videat quæ lib. 4 cap. VIII. quaſi ex Lege Divina affert, dum inter Leges Moſaicas illa enumerat; *quod* nempe *in Deos alienos convicia jacere illicitum ſit.* Ita enim (majori cum emphaſi Græcè) ipſe loquitur: Βλασφημείτω δὲ μηδεὶς θεοὺς οὓς πόλεις ἄλλαι νομίζουσι. Μὴ συλᾶν ἱερὰ ξενικὰ, μηδ᾽ ἂν ἐπωνομασμένον ᾖ τινι τῷ θεῷ, κειμήλιον λαμβάνειν, *De Diis alienis nemo male loquatur (eosve conviciis oneret) Fana*

Fana externa non ſunt ſpolianda, vel donaria alicui Deo dicata ſurripienda. Hæc certè exſculpſit ex prætenſis iſtis, quos tanti facit 70 Interpretibus, qui habent: θεοὺς μὴ κακολογήσεις, *Judices* hîc plauſibili Metamorphoſei *in Deos transformans*, dum ulteriorem horum verborum explicationem maligne quoque transmutat. Namque ubi [NB] additur tam in textu Græco, quam in ipſo Hebræo, Samaritano ac vulgata, (Exod. 22. v. 28) & *Principi Populi tui* [Gr. Interpr. ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σοῦ] *non maledices*; quibuſcum concordant & Onaelos, & prætenſus Jonathan [qui Omnes nunc nominati, quod res ipſa clamat, אלהים hîc Judices vertunt] ille tamen impudenter ſubſtituit: *Fana externa non ſunt ſpolianda*, &c.

Tantamne Deus Opt. Max. qui tam Maxime Zelotes eſt proprii Honoris ac Gloriæ, honorem tribuit *Dis Externis*, ſeu *Dis Gentium*; quorum non ſolum cultum, verum & ritus qui eò aliquo modo ſpectare videbantur, pro crimine Idololatrico haberi volebat? quique ipſe per Prophetas illos ipſos *Deos Stercoreos* appellat & עצבים *Hæzevim* & אלילים *Elilim*; quorumque non tantum Idola, verum & Lucos & Templa demolienda ac comburenda mandat (in S. Scripturæ pluribus locis) cultuſque iis exhibitos appellat *abominationes*, denique ipſos Cultores internecioni devovet? iſne Deus, dico, illorum nomen prophanari vetuit, Templaque ac Donaria ipſis conſecrata immunia ab Iſraëlitarum injuriis voluit; idque, exſerte adeo, ut obſervarent mandavit? Certe hæc nullibi legimus in S. S. verum contraria plane præcepta & exempla: quorum poſtremorum plura ipſe hic Joſephus in libris ſuis adduxit. Adde quod & ipſi Ethnici *aliarum Gentium Deos* comburebant quandoque; uti ex 2. Reg. cap. XIX. v. 18. Eſai. cap. X. v. 10 & 11. aliiſque ex locis poteſt.

Et tamen iſtud tam mendax S. S. interpretamentum, ſeu potius in contrarium ſenſum detorſio, quo (uti & alibi) manifeſte falſarii crimen incurrit, tam vehementer ipſi placet

T 2

cet, ut id, sub finem secundi libri contra Apionem, hujusmodi verbis iteret: Καὶ πρόσγε τοῦ μήτε χλευάζειν μήτε βλασφημεῖν τοὺς νομιζομένους θεοὺς παρ' ἑτέροις ἄντικρυς ἡμῖν ὁ νομοθέτης ἀπείρηκεν, αὐτῆς ἕνεκα τῆς προσηγορίας τοῦ θεοῦ. *Et ut neque irridere neque blasphemare debeamus eos qui apud alias gentes pro Dis habentur*, Aperte *nobis Legislator interdixit*, Propter *ipsam appellationem, sive nomen Dei iis* (licet fuerit Crocodili, Cynocephali vel Priapi) vel ab inconsultis Ethnicis, vel malignis inpostoribus, Sacerdotibus, *attributum*.

Tam venerabile quippe *Dei* nomen Deus Opt. Max. voluit, ut & Gentilium Deos ludibrio haberi Israëlitis, Israëlitarum ille non solum, verum totius universi verus atque unicus Monarcha, perquam severe prohibere voluerit.

Nimirum ille qui tam fœde *Vespasianis* fuerat blanditus, ita omnes, in universum Ethnicos demereri voluit. O. Manifestam nimis & in Deum & in veram Religionem ipsius impietatem! Hoccine est Judaicum? hoccine Sacerdotem agere? qualem se fuisse (verè an falsò nescimus) perhibet hic tam apertus S. Scripturæ falsarius? an vero malitiose ac perverse in gratiam Ethnicorum ejus (S. S) & sensum & verba ipsa pervertere? Quæ de Messia per Prophetas fuerant prædicta sunt, ut Vespasiano applicat, jam paulò ante vidimus: quæ vero de *Mosis assumptione* (ut sic loquar) confingit, operæ prætium est ut hic adjungantur. Narrat igitur (lib. vi. cap. 8.) ut totus populus Israëliticus flendo ac dolendo ipsius abitum, eum usque ad montem concomitatus fuerit; utque, illis procul abesse jussis, ipse solum concomitantem ulterius Senatum, jam ascenso monte dimiserit; utque tandem remanens ibi solus eum Eleazare & Josuâ, dum adhuc [NB.] cùm ipsis loqueretur, nube subitò ipsum circumvolvente, in præcipitium quoddam abreptus disparuerit. Ubi ipsa Josephi verba sunt: νέφους ἀφνίδιον ὑπὲρ αὐτοῦ στάντος, ἀφανίζεται κατά τινος φάραγγος, &c. Et hic tamen

Scri-

Scriptor, cum alibi (uti ostendi) tum lib. x. cap. xi. de semetipso testatur: *Se Hebræorum solùm libros Græce reddidisse, cum ab initio promisisset, se nihil de suo additurum, nihil quoque detracturum.*

Si quis talia legerit in Josepho, mirum, permirum! Si fidem adhibeat iis quæ de Sibylla, de Abrahamo Ægyptios & Religionem & Artes Mathematicas atque Astronomicas docente; de Adami Prophetia, deque aliis pluribus non melioris notæ dolose, temere ac maligne, libris suis Historicis immiscuit.

CAP. VIII.

De igne Sacro *per* LXX. *annos sub terris conservato &c. de* Lemuribus *ac* spectris *ex Macchab lib.* 2. *&c. hinc ulterior progressus ad Librum Sapientiæ, ac* Phantasmata *&* μορμολυκεῖα *in eo inventa: post quæ Tobiæ Historia perpenditur: de textibus ejus ac versionibus admodum inter se discrepantibus: Franc. Junii de hac fabula Judicium: de* Asmodeo *Saræ Zelotypo amatore; de* Angelo *Tobiam artes Magicas docente, ad fugandos malos Dæmonas; de* Dæmoniis *in Ægypto habitantibus; de* pisce *ab hoc Tobia capta; de corde ejus ac felle &c.*

VErum ut tandem redeamus ad *Apocrypha*, atque adeo ad Macchabæorum librum (uti vulgo numeratur) secundum; ejus Auctor (præter modò allata exempla de *Apparitionibus* seu *Spectris armatorum Militum in aëre visis*) etiam per alia insulsè conficta Miracula semetipsum satis prodit.

Exemplo sit istud figmentum Judaicum, quod affert in ipso cap. I. v. 19. &c. hoc modo: *Nam cum in Persidem*

ducerentur Patres nostri, Sacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari, occultè absconderunt in valle ubi erat puteus altus & siccus; & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset is locus. Cum autem præteriissent anni multi & placuit Deo, ut mitteretur Nehemias a Rege Persidis, nepotesque Sacerdotum eorum qui absconderant, misit ad requirendum ignem; & sicut narraverunt nobis [*etiam huic commento non desunt testes*] *non invenerunt ignem, sed aquam crassam. Et Jussit eos Haurire & afferre sibi: & Sacrificia quæ imposita erant jussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsâ aquâ, & ligna quæ erant superimposita. Utque hoc factum est, & tempus affuit quo Sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. Orationem autem faciebant omnes Sacerdotes. . . . . Cum autem consumptum esset Sacrificium & risidua aqua, jussit Nehemias lapides majores perfundi. Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est: sed & ex lumine quod refulsit ab altari consumpta est. Ut vero manifestata est res, renuntiatum est Regi Persarum quod in loco quo absconditerant hi qui translati fuerant Sacerdotes, aqua apparuit: de qua Nehemias, & qui cum eo erant purificaverunt Sacrificia. Considerans autem Rex rem & diligenter examinans, fecit ei Templum* [Græca sunt, περιφράξας δὲ ὁ βασιλεὺς ἱερὸν ἐποίησε, quasi dicas, *Sepimine consecravit*] *ut probaret quod factum erat. Et cum probasset,* SACERDOTIBUS DONAVIT MULTA BONA, *& alia atque alia Munera, & accipiens* MANU SUA *tribuebat eis.* [Itane & ipse eò præsens advenerat?] *Appellavit autem Nehemias hunc locum Nephtar, quod versione redditur Purificatio: vocatur autem apud plures Nephi* [i. e. *Græcè* Νεφθαεὶ.]

Quæ in fabella hac ut falsa & absurda sunt animadvertenda; sunt I°. *Ignis* ille in puteo ejusmodi, qualis ibi describitur, absconsus & a primo Captivitatis initio usque ad Missionem

ſionem Nehemiæ, poſt Judæorum reditum in Palæſtinam ſervatus. Hic aliquis ſibi poſſet imaginari ignem iſtum conſervatum (per ſecula aliquot flamma perdurante) in lampadibus Sepulchralibus, quas Licetus aliique, diverſis in locis Italiæ repertas crediderunt, aut potius confinxerunt; quæque a Celeberrimo Fabretti, imò & aliis ante eum, plane extinctæ ſunt. Quin & flamma harum lampadum tamdiu perdurans naturalibus deputatur cauſis; hîc vero (uti volunt) miraculum intercuerit: cui ne id nimis ſolitarie ambularet, 2°. fuit adjunctum, quod ibi *aqua*, non *ignis*, ſit inventa: verum ejuſmodi aqua, quæ accedente ſolis fulgore, ſponte ſua accenſa, atque ita in ignem, nova quadam Metamorphoſi, converſa fuit.

Frequens admodum eſt, in Græcorum ac Latinorum libris, ignis e cœlo ad altaria delapſus, vel ſponte, Dis ita annuentibus (uti Gentiles loquebantur) accenſus.

Sic finxerunt id (qui pene omnia confingunt) Poëtæ; ſic tradunt nobis Mythologi, atque iſtius generis Hiſtorici, qui vel Patriæ honorandæ per talia cauſâ, vel aliter: ſive libidine mentiendi, ſive pretio inducti aliorum res geſtas adornare, eorumque ſanctimoniam extollere annifi ſunt. Horum ex numero ſunt Pauſanias, in Eliacis (qui tamen talia carminibus Magicis tribuit,) Valerius Maximus; Dionyſius Halicarnaſſæus, plus ſemel; ita etiam Plinius ſecundus, imprimis ubi de Ignium miraculis agit; nec non & Servius Honoratus, *ad hæc Virgilii verba:*

Qui fœdera fulmine ſanxit.

Ubi ille habet: *Apud Majores aræ non incendebantur* [fides ſit penes poëtas ac Mythologos!] *ſed ignem Divinum precibus eliciebant qui incendebat altaria.* Verum a quonam tempore, ſic vocatus licet, Jupiter id efficere deſiit? Quamvis igitur [ne de Tulliâ Ciceronis uxore hîc aliquid ad-

addam] Virgilius modo allatus, Eclogâ 8 canat: *Aſpice corripiunt tremulis altaria flammis Sponte ſuâ (dum ferre moror) cinis ipſe*; Horatius tamen auctoritatis, circa Hiſtorias Poëticas, æque magnæ quam Virgilius, longe aliter, atque hoc modo.

Dehinc Gnatia lymphis
Iratis, extructa dedit riſuſque jocoſque:
Dum flamma ſine, thura liqueſcere limine Sacro
Perſuadere cupit, credat Judæus Apella.

Hæc quæ Ethnici adducunt, certe, magnifica ac Miraculoſa videri quæant. Aſt hoc auctore ex aqua hauſtâ flamma erumpit. Attamen, ne nimium hîc ſe jactent ejuſmodi fabularum patroni, ſciant hoc commentum nimis ridiculum videri debuiſſe tum cæteris Chaldæis ac Perſis, tum & ipſi Perſarum Regi: cum Bitumen tum ſiccum tum iſtud liquidum, quod *Naphtha* dicitur, apud ipſos Babylonios naſceretur: uti Strabo, non futilis auctor, verum magnæ auctoritatis, & Plinius & alii teſtantur.

Strabo ejus (ſub initium libri 16.) hoc modo meminit: Τὴν δὲ ὑγρὰν ἣν Νάφθαν καλοῦσιν, παράδοξαν ἔχειν συμβαίνει τὴν φύσιν. προσαφθεὶς γὰρ ὁ Νάφθας πυρὶ πλησίον, ἀναρπάζει τὸ πῦρ, κἂν ἐπιχρίσας αὐτῷ σῶμα προσαγάγῃς φλέγεται. σβέσαι δὲ ὕδατι οὐχ οἷόν τε. ἐκκαίεται γὰρ μᾶλλον, πλὴν εἰ πάνυ πολλῷ. ἀλλὰ πηλῷ καὶ ὄξει, καὶ στυπτηρίᾳ, καὶ ἰξῷ πνιγέντα σβέννυται. Πείρας δὲ χάριν φασὶν Ἀλέξανδρον ἐν λουτρῷ περιχέαι παιδὶ τοῦ Ναφθα, καὶ προσαγαγεῖν λύχνον. φλεγόμενον δὲ καὶ τὸν παῖδα, ἐγγὺς ἐλθεῖν τοῦ ἀπολέσθαι, πλὴν πολλῷ σφόδρα καταντλοῦντες τῷ ὕδατι, ἐξίσχυσαν καὶ διέσωσαν οἱ περιεστῶτες. *Liquidi Bituminis quod Naphtam vocant admirabilis eſt natura. Nam igni admotum eum corripit; & ſi corpus eo illitum igni admoveris, deflagrat. nec aquâ ullo modo extingui poteſt: ſed magis etiam exardeſcit, niſi valde multum ſuper infuderis. cœno verò, & aceto & alumine &*

Viſco

viſco oppreſſum exſtinguitur. Alexandrum tradunt, ut experimento rem cognoſceret, puero cuidam in balneo Naphtam illeviſſe ac lucernam admoviſſe, puerumque pene deflagraſſe: circumſtantes vero multa admodum aquâ flammas deviciſſe, ac puerum ſervaſſe.

Noſter Auctor ſciebat quidem, Judæos, inter aut ad quos (quaſi Sacer Scriba) ſcribebat, ex ipſa Babylonia eſſe reduces: at cum ſimul ſciret eos & dudum inde reverſos, & ſimul admodum ſuperſtitioſos ac credulos, *interritus ſimul & audax, relatione, verbis* [Fr. Junii verbis hîc utor] *ab omni lege diſcedens Hiſtoriæ judicia ſua intempeſtiva apponens paſſim & nonnunquam etiam præter fidei ſanctæ Analogiam*; hic, dico, eo impudentiæ proceſſit, ut tam nugacibus figmentis lactare autus ſit ſuos Judæos. Unde etiam non veretur affirmare, ipſum Perſarum regem, ejuſmodi miraculis permotum (poſtquam ipſi illa fuerant enarrata) locum iſtum ut Sacro Sanctum circumſepſiſſe, *Templumque* ei (ſi vulgatam ſequamur verſionem) ſuperædificaſſe: ut ita cunctis innoteſceret hominibus, hæc ſibi (Regi) fuiſſe credita ac probata. Græca tamen verba non tam *Templum* quam *Delubrum* denotant; quod, teſte Varrone, eſt in quo præter ædem ſit Area aſſumpta Deûm cauſâ: quo mihi reſpicere videtur Vergilius, dum libro 4 Æneid. canit:

> *Principio delubra adeunt pacemque per aras*
> *Exquirunt.*

Fuerit tamen ἕρκος ἱερὸν, *Septum Sacrum* quod aut Aram apud Veteres, aut (ſi non illam) ſaltem Aream Sacram, ſeu locum Diis conſecratum, circumſepiebat; quo ſenſu Sophocles, Trachin: Μήδ' ὄχεται νιν μήτε φέγγος ἡλίου, Μήδ' ἕρκος ἱερὸν, μητ' ἐφέστιον σέλας. Quem qualemve locum vocaret Apulejus, *locum vel colliculum Sepimine conſecratum.* Certè ſi fuerit *Templum*, non alii Deo quam Soli id fuit

consecratum : tum quod a Persarum Rege [supposita hic iterum Historiæ veritate] qui Solis cultui, ut Summi Dei, studebat (ista enim Persarum præcipua religio) tum quod Persæ hinc essent quoque Ignicolæ, ignemque perpetuo servarent in Altaribus suis, Sacrificiaque ipsi quotidie Sacrificarent : uti ex Strabone, Ammiano Marcellino, aliisque scriptoribus Ethnicis, imò & ex Patribus, seu prioribus Historiæ Ecclesiasticæ scriptoribus, discimus. Hinc enim Socrates, lib. VII. cap. VIII. de *Marutha* talia narrat : Βουλεύονται οὖν ἀπάτην οἱ Μάγοι· καὶ ἐπειδὴ οἱ Πέρσαι τὸ πῦρ σέβουσιν, εἰώθει δὲ ὁ βασιλεὺς ἐν οἴκῳ τινὶ τὸ διηνεκῶς καιόμενον πῦρ προσκυνεῖν, ὑπὸ τὴν γῆν κατακρύψαντες ἄνθρωπον καθ' ὃν εἰώθει καιρὸν ὁ βασιλεὺς εὔχεσθαι, παρεσκεύασαν [hic aliquid deest, aut locus in mendo cubat] ἀναφθέγγεσθαι, ἔξω βάλλεσθαι δεῖν τὸν βασιλέα· ἠσεβηκέναι γὰρ ὅτι τὸν τῶν χριστιανῶν ἱερέα νομίζῃ θεοφιλῆ. Ταῦτα ἀκούσας ὁ Ισδιγέρδης, τοῦτο γὰρ ὄνομα τῷ Περσῶν βασιλεῖ, αἰδούμενος μὲν, ἀποπέμπεσθαι δ' οὖν ὅμως τὸν Μαρουθᾶν ἐβούλετο. Μαρουθᾶς δὲ ἀληθῶς θεοφιλὴς ἄνθρωπος, εὐχαῖς προσέκειτο δι' ὧν εὑρίσκει τὸν παρὰ τῶν μάγων γενόμενον δόλον. τῷ οὖν βασιλεῖ, μὴ παίζου, ἔφη, βασιλεῦ, ἀλλ' εἰσελθὼν ὅτε τῆς φωνῆς ἀκούσεις, ὀρύξας τὸν δόλον εὑρήσεις. οὐ γὰρ τὸ πῦρ φθέγγεται, ἀλλ' ἀνθρώπων κατασκευὴ τοῦτο ποιεῖ. πείθεται τῷ Μαρουθᾷ ὁ Περσῶν βασιλεὺς, καὶ αὖθις εἰσῄει εἰς τὸν οἰκίσκον ὅπου ἦν τὸ ἄσβεστον πῦρ. ἐπειδὴ δὲ αὖθις ἀκούει τῆς αὐτῆς φωνῆς, ὀρύττεσθαι τὸν τόπον ἐκέλευε. καὶ ὁ προσπέμπων τὴν νομισθεῖσαν θεοῦ φωνὴν ἐξελέγχετο. &c. *Ob hanc ergo causam* [curatum a Marutha Regem] *moliti sunt quandam Magi fallaciam. Et quoniam Persæ ignem colunt, consuevitque Rex in quadam domo ignem ardentem suppliciter adorare; Magi sub terra hominem quendam abscondentes, tempore quo Rex solebat adorare, eum talia clamare fecerunt: Mitte foras Regem : impie enim agit, quod Sacerdotem Christianorum judicat esse venerandum. Hæc audiens Isdigerdes Persarum Rex. licet reverentiam haberet, tamen Marutham abjicere cogitabat. Porro Maruthas vere Deo venerabilis ho-*

homo, vacabat orationibus, per quas invenit dolum Magicis artibus fabricatum. Veniensque ad Regem: Noli, inquit, illudi Rex, sed ingressus cum audieris vocem fodi jube, & doli causas invenies. Non enim ignis loquitur, sed hominum Molimina id efficiunt. Hoc dicto flexus est Persarum Rex; & rursus ingressus ubi ignis inextinguibilis servabatur; cumque rursus audisset eandem vocem, jussit fodi locum. Tum qui Mittebat quasi Divinam vocem, inventus arguitur. Iratus itaque Rex, &c. verum rursus ad Scriptorem redeamus Macchabæorum.

Si autem (dum interim minime constat Regem ullum Persarum, licet in Judæos quantumvis beneficum, ad ipsorum transiisse Religionem) hoc Templum, sive Soli, sive Vulcano, sive cuicunque demum Divinitati (vel sub quocunque, tandem nomine venienti) consecratum fuit; tecum reputes, mi Lector, quonam modo quibus conditionibus, quove demum Divino permissu, id Judæi suum intra territorium permiserint: cum ob Idololatriæ, verum læsæ Majestatis, ac quidem Divinæ, crimen, tam nuper adhuc, ex propriis sedibus expulsi, ac captivi in Babyloniam transvecti fuissent, neque adhuc ab omni parte liberi evasissent, viverentque adhuc eo tempore præter Nehemiam & alii scribæ (quin etiam Prophetæ nonnulli) qui satis conscii causarum ob quas talia per 70 annos perpessi fuerant, quotidie populum monebant; atque eo non contenti ipsum & ab uxoribus alieno, seu Gentilium cultui deditis; imò & ab istis quæ tantum alienigenæ erant (ne quid Idololatricum denuo in Gentem hanc Judaicam irreperet) separabant.

Mirum quoque imò permirum est, talium ac tantorum Miraculorum neque Nehemiam (quod quidem maxime opportuerat) neque Fl. Josephum, ullibi in Scriptis suis meminisse; cum res longe minoris ponderis nobis narrent, ac

præsertim Josephus, qui præterquam quod sit laudum suæ Gentis egregius buccinator, ita sicut cæteri Judæi, quam maxime fabulis gaudet, ac minime parcus nugarum narrator est; uti tum ex præcedentibus, tum ex aliis adhuc in medium producendis, clare patescit.

Hoc tamen minime tacendum erat, tantum Persarum Regem, derelicto regni sui sede (ut clare in versione Syriaca exprimitur) properasse in Palestinam, ut ibi ipse locum conspiceret, in quo talia Miracula contigerant; Templumque ibi dedicasse; uti & quam maxime enarrandum, cui Deo, ac quibus modis, id dedicaverit.

Talia certe narrata mihi in mentem revocant fabellam istam quam Plurarchus de Magno Pane mortuo, Tiberiique super ea re anxietate narrat; ut quæ huic narratiunculæ sat similia sint.

Nunc tempus postulat ut denuo redeamus ad *Lemures* ac *spectra*, & ut producamus ista μορμολυκεῖα quæ in (insipienti quam maxime hâc in parte) libro *Sapientiæ*, ejusque adeo cap. XVII. versibus tam 3 ac 4. quam 15. continentur: ista vero ita sonant: Λανθάνειν γὰρ νομίζοντες ἐπὶ κρυφαίοις ἁμαρτήμασιν, ἀφεγγεῖ λήθης παρακαλύμματι ἐσκοπίσθησαν [Codex Alexandrinus; ἐσκοτίσθησαν] θαμβούμενοι δεινῶς, καὶ ἰνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι. Οὐδὲ γὰρ κατέχων αὐτοὺς μυχὸς ἀφόβως [Alex. μῦθος ἀφόβους] διεφύλασσεν. ἦχοι δὲ καταρράσσοντες [forte legendum καὶ παράσσοντες vel καταταράσσοντες] αὐτοὺς περιεκόμπουν, καὶ φάσματα ἀμειδῆ τοῖς κατηφέσι προσώποις [alii ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις] ἐφανίζετο. ubi Vulgata quidem reddit. *Et dum putant se latere in obscuris peccatis tenebroso oblivionis velo, dispersi sunt paventes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati. Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat; quoniam sonitus descendens perturbabat illos & personæ tristes* [alii *Larvæque tristi aspectu truces*, quod melius] apparentes *Pavorem illis præstabant*. Ubi

ta-

tamen longe melius recentiores reddunt verba illa ἰνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι, *ſpectris conturbati.* atque iſta φάσματα ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις, *ſpectra triſtia Mæſtis vultibus.*

Namque ejuſmodi *ſpectra ipſorumque prodigia* rurſus comparent verſu 12. Τὰ μὲν τέρασιν ἠλαύνοντο φαντασμάτων &c. *Partim exagitabantur Monſtris Phantaſmatum*, ſeu *Oſtentis, portentis vel prodigiis ſpectrorum exagitabantur.*

Non verò mirum ipſum ita fuiſſe locutum, cum & *Magicas* ſomniet *illuſiones* v. 7. & ſequentibus. ubi tamen ſucceſſus pene æque ridiculus, nobis narratur.

Verum enim vero an non Magicis artibus ſimilia, inter Judæos veram religionem profeſſos, imò ipſos Angelos in hac re illis Doctores, reperiemus, nunc videndum eſt; dum *Tobiæ librum* paulo ſeveriori examini ſubjicimus.

Inter Judæos extabat iſte liber Hieronymi tempore Chaldaicè quoque conſcriptus: quem ideo ex lingua Chaldaica in Latinam hic Hieronymus, parum admodum, uti ipſe fatet, Chaldaicæ linguæ, ſed ſolum Hebraicæ callens, verum nactus Judæorum quendam utriuſque (tum Hebraicæ tum Chaldaicæ) linguæ peritum, ipſiuſque in eo auxilio uſus, tranſtulit; *ac quicquid ille ipſi* [Hieronymo, cujus propriis hìc utor verbis] *Hebraicis verbis expreſſit*, *hoc* (Hieronymus) *accito notario Sermonibus Latinis expoſuit.* Hebræi tamen hunc librum (ita tradente hoc eodem, Hieronymo) *de catalogo Divinarum ſcripturarum ſecantes, his quæ Apocrypha memorant* [*Apocrypha* hìc ſecure ſcribendum eſt, ac minime *Hagiographa*, uti ex aliis clare admodum doceri poteſt] *manciparunt.*

Præter hanc tamen verſionem ab Hieronymo adornatam extat duplex adhuc contextus Hebraicus, immane uterque diſtans tum ab invicem, tum a verſione Latina, quam Hieronymus nobis ex Chaldaico dedit; tum maxime a verſione

 Græ-

Græca, atque a Syriaca in Bibliis polyglottis memoratis jam versionibus superadita.

Quinam verò textus aut versio præferenda sit, difficulter hic quis judicare posset: neque usque adèo multum refert, quis aut qualis præferatur; in Historia tam fabulosa, tam insulsa, atque a Judæis seu Chaldææ habitatoribus, seu Chaldaicæ originis, adeoque & sectæ Pharisaicæ (quæ, quod mihi certo certius est, Saduceismo prior fuit, ac per talia, illisque similia, posteriori sectæ nascendi occasionem dedit) procusa ac divulgata.

Invenimus interim hîc diabolum *Asmodæum* non tantum, verum & eundem Diabolorum Principem ac Regem; prout ipsum textus Hebraicus a Munstero editus appellitat. Quem enim textus Hebr. a Fagio editus simpliciter vocat אשמדאי *Asmodæum* illum Munsteri textus identidem vocat, אשמדאי מלך השדים Asmodæum *Regem Demonum* seu *Diabolorum*; uti & ex cap. VI. v. 51. patet: ubi Græcus Interpres, non contentus iis quæ uterque Hebræus ibi afferunt, de suo, liberali mensura, superadit; ὅτι δαιμόνιον φιλεῖ αὐτήν, *quod Dæmonium ipsam amet.* respiciens forsam ad Geneseos caput sextum, idque Diabolo sic quoque applicans.

Latinus interim ac Græcus quamvis subinde non minus nugentur quam uterque Hebræus; (nam qualis sit iste textus Hebræus, quam præter Fagii ac Munsteri Editiones, manuscriptum sese habere asseverat celeberrimus P. D. Huëtius, judicare non possim, quod ista adhuc lateat intra privatos parietes) sic simplicius, ac quod contextui a Fagio edito magis respondet habent, prior v. 3. c. 7. *Dæmonium nomine Asmodæii;* posterior, Ἀσμοδαῖος τὸ πονηρὸν δαιμόνιον. *Dæmonium malum nomine Asmodæus*, seu *Asmodæus malum Dæmonium.*

Ut autem in textui Munsteri *Raphaël princeps & præses sanitatum;* (quod cæteri Hebr. Lat. ac Syrus ita non habent) sic rursus in textu Græco (qui absurde nimium ac ri-

ridicule a quibusdam 70 Interpretibus adscribitur) *Mittitur gloria magni Rhaphaëlis ad sanandum duos, ipsius Tobiæ desquaminare albugines, & Saram filiam Rhagues dare Tobiæ filio Tobith uxorem, &* [NB] LIGARE ASMODÆUM MALUM DÆMONIUM; *quod ad Tobiam pertineret hæreditare eam.*

Exauditæ scilicet erant utrorumque preces coram gloria magni Raphaël. ita enim textus Græcus: Καὶ εἰσηκούσθη προσευχὴ ἀμφοτέρων ἐνώπιον τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Ῥαφαὴλ, καὶ ἀπεστάλη ἰάσασθαι τοὺς δύο, τοῦ Τωβὶτ λεπίσαι τὰ λευκώματα, καὶ Σάῤῥαν τὴν τοῦ Ῥαγουὴλ δοῦναι Τωβίᾳ τῷ υἱῷ Τωβὶτ γυναῖκα, καὶ δῆσαι Ἀσμόδαιον τὸ πονηρὸν δαιμόνιον, διότι Τωβίᾳ ἐπιβάλλει κληρονομῆσαι αὐτήν.

Ad hæc celeberrimus Fr. Junius, summus ille, ac, si quis alius, cordatus Theologus, sequentia annotat: *Hoc nomen* Hebræorum [Raphaël] *nihil aliud sonat quam curatorem Dei fortis, i. e. a Deo forti missum. Quod nomen in Canonicis Scripturis extare non meminimus de Angelo dictum; in Judæorum vero commentariis plurimum. Quamobrem Historiam quam de* REPHAELIS *curatione dicitur, tantidem facimus, quam Amatorios illos furores* ASCHMODDEI. De quibus Diaboli amoribus adhuc inferius loquendi dabitur locus.

Notatu quoque dignissima sunt illa quæ idem hic Junius, ad cap. XII. versum 15 hujusce fabulosæ Historiæ, notat: ubi prætensus ille Angelus ait; *Ego sum Rephaël, unus ex septem Angelis Sanctis, qui referunt preces sanctorum, & egrediuntur coram gloria Sancti. Si unus hic locus extaret ad revincendam libri istius impuritatem, mihi quidem satis futurus esset; nihil enim profecto in toto orbe terrarum Magicum dici potest, aut hoc ex principiis magiæ petitum est. Quorum doctores primarii ex India & Bactriana profecti, cum Judæis suum virus communicaverunt. Nam statuunt illi, Angelos horarios, diarios, & alios cœli regionibus attri-*

tributos, principes, Ministros, &c. Ex quibus Zoroastres Bactrianus, Menastor Indus, & alii scelerum concinnatores suas Magiæ observationes elaboraverunt. Atque hoc quidem vitio Judæos fuisse non mediocriter inquinatos, ostendit Epiphanius tomo (sui Panarii) ubi de Pharisæis agit; & ipsorum quoque libri, diurnæque observationes testantur, quibus diem Solis Rephaeli, *diem Lunæ* Gabrieli, *diem Martis* Sammaeli, *diem Mercurii* Michaeli, *diem Jovis* Izidkieli, *diem Veneris* Hanaeli, *diem Sabbathi* Kepharjeli *tribuunt, eosque dominos statuunt totius administrationis in diem illum necessariæ. Quamobrem ita statuimus, qui ex hoc libro veritatem petunt, aut se confirmaturos putant, eos perinde facere atque si molem gravissimam statuminare velint arundine.*

Quæ de Auctore hujus libri a quibusdam Interpretibus, a Castellione, Huetio aliisque dicuntur certe magnifica sunt; imò hunc librum hi pene ad Canonicorum Dignitatem atque auctoritatem extollunt. Verum aliter longe de ipso loquuntur alii, atque inter ipsos Interpretetes Belgici auctores editionis eximiæ istius, ex mandato D. D. Præfect. Ordin. Generalium procuratæ; & Celeberrimus merito suo D. Franciscuum Junius, modo adductus.

Priores modo nominati, mendacii hunc librum, ac superstitionis Magicæ ex Chaldæismo petitæ convincunt: adeoque & illum pro mero habent figmento. Franc. Junius (præter ista quæ modo adducta fuere) in Præfatione ad Apocrypha, ait: *Tobiti liber varius est: Chaldæus venit in manus Hieronymi, qui desideratur memoria nostra: Hebræi extant duo sed* [NB] *exercititionis gratiâ confecti, si quid in Hebræo sermone possum judicare: Græcus liber, si finem exceperis, auctore Tobito inscribitur. Certe in Chaldæâ, Assyriàce scriptus est, idque (opinor) Chaldaicè ab homine pio quidem, sed eruditione mediocri* Et Non Paucis

[NB]

[NB] EX DEPORTATIONE TENEBRIS OBRUTO; *quibus hoc quoque ſcriptum offunditur.*

Sic ſuper verbis v. 9. cap. VI. *Dixit ei, cor & Hepar iſtud, ſi quem turbet Dæmonium aut Spiritus malus, &c.* idem Fr. Junius: *Conſilium non Divinum aut Cæleſte, ſed plane Magicum; ut partim doctrina Democriti Magi, quæ apud Plinium habetur, partimque impura Judæorum traditione poſſumus confirmare, qui harum nugarum Doctores ſunt aliis, & inter ſe quoque Exercitores ſuperſtitioſiſſimi, ut ipſorum libri uſuales (ut ita vocem) oſtendunt. Quamobrem, cum argumento hoc, tum multis aliis adducor, ut Judæum aliquem Rhapſodum fuiſſe hujus libri conſarcinatorem putem.*

Neque hoc ulli mirum videbitur, ſi conſideret I°. Judæorum *Aſmodæum*, ſeu Diabolorum principem, qui & *Sammael* ipſis appellatur; quique ambo ex Chaldæorum Regionibus reportati, inque Rabbinorum ſcrinia reconditi ſunt: unde non adeo poſteris temporibus Synagogæ deprompti fuere, plebique Judaicæ obtruſi. II°. Hunc Aſmodæum *amore furentem jam ſeptem viros Saræ deſponſatos interimiſſe;* neque ideo minus ſecure Raguelem filiam ſuam ſummi Amici filio deſponſaſſe, nuptias confeciſſe, atque ut etiam novum hunc generum ſepiliret alacriter ſurrexiſſe: quaſi res aut caſus iſte ad ſe non uſque adeo pertineret, niſi in quantum opus aliquod pium, ac ſolitum ſibi, perageret, ſepeliendo mormortuos.

Itane Diabolus amat mulieres, ſibique in amore adverſos perimere poteſt? De filiis Dei talia quidem cogitarunt ex Geneſ. cap. VI. v. 1. &c. veteres Chriſtiani: aſt nemo, quod ſciam, de Diabolis, niſi poſtquam opiniones illæ de Diabolis ſeu Dæmonibus Incubis & Succubis irrupere inter Chriſtianum vulgus magis ſuperſtitioſum. Quam bene interim Judæorum ejuſmodi Fabellæ inter ſe cohæreant clareſcit ex

illo, quod *Sammaëlem* & *Asmodæum* pro uno eodemque *Diabolo*, *Diabolorumque principe* habeant; *Sammaëlem* tamen fuisse statuant illum qui Evam seduxit, eumque adeo ante Adamum atque Evam creatum; cum *Asmodæus* matrem habuerit *Nahemam* Sororem Tubalkain [Teste Eliâ Levita, in Lexico suo] ex qua quoque plures alii *Dæmones* procreti fuerint; nec desint alii Rabbini, qui hanc *Nahemam* putent uxorem fuisse *Noë*. Quam bene vero hæc conveniant & in unâ sede morentur judicet Lector non nimium Judaicis fabulis deditus.

III. Angelum, ac quidem unum ex illis septem *Angelis Sanctis*, qui *referunt preces Sanctorum* &c. Artes Magicas docuisse Tobiam, adeoque per ipsos Angelos Deum Opt. Max. non fecisse vera miracula, verum exercuisse Miracula Magica: quasi (quod horrendum cogitatu, nedum dictu) post missos olim veros prophetas eorumque Miracula vere Divina, ad pios sibi credentes, tum cæperit mittere Angelos suos ut docerent ipsos artes Magicas: quæ artes, qualescunque demum fuerint, nullis unquam Spiritibus, præterquam Dæmoniis malis ab hominibus attributæ fuerunt. Sicut in Sacra Scriptura omnes ejusmodi artes hominibus non Sanctis, verum Idolotatris ac malignis adscribuntur.

IV. Hunc Angelum. missum quasi Tutelarem III°. ut vinceret *Kacodæmona Asmodæum*. Qui *Asmodæus* quoque a Tobia fugatus aufugerit ad Superiora Ægypti, atque ibidem *ab Angelo ligatus fuerit*.

An ibi adhuc maneat, an tandem vero, sive dudum sive nuper, inde liberatus fuerit vel aufugerit, rogari commode posset; si in re seria ludere aut liberet aut liceret. Inter primos tamen Cristianos hanc opinionem habuisse locum, *Dæmonas habitare in Ægypto* ex Justino Martyre clare patet; ut qui libro contra Tryphonem ita loquitur: Μαρτυρίαν σοι ἀπ' αὐτοῦ τοῦ Ἡσαΐου δώσω, ὅτι πονηροὺς ἀγγέλους κατῳκηκέναι καὶ [NB] κα-

τοι-

τοικεῖν λέγει ἐν Τάνει τῇ Αἰγυπτίᾳ χώρᾳ. εἰσὶ δὲ οἱ λόγοι οὗτοι· οὐαὶ τέκνα
ἀποςάται· τάδε λέγει κύριος· ἐποιήσατε βουλὴν οὐ δι' ἐμοῦ, καὶ συνθή-
κας οὐ διὰ πνεύματός μου, προσθεῖναι ἁμαρτίας ἐφ' ἁμαρτίαις, οἱ
πονηρευόμενοι καταβῆναι εἰς Αἴγυπτον ἐμοῦ δὲ οὐκ ἠρώτησαν τοῦ βοηθηθῆναι
ὑπὸ Φαραὼ, καὶ σκεπασθῆναι σκέπην Αἰγυπτίων. ἔςαι γὰρ ὑμῖν ἡ σκέ-
πη Φαραὼ εἰς αἰσχύνην, καὶ τοῖς πεποιθόσιν ἐπ' Αἰγυπτίοις ὄνειδος· ὅτι
εἰσὶν ἐν Τάνει ἀρχηγοὶ ἄγγελοι πονηροί. μάτην κοπιάσουσι πρὸς λαὸν,
ὃς οὐκ ὠφελήσει αὐτοὺς εἰς βοήθειαν, ἀλλ' εἰς αἰσχύνην καὶ ὄνειδος. ἀλλὰ
καὶ Ζαχαρίας φησὶν, ὡς καὶ αὐτὸς ἐμνημόνευσας, ὅτι ὁ διάβολος εἱ-
ςήκει ἐκ δεξιῶν Ἰησοῦ τοῦ ἱερέως, ἀντικεῖσθαι αὐτῷ· καὶ εἰπεῖν, ἐπιτιμή-
σαι σοὶ κύριος ὁ ἐκδεξάμενος Ἱερουσαλήμ. καὶ πάλιν ἐν τῷ Ἰὼβ γέ-
γραπται, ὡς καὶ αὐτὸς ἔφης, ὅτι οἱ ἄγγελοι ἦλθον ςῆναι ἔμπροσθεν κυ-
ρίου, καὶ ὁ διάβολος ἅμα αὐτοῖς ἐληλύθει· καὶ ὑπὸ Μωσέως ἐν ἀρ-
χῇ τῆς Γενέσεως, ὄφιν πλανήσαντα τὴν Εὔαν γεγραμμένον ἔχομεν, καὶ
κεκατηραμένον. καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ὅτι μάγοι ἦσαν, ἐξισοῦσθαι τῇ δυνάμει τῇ
ἐνεργουμένῃ διὰ τοῦ πιςοῦ θεράποντος Μωσέως ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἔγνωμεν:
καὶ Δαβὶδ ὅτι οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνιά εἰσιν εἶπεν. *Testimonium ab ipso proferam Esaia, qui* MALIGNOS ANGELOS *incoluisse atque incolere dicit regionem Ægypti Tanim, sunt autem hæc verba: Væ filii desertores. Hæc dicit dominus: Cepistis consilium non per me, & fœdera iniſtis non per spiritum meum, ut adderetis peccata peccatis; maligne agentes, ut descenderetis in Ægyptum: me vero non interrogaverunt, ut auxilium haberent a Pharaone, & tegerentur umbraculo Ægyptiorum. Erit enim vobis umbraculum Pharaonis in confusionem & confidentibus in Ægyptiis ignominia: quoniam sunt in Tani principes* ANGELI *maligni. Frustra fatigabuntur ad populum, qui non proderit eis ad auxilium, sed in probrum & ignominiam. Sed & Zacharias dixit, quemadmodum ipse commemorasti, Diabolum stetisse a dextris Jesu Sacerdotis, ut adversaretur, ei; &* [Dominum] *dixisse: Increpet te Dominus, qui suscepit Hierusalem. Ac rursum in libro Job scriptum est, ut & ipse allegasti, Angelos venisse ut assisterent coram Domino;*

mino; & Diabolum una tum ipſis affuiſſe. Et a Moſe in principio Geneſis, Serpentem qui Evam ſeduxit, depictum habemus, & execrationibus devotum. Et in Ægypto Magos fuiſſe, qui prope æquati ſunt, prodigiis edendis, virtuti ei quam Deus per fidelem famulum ſuum Moſem perfecit, novimus, tum autem Davidem, quod Dii Gentium Dæmonia *ſint, dixiſſe tenetis.*

Hæc atque ejuſmodi alia magis miraremur in hoc Juſtino, ſi non inveniremus apud ipſum, *ex Angelorum cum mulieribus coitu Dæmonas natos, eoſque ſibi ac liberis ſuis nomina impoſuiſſe*, pluraque alia qui meras fabulas Judaicas atque Ethnicas ſapiunt.

Error vero ejus circa verba Eſaiæ ortum trahit ex malà verſione Interpretis, ſive Interpretum Græcorum (niſi velimus hæc in textum, fuiſſe ab alio quopiam intruſa) quæ habet: ὅτι εισὶν ἐν Τάνει ἀρχηγοὶ ἄγγελοι πονηροί. [quod Τάνει ſeu Τάνις ex Chaldaico Paraphraſte, qui habet טאנים, hauſtum fuit; is tamen nullos hîc Diabolos, ut alibi ſæpe, ſomniat] cum Hebraica veritas habeat כי היו בצען שריו ומלאכיו יגיעו *Nam Principes eorum fuerunt in Zohan, & Legati horum Hanes pervenerunt.* Vides hinc quoque, mi Lector (ut id obiter moneam) quam ſecure verſioni τῶν LXX. (qualis prætenditur eſſe) acquieſcere poſſimus, ſi non ſimul textum Hebraicum, dum verba Divina conſulimus, in auxilium adhibeamus! Verum ubi inveniemus a Davide dictum, ὅτι θεοὶ ἐθνῶν δαιμόνια εισιν. *Quod Dii Gentium Dæmonia [Dæmones mali, vel Diaboli] ſunt?*

Commodum accidit interim hunc Angelum adfuiſſe Tobiæ; atque uti Deum aliquem e Machina in ſcenam prodiiſſe, dum caſus intervenit, primo aſpectu quidem horrendus; ſed qui ridiculus tandem evadit, ex diſcrepanti admodum, nec minus inſulſa tam Hiſtorici (quiſquis ille fuerit ſive Hebræus ſive Chaldæus, ſive Græcus aliquis, ex Ale-

lexandrinorum Judæorum numero) quam Interpretum Latini ac Syriaci: dum hi *Silurum*, immani magnitudine piscem, illi eum *Callyonimum* fuisse dicunt: qui piscis est perquam modicus ac pedali tantum longitudine, (uti ex Bellonio, Rondeletio, Gesnero, aliisque constat) alii *Lucium* intelligunt *Piscem*; qui magnitudine quidem admodum variâ est: at de quo quod homines unquam vivos devoraverit, quantum scio, nullibi legitur.

Omnes tamen hi pisces (at nec soli) felle gandent, quæ contra oculorum suffusiones aliosque ipsorum morbos valet: imò & Siluri fel secundum Arabes (referente id Celeberr. Bocharto) *equos a Dæmone seu Diabolo obsessos* curat; ac *Glanidis ossa* (uti in libro de facile parabilibus, quod Galeno adscribitur, habetur) *suffitu suo Dæmonas pellunt.*

De *Corde* tamen aut *Hepate* piscis alicujus tantâ virtute præditis, nullibi nisi in hac Historiâ legimus. Quapropter dolendum est tam maxime egregium, imò & Angelicum (adeoque & Divinum) Medicamentum, seu notitiam ejus, tam mature periisse ut Apostoli, post Salvatorem nostrum J. C. longe aliis ad ista mediis opus habuerint; aliique, post illos, Exorcistæ ne per somnium quidem de hoc sive medio, sive remedio, cogitasse videantur: nisi is piscis ipsis ex Fluvio Sabbatico illo Josephi [Belli Judaici lib. VII. c. 13.] aliorumque Judæorum nugatorum, capiendus & advehendus fuerit.

Certe Judæorum illi Exorcistæ, qui *Baaræ* radice (quam Josephus quam serio libro 7. Belli Judaici, describit, ac deprædicat) Diabolos ex obsessorum naribus extrahebant (qualis procul dubio fuit, quæ sub clavo seu sigillo annuli latebat, istius Eleazari, cui dictus noster Josephus æquè circumspecte Testimonium præbet) multo minori cum periculo hæc sibi comparare, obsessisque inde suffitum parare potuissent.

Tam multa interim inquirunt ac narrant Commentatores de *felle* piſcis, quæ tantum ad oculorum vitia valebat: at hîc ubi de *Dæmonum malorum* ſeu *Diabolorum expulſione* agitur quovis pene piſce magis muti ſunt. Et tamen tantarum virium erant (ſecundum noſtrum ſcriptorem) iſtud *Cor* & *Hepar*, ut cum eſſent *ſuperpoſita cineri Thymiamatum*, Diabolusque iſtum odorem perciperet, ſic ſtatim is aufugeret, neque redibat εἰς αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, in ſeculum ſeculorum. Gentilium *Dæmonia* (ipſis id, ſimul & primitivæ poſt Apoſtolos Eccleſiæ Chriſtianis teſtantibus) nidoribus Victimarum inhiabant; iſtis enim magnopere delectabantur, imò iis & veſcebantur; hic Diabolus Judaicus *odorem Thymiamatum* quammaxime refugiebat: Salomonis *Diaboli* ipſas *Arbores Aromaticas* illi deportabant ex India: tantopere iſte dominabatur *Diabolis*: qui tamen, teſtantibus id ita Rabbinis, ipſum per *Aſmodæum* illorum Principem, Regno ſuo expulerunt. Nolo hic inquirere mi Lector quomodo odor corporalis, fugare potuerit Spiritum, atque adeo ſubſtantiam incorpoream; quod id minimè neceſſe ſit. Nam ſi neque igne neque frigore lædantur, ac fruſtra quis ferro diverberet umbras, cuncta talia commenta per ſeſe evadunt ridicula.

Verum tamen ut ad piſcem denuo redeamus, qui quæſo ille, ſi Callyomus fuit, Tobiam, hominem, quamvis parvâ admodum ſtatura fuiſſet, devorare potuit? Aut quomodo, ſi magnus fuerit, ac quidem *Silurus* (qui, ſive Marinus ſive fluviatilis ſit, immani corpore ac robore eſſe deſcribitur) quomodo, rogo, eum ipſi inhiantem, tam facile, arreptis branchiis, ex aqua (ubi piſces maxime robore valent) extrahere valuit? At fuerit *Calyonymus* piſcis pedali tantum magnitudine; quis credat illum in Jonam inſiliiſſe ut ipſum devoraret? Sed bene ceſſit, quod ipſi piſcem devoraverint, ſive aſſatum ſive elixatum (namque hîc iterum maxime

diſ-

discrepant seu editiones seu versiones) ac totum quidem, ut Græcus ac Syrus habent: quod in *Calyonymo* ferri potest cujus adhuc potissima pars caput est. Verum quæ restabant secum in viaticum assumpserunt: quod si verum est sobrii admodum fuere homines. Verum de hoc pisce tum Hebræus Fagii, tum Latinus [& ecce piscis immanis exivit] textus ut de immani bellua loquuntur. Quem si totum devorarunt videntur sane fuisse homines perquam voraces ac gulosi; saltem junior ille *Tobias*, si prætensus iste *Angelus* nil reverâ inde comedit, quod exserte de seipso testatur cap. XIII. v. 19. *se, nempe, neque edisse neque bibisse, sed visionem ipsos spectasse.* Qui *Angelus* quoque (ne quis dubitet hanc Historiam esse verissimam, ac Divino miraculo factam, mandabat (uti vertit hîc Græcus interpres) *hanc Historiam scriberent in libro* [Græca sunt. γράψατε πάντα τὰ συντελεσθέντα εἰς βιβλίον.] Nimirum tantæ molis erat permagnas condere nugas. Interim Celeberrimus P. D. Huëttius hinc argumentum desumit pro veritate atque autoritate istius Historiæ: quæ, uti Lector clare perspicit, purum putum figmentum, seu fabula Judaica est.

CAP. IX.

De Angelis bonis ac Geniis a Judæis præter, aut extra, Sacram Scripturam confictis: de Angelis tutelaribus, seu custodibus; ubi & de Angelo Petri, aliisque, uti & de cultu Angelorum inter Judæos (Pharisæos, nempe, & Essæos) ac multos primitivæ Ecclesiæ Christianos.

EX iis quæ jam præcessere, mi Lector, videmus Judæos tam malis quam bonis Angelis minime fuisse destitutos.

De

De istis loquor quos extaa Sacram Scripturam se invenire credebant; vel potius temere nimis atque audacter confingebant, & in ipsam S. Scripturam ex superstitione ac præjudiciis Judaicis vi quasi, per Paraphrases suas Chaldaicas, intrudebant: nam quod aliàs ipsa Sacra Scriptura Dæmoniorum vel Dæmonum Legiones agnoscat, & Angelorum Myriadas, unicuique Christiano notum est.

Si vero quis nomina istorum Angelorum (præter & extra S. Scripturam confictorum) requirat; sunt ipsis præter malos *Asmodei*, *Sammaël*, *Belzebub* (quos tamen nonnulli inter Judæos pro uno eodem que habent) aliosque plures etiam tota caterva, quorum & nomina & munera nobis designant. quod ne nimum miremur, in Apocryphis, Esræ lib. IV. reperimus & *Uriel*; & *Jeremuël Archangelum* nullibi notum: nisi solos inter Magos, Magicæque insania deditos, agnitum. Sic. ex. gr. est ipsis גזרדיא Gasardia *Angelus Orientali plagæ præfectus*: sic סוריאל *Suriël*, *Legatus ad Reges & Principes*; sic יוחך *Juchach*, *qui hominibus in via atque in itinere protector est*. Sic נקיך *Nekid*, *cui panis atque alimentorum cura demandata est*. Sic עזריאל *Hasariel*, *qui aquarum, ne transeant terminum suum terramque operiant, curam gerit*: ירקמו *Jorkemo* (vel ירקומי *Jarkomi*) *qui præfectus grandinis*: לילא *Laila*, *qui conceptui mulierum præpositus est*; ac de quo hæc ridicula narrant, *eum*, nempe, *coram Domino stare, guttamque accipere, ac dicere: Domine mundi, gutta ista quidnam erit? fortis an debilis? pauper an dives? non verò dicere, Justus an improbus*. Sic etiam דומא *Doma*, *qui Mortuis ac Moribundis præfectus est*, *eosque in extrema hora nominatim compellat*: vel aliis *Præfectus Mortuis*, *ut Præses silentii*, eo quod דום denotet *silere*. Sic denique (ne plures afferam) est ipsis מטטרון *Metatron*, cui *data est Potestas, ut sedeat ac conscribat merita Israelitarum, rursusque ei sit Potestas delere merita ipsorum*. Hic aliis est,

Mi-

Michaël, aliis *Enoch;* qui postquam in cœlum abreptus fuit, ibi *scriba Magnus*, vel *Cancellarius cœlestis* fuerit factus.

Præter hos & hujusmodi plures Angelos habent etiam qui quatuor anni temporibus, ac qui singuli singulis mensibus; uti & qui singulis septimanæ diebus præsunt: Quorum tamen nomina ipsi Judæi fatentur sese ex Babylonia reportasse: quod quoque de cæteris satis certum est; nisi & novos subinde, post captivitatis tempora confinxerint.

Non existimo quidem hujusmodi de Spiritibus bonis ac malis, sive de Angelis ac Dæmoniis, opiniones omnibus Judæis communes ac probatas fuisse: cum procul dubio præter Saducæos (qui & *Spiritus & Angelos* negabant) permulti fuerint, qui licet Angelos ac Spiritus agnoscerent, tamen longe Saniori judicio utebantur; ac mysticè magis quam ad literam, circa talia, Rabbinorum suorum effata accipiebant: At perplurimos fuisse qui hisce sane nugis plus nimium (ne dicam usque ad insaniam) addicti fuerunt, ostendunt nobis exempla tum ex Rabbinis, ex Targumistis, tum ex Josepho ac Philone, imò & ex ipsis Apocryphis (quæ procul dubio his nominatis ætate atque auctoritate aliquatenus saltem) præcedunt: ut ex quibus & Spectrorum Apparitiones, imo & Diabolorum, nobis enarrant: uti jam in iis quæ præcessērunt ostendi: Ita ut non tantum homines ex fæce vulgi, & *Idiotis* sive populo terræ, vel βαναύσοις, ut commune vulgus sæpius appellatur apud Græcos, verum ipsorum Eruditi ac Doctores hac mala superstitione non tacti verum & tincti essent. Imò hinc quoque opinio inter Christi Servatoris Discipulos (ante acceptum Spiritum Sanctum ipsorum ad omnem veritatem Ductorem ac Doctorem) locum habebat [Matth. XIV. 26. Marci VI. 49. uti & Luc. XXIV. 37.] ita ut sibi videntur aut φάντασμα *Spectrum*, aut πνεῦμα *Spiritum*, videre.

Ethnici talia ex Chaldæismo, eodem fonte ex quo Ju-

dæi ista hauserant, imbiberunt. Hinc Platonicus ille Apulæus, in Apologia Socratis, *Credo plerosque vestrum hoc quod modo dixi cunctantius credere, & impendio mirari formam Dæmonis Socrati visitatam. At enim Pythagoricos* [NB] *mirari oppido solitos, siquis se negaret unquam vidisse Dæmonem, satis, ut reor, idoneus Auctor est Aristoteles.*

Judæi autem posteriores, ne hîc contra ipsos nimium evincere videantur Gentiles, non solum *Dæmones*, seu *Diabolos* visibiles statuunt; verum & media se prodere perhibent, quibus visibiles reddantur. Qui qualibus sub formis se conspicandos præbeant, docent Rabbini, dum asserere non verentur *Cacodæmonas*, *Lemures* ac *Spiritus malos* [השדים והלילין והרוחות הרעות] conspici in formis hominum; *ac genera duo Spirituum Stultorum* (vel *Satyrorum*) esse qui ludunt in mundo tanquam homines, & apparent hominibus in somnio quasi mulieres, & mutantur aliquando in viros & quandoque in mulieres; imò & in alia animalia, ut ex. gr. in Aviculas; cujusmodi quædam perhibetur ab ipsis insedisse capiti ac capillis, quæ Batsebæ faciem obtegebant dum Rex David ex fenestra, vel tecto prospiciebat; qui dum sagittam (in Aviculam hanc) jaculabat, avolans Batsebæ faciem detegebat, & Regem in Adulterii crimen illiciebat.

Videmus igitur, mi Lector, ex talibus quousque pervadat sæpè prava superstitio, quæ & ad Christianos transitum fecit, in ipsis jam initiis Christianismi; quamvis ipsa Sacra Scriptura nihil ejusmodi tradat; uti clare admodum ostendit Clarissimus Joan. Camero, in prælectionibus suis super versu 10. cap. XVIII. Matthæi: ubi & verba Lucæ Act. cap. XII. de Petri Angelo bene & commode explicat. Hoc modo: *unus est in tota Sacra Scriptura hic locus, qui videri possit favere illi sententiæ qua singulis hominibus singuli Angeli Custodes attribuuntur. Sed illi qui ex hoc loco id effici*

ſici volunt primò ſumunt pro confeſſo, quod non eſt poſitum extra omnem controverſiam, eo loco PETRI ANGELUM *non ſignificare* NUNTIUM EORUM, QUÆ PETRO *acciderant. Certe qui ſunt in vinculis & carcere, ſolent* NUNTIORUM *operâ uti, qui ſignificent quo in ſtatu res ſuæ ſint. Itaque nihil eſt abſurdi, ſi ſtatuamus* NUNTIUM *eo loco* Ἄγγελον *dici Græcè. Quod verò dicitur eo loco Rhode agnoviſſe vocem Petri, id Rhode ſi ſignificavit non imperavit fidem. Fieri autem poteſt ut non ſignificarit, ſed tantùm affirmarit Petrum ſtetiſſe præ foribus. At vero cum perſeveraret, eo tandem ventum eſt, ut (quod ſolet accidere). Petri injectâ mentione a Petri Nuntio, quibuſcum Rhode res erat, putarint Rhoden ſecius rem accepiſſe. Deinde etſiamſi demus eo loco Angelum intelligi propriè cuſtodem Petri, non tamen peculiaris Angelus denotabitur; ut quum dicimus* MEDICUM REGIS, FAMULUM REGIS, *non certum quendam Medicum aut Famulum intelligimus. Sic per vices ſolent excubare milites, & qui excubat, quando excubat,* EXCUBITOR *dicitur, attamen non intelligitur certus quidam & peculiaris affixus ſemper huic curæ, nulli decedens, nec ulli ſuccedens. Certe cum agitur de Lazari anima in cœlum ſubvehenda, non fit mentio unius Angeli ſed Angelorum; abſurde ſi Lazarus habuit peculiarem Angelum. Sane majorem adfert conſolationem a pluribus quam ab uno Angelo cuſtodiri. Huc & illud accedit, quod ſi demus hunc fuiſſe ſingularem aliquem Angelum Petri cuſtodem, neceſſe eſt etiam demus Angelos cuſtodes, figuram, vocem, geſtum, & reliqua eorum quorum cuſtodes ſunt aſſumere; quæ quorſum pertineant non facile eſt diſpicere, &c.*

Quod vero ipſa attinet verba cap. XVIII. v. 10. *quæ habent: Videte ne contemnatis quenquam ex his puſillis. Dico enim vobis Angelos eorum in cælis ſemper videre faciem patris mei, qui in cœlis eſt [Græca verba ſonant* ὅτι οἱ ἄγγελοι

 αὐτῶν

αὐτῶν ἐν οὐρανοῖς βλέπουσιν *&c. ex illis nihil aliud oſtendi poteſt, quam ſic in genere, Deum quandoque Angelis uti in miniſterium fidelium, (vid. Hebr.* CXIV. *Pſal.* XCI. V. 11. *) Nec mirum Angelos iſtos, quibus Deus Opt. Max. utitur in bonum fidelium ac proborum, vocari ipſorum Angelos; quum Apoſtolus Paulus ſemetipſum appellet Apoſtolum Gentium (Rom.* II. v. 13. *) non quod a Gentibus miſſus eſſet, verum e contra a Deo ad Gentes ut ipſam ad veram fidem in Deum ac J. Chriſtum converteret.*

Prima horum Angelorum, apud Chriſtianos, mentio occurrit in ſcriptos illo quod nomine Paſtoris venit, ac Tertulliani tempore Hermæ adſcriptus ac ſuppoſitus fuerat: quod uti a multis Chriſtianorum pro ſcripto, non ſolum eximio, verum & Sancto, imò Apoſtolico & canonico habitum fuit, ſic ab aliis in totum rejectum eſt; atque uti primum Græce conſcriptum erat, dudum admodum inter Latinos ignotum manſit, licet nunc Latine tantum compareat.

Is perſonatus Hermes igitur, aut potius Angelus, ſub paſtoris forma & habitu ipſi apparens, ita loquitur, Mandato. VI. *Audi nunc inquit [Angelus] primum de fide. Duo ſunt Genii cum homine. Unus æquitatis & unus iniquitatis. Et ego dixi illi: Quomodo Domine, ſcire potero, quod duo ſunt Genii cum homine? Audi, inquit, & intellige. Æquitatis Genius tener eſt, lenis & verecundus, manſuetus & quietus; Cum ergo in cor tuum aſcenderit, continuo loquitur tecum de juſtitia, de pudicitia, de caſtitate, de benignitate, de venia, de Charitate, de pietate. Hæc omnia cum adſcenderint in cor tuum, ſcito quod Genius æquitatis tecum eſt: huic ergo Genio crede & operibus ejus. Accipe nunc & Genii iniquitatis opera. Primum ſtolidus, avarus & iracundus eſt, & opera illius perniciosa ſunt, & evertunt ſervos Dei. Cum ergo in cor tuum aſcenderint hæc, intelliges ab operibus ejus hunc eſſe Genium iniquitatis*, &c.

Hinc

Hinc Origines, (si non potius ipsius Interpres Hieronymus) homilia XXXV. in Lucam: *Quod si cui displicet, transeat ad volumen quod titulo Pastoris scribitur, & inveniet cunctis hominibus duos adesse Angelos: malum qui ad perversa adhortatur, & bonum qui ad optima quæque persuadet: scribitur alibi, quod assistant homini sive in bonam, sive in malam partem duplices Angeli.* &c.

Idem ille, homilia XII. in eundem Evangelistam, non solum singulis hominibus, singulos tam bonos quam malos (adeoque duplices) præficit; verum & singulis Provintiis, suos tam bonos quam malos Angelos præsidere facit: quod indicant hæc sequentia: *Multum utilitatis accepit Angelus qui dispensabat Ægyptias res, postquam Dominus descendit de cælo, ut Ægyptii Christiani fierent. Profuit & cunctis, qui diversas Provincias obtinebant: verbi causa; Præsidi Macedoniæ, Præsidi Achajæ, reliquarumque regionum. Neque enim fas est credere, malos Angelos suis præesse provinciis, & bonos non easdem Provincias habere permissas. Hoc autem quod de singulis Provinciis dicit, puto etiam de universis hominibus generaliter nos debere credere. Unicuique duo duo assistunt Angeli, alter justitiæ, alter iniquitatis. Si bonæ cogitationes in corde nostro fuerint, & in anima justitia pullularit, haud dubium quin nobis loquatur Angelus Domini. Si vero mala fuerit in nostro corde versata, loquitur nobis Angelus Diaboli: Quomodo cum* PER SINGULOS HOMINES BINI SUNT ANGELI, *sic opinor & in singulis dispares esse Provinciis, ut sint & boni, sint & mali. Verbi gratia in Epheso, propter eos qui in illa urbe peccatores erant, pessimi Angeli præsidebant. Rursus quia multi erant credentes in ea, erat & Angelus Ecclesiæ Ephesiorum, utique bonus. Hoc autem quod de Epheso diximus super omnibus Provinciis cognoscendum. Ante adventum Domini Salvatoris isti Angeli parum poterant creditis sibi utilitatis afferre, & conatus eorum sequi non valebat effectus.* &c.

Angelorum cultus quoque ex eodem fonte rectissime derivatur: eo quod inter veteres Arabas *Coreshitæ* Angelorum cultui dedit erant, uti in Alkorano ipsis satis crebro exprobrat Muhammed. Et *Zabios*, quos *Chaldæos* fuisse affirmat non frustra Maimonides, isti Idololatriæ adhæsisse: ut ex ipsius More Nevochim, seu Ductore dubitantium, & Arabum scriptis patet. *Essenos quoque* eo fuisse propensos, constare videtur ex verbis Josephi, lib. II. cap. XII. Belli Judaici, ubi de hisse Essenis inter alia prodit, ipsos juramento sese obstringere συντηρήσειν τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα. quæ Phrasiologia cum illa Conc. Laod. ἀγγέλους ὀνομάζειν sat bene convenit.
Certe inter Judæos (sive soli Esseni, sive & alii ita animati essent) hanc hæresin locum habuisse, patet ex verbis Apostoli Pauli ad Colossensos (cap. II. v. 18.) μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων. *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione* Angelorum, &c.

Ex eodem fonte eam quoque, per rivulos Pythagoræorum & Platonicorum, ad Christianos derivatam liquet tam ex ipsorum cultu bonorum Dæmonum, quam ex ipsorum opinione *de Dæmoniis divinis ac mediis potestatibus*, *qui* (uti Apulejus, in Apologiâ suâ, ipsos vocat) *inter mortales cælicolasque, qui Vectores sint hinc precum, inde donorum.*

Si porro consideremus quibus in Regionibus, inter Christianos, hic cultus Idololatricus locum habuerit, fuere hæ (potissimùm saltem) Pisidia & Phrygia, Provinciæ Asiæ Minoris; cujusque Phrygiæ civitas erant Colossi & Metropolis Laodicea. Unde non improbabile, has Idololatriæ ab Asiaticis Idololatris eo transfusæ reliquias, diu admodum locum retinuisse inter Christianos ab hujusmodi cultu ad Christianismum conversos.

Notabilia sunt hîc verba Theodoreti: *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes legem*

legem per eos datam. Manſit etiam diu hoc vitium in Phrygia & Piſidia, quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodiceæ quæ eſt Phrygiæ Metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos, & ne relinquerent Dominum noſtrum J. Chriſtum.

Si autem ex Judaiſmo hæc (uti Theodoretus innuit) ortum traxere [certe utrumque locum habere potuit] ex Phariſæiſmo atque Eſſeniſmo (ut ſic loquar) hæc ſcaturierunt in Chriſtianiſmum. Canon trigeſimus quintus *Concilii Laodiceni* Græce ita habet: Ὅτι οὐ δεῖ χριστιανοὺς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ καὶ ἀπιέναι καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν καὶ συνάξεις ποιεῖν· ἅπερ ἀπηγόρευται· εἴ τις οὖν εὑρεθῇ ταύτῃ τῇ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρείᾳ σχολάζων, ἔστω ἀνάθεμα· ὅτι ἐγκατέλιπεν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰδωλολατρείᾳ προσῆλθεν. Latine: *quod non opporteat* Chriſtianos Eccleſiam Dei *derelinquere & abire & Angelos nominare, & congregationes facere, quod eſt prohibitum. Si quis igitur inventus fuerit, huic occultæ Idololatriæ ſerviens, ſit anathema, quia relinquit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, filium Dei, & ad Idololatriam acceſſit.*

Nec dubito quin huc quoque reſpexerit Irenæus, dum lib. II. cap. LVIII. ita loquitur: *Eccleſia per univerſum mundum diverſa beneficia a Deo accipiens, in nomine Chriſti perficit,* NON INVOCATIONIBUS ANGELICIS FACIENS ALIQUID: *ſed munde, pure & manifeſte orationes dirigens ad Dominum qui omnia fecit, & nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Quam valde, primis Chriſtianiſmi temporibus, hæc falſa doctrina locum habuerit oſtendit Tertullianus, libro adverſus hæreticos cap. XXX. *Simonianæ autem Magiæ diſciplina Angelis ſerviens, utique & ipſa inter Idololatrias deputabatur, & a Petro Apoſtolo in ipſo Simone damnabatur.*

Ex iis autem quæ jam ſupra, de Duobus principiis, diſſerui,

servi, facillimum est perspicere unde & *Manichæismus* Originem suam traxerit: qui tamen *Manichæi*, (ut hîc compendii gratia, G. J. Vossiii verbis utar) non sic temere loquebantur, ut dicerent, *duplex esse Numen; vel si* Duos *dicerent* Deos, *non aliter hoc solent interpretari*, *quam* Unum Proprie, Alterum Improprie *Deum dici: quomodo etiam Apostolus Paulus ait*, Deum Hujus Seculi, *qui Diabolus est, excæcasse fidelium mentes. Sed in eo tandem convenientia est*, *quod ex* Duobus Principiis, *quorum unum esset Deus, alterum sive Hyle, sive Dæmon, a priori bona, ab altero mala esse crederentur: ab illo solem non factum quidem, prolatum tamen vel missum: ab altero autem colubrum & alia id genus animalia facta esse in gente tenebrarum. Quæ qui dicit, is Diabolum creatorem, ac proinde Deum, facit. Hanc Manetis insaniam legere est apud Epiphanium Hæres,* LXVI. *nec uno loco apud Beatum Augustinum.*

Cujus Augustini hîc a Vossio memorati, unicum modo (cum Vossio) adducam locum, ex libro de hæresibus: ubi ita loquitur: *Iste duo principia inter se diversa atque adversa, eademque æterna & coæterna, composuit: duasque naturas atque substantias, bonas scilicet & malas, sequens alios antiquos Hæreticos, opinatus est; quarum inter se pugnam ac commixtionem fabulatur.*

Per Hæreticos, pergit Vossius (cujus verbis hîc libentius utor) *quos Manes secutus dicitur, intelligit Marcum, Cerdonem, Apellem, alios; qui itidem duo statuerant Principia. Sed cum Manem hunc constet natione fuisse Persam, ac Persicis etiam disciplinis sumptibus viduæ cujusdam fuerit imbutus, ut Epiphanius tradit: magis mihi verisimile sit, Patriam in eo Religionem secutum fuisse. Soroastris enim & Magorum hæc doctrina erat; ut e Plutarcho ante vidimus. Atque idem a Laërtio adstruitur ex Dinonis V. Histor. Aristo-*

telis

telis lib. I. de Philosophia. Hermippo libro I. de Magis, Eudoxo ἐν περιόδῳ. *Theopompi libro* VIII. *Philippicorum; & Eudemo Rhodio.*

CAP. X.

Epilogus hujus primæ partis, seu Dissertationis; in qua ulterius ostenditur, unde, ac quibus de caussis, quibusque modis Doctrina vulgaris de Dæmonibus ex Chaldæismo, Judæismo, atque Ethnicismo ad Christianismum transitum fecerit.

SI nunc, mi Lector, revocatis in memoriam iis, quæ de origine ac progressu tum Idololatriæ tum cæterarum superstitionum a me dicta fuerunt, unde hæc atque ejusmodi superstitiosa figmenta, tam ex Chaldæismo primum, quam ex reliquo postea Gentilismo per hos primos iis imbuto, uti & ex Judæismo, (qui illa ex utrisque hauserat) in Christianismum, seu Theologiam Christianam, transitum fecerint; videmus I°. *Septuaginta* illos (ut vocant) Interpretes, ex quorum pentateuchi meliore, Prophetarum ac Hagiographorum longe pejori, versione (accedentibus ad hæc etiam Aquila Pontico, Theodotione, aliisque aut Judæis, aut Judaicis superstiosis opinionibus infectis) primæ quoque Latinæ versiones, ac citationes, ante Hieronymum confectæ fuerunt; videmus, dico, illos hisce opinionibus plus minus imbutos fuisse: unde & in Prophetica scripta intrudunt animalia, monstra ac *Diabolos*, de quibus ipsi Prophetæ nihil unquam cogitarunt; *Onocentauros* nimirum, *Lamias*, *Sirenas* (in mediis Babyloniæ atque Idumeæ desertis) & *Diabolos*, vel inter se, vel cum *Onocentauris*, similibusque monstris ludentes, aliaque absurda in istis versionibus invenienda.

nienda. Qua, seu quibus qualibusque versionibus tamen uti necesse habebant primorum seculorum Christiani, vel quæ ex talibus adornatæ fuerant: quum paucissimi essent inter Christianos Judæi, quamvis quam plurimi (atque innumerabilis pene multitudo) ex iis Christianismum amplexebantur, qui Hebraice bene intelligerent Hebraicaque exemplaria ullo cum fructu legerent: verum necesse haberent, Græca uti S. Scripturæ versione. Donec temporis tractu, mediantibus Origene imprimis atque Hieronymo, Græcæ, tum prætensorum Septuaginta, tum *Aquilæ*, *Symmachi*, *Theodotionis*, tum *Luciani* quoque & aliorum editions cum textu Hebraico collatæ, aliæque versiones adornatæ fuerunt: in quibus tamen ex veteri Judæorum fermento (uti tum ex iis quæ a me allata sunt, tum ex ulteriori collatione perspici potest) relictum fuit.

II°. Notandi hîc sunt libri Apocryphi, qui fabellas jam supra memoratas, de *Lemuribus* & *Spectris*, *Angelis* & *Diabolis*, cæteraque ibi adducta continent. Quæ scripta (licet non cuncta simul, unove eodemque tempore a Christianis in Canonem fuerint recepta) magis magisque in ipsis ejusmodi opinionum monstra fovebant atque adaugebant.

III°. Accedebant modo dictis tum Hæreticorum facta, ac scripta, per quæ sectis suis auctoritatem conciliare studebant: atque in quibus pene nil præter Angelos bonos ac malos crepabant; tum scripta illa supposititia Hermæ (cum pastore suo) Dionysii (ita prætensi) Areopagitæ, similiaque, Angelorum Dæmonumque Ordines ac Revelationes perhibentia.

IV°. (Quod mirum multis videbitur) ipsi Origenes atque Hieronymus, ambo homines eruditissimi; verum qui superstitionibus Judaicis non leviter tacti & tincti fuerunt: præcipue tamen Origenes; uti ex solis ipsius scriptis contra Celsum liquido patet.

Ambobus hisce summis alias viris ejus rei causa fuit, quod Hebraicè discentes, Hebraicis (nec aliter poterant) uterentur

tur Præceptoribus; qui cum ſive ex educatione, ſive aliàs inſtituto, Phariſæi (Deuteroſeon ſaltem patroni) eſſent, ſimul cum iſta lingua, non tantum Hebraica, verum & Chaldaica multa, præjudicia in ipſos transfundebant.

Hinc enim in Hieronymi verſione (ſi vulgata ipſi tribuenda ſit) non pauca ac parva comparent Chaldaicæ ſuperſtitionis veſtigia,

Utebatur enim, ut dixi, Magiſtris Hebræis, tum in vertendis Hebraicis, tum quammaxime in Chaldaicis, quorum nullam, uti ipſe fatetur (præfatione in Tobiam, quem propterea *ſic utcunque* vertit) habebat notitiam: nec conſulere potuit Chaldæos Paraphraſtes (inter quos unicus verè laudandus Onkelos) Hebræorumve vetuſtiorum commentaria, ſi quæ extarent; eo quod illa linguâ ex Hebraica cum Chaldaica (imo & aliis quandoque) mixta conſtarent.

Adhibebat præterea & verſionem, ſic dictam, LXX. Seniorum, Aquilæque & Symmachi & Theodotionis verſiones; tum & varias Græcorum Bibliorum editiones Luciani, Heſychii, Origenis aliorumque, qui Judæorum veſtigiis pene ubique (ac præcipue quidem Aquila Ponticus, qui Judæus ac ſumme *Genethliacæ Aſtrologiæ* deditus fuit, Symmachus qui Samaritanus, atque ex Samaritano Judæus fuit, ac Theodotion qui ex Chriſtianiſmo ad Judaiſmum tranſiit) inhærent.

Talium Magiſtrorum ductu cum hic uteretur, alias diligentiſſimus ac maxime laudandus interpres, non potuit fieri, quin ſæpe (quod & aliis poſt ipſum contigit) non tam ex ſimplici Hebraicæ linguæ genio, quam ex Chaldaicæ, ac Chaldæorum ſuperſtitioſis præjudiciis, vocabula ac phraſes authentici contextus converteret.

Si porro conſideremus Lexica Hebraica, atque ab & ex quibus illa conſarcinata fuerint; ſunt iſta inter Judæos non ſola Sacra Scriptura, verum Paraphraſes quoque Chaldaicæ, Scripta Talmudica, Medraſchim & commentaria Rabbino-

 rum;

rum, &c. quæ omnia linguâ aut Chaldaica (quamvis magis minusve pura) aut Hebraica (quatenus illa adhuc in scriptis Biblicis restabat) aut etiam aliarum Regionum linguis (prout huic illive Regioni inhabitabant hi Judæi) conscripta fuerunt. [unde & quæ exprimendæ ipsorum menti, in genuina lingua Hebraica deficiunt, linguâ aut Græca aut Germanica aut Hispanica, aut Arabica, aut alia quacunque ubi hi scriptores habitabant unusquisque vernaculâ sua, supplere tentabant & adhucdum tentant] sic ut in illis plurima vocabula ex Chaldæorum ac Rabbinorum mente reperias explicata: quibus in versionibus suis, ac Lexicis Christiani versiones Græcas ac Latinas veterum adjungunt.

Fateor hæc in plurimis, ut necessaria sic & egregia adjumenta, multum lucis atque auxilii Bibliorum interpretibus attulisse; nobisque satis claram ac planam, quoad doctrinam salutis æternæ, S. Scripturam reddidisse: at interim clare potest perspici, a nimium superstitiosis vel incautis Interpretibus multa quoque præjudicia Chaldaica & Rabbinica in eam fuisse illata.

His tamen postremò accedunt superstitionis Chaldaicæ præjudicia illa, quæ non solùm ex Judæismo, verum & ex Ethnicismo in Christianismum transportata fuerunt, ab hominibus qui inter Gentiles vel inter Judæos nati & educati, superstitioni vel superstitiosis sectis cum Judæorum, tum Platonicorum & Pythagoræorum [quæ Philosophorum sectæ magna ex parte originem suam ex Chaldæismo trahebant] nimium addicti, cum jam in Christianam Sectam (seu potius Religionem) transirent, hæreses in Christianismum, aut directe, aut indirectè, invehebant: quibus sustentandis atque adaugendis plurima ψευδεπίγραφα, seu supposititia, ab ipsis fuere conficta; *Euangelia*, scilicet, *Acta*, *Epistolæ*, Apocalypseis, Liturgiæ, similiaque plura [exemplo sit hîc *Pastor Hermæ*, qui nil præter *Angelos* ac *Visiones* crepat.] nec

non

non & ſcripta partim metrica, partim proſaïca, ſub veterum Vatum Gentilium nominibus (firmandæ quaſi Chriſtianiſmi, ex ipſis Ethinicis veritati) conſcripta atque edita : quæ inter ipſos Orthodoxos, non ſemper aut ubique ſatis cautos circa talia, ſibi plus nimium quoque, hîc alibique pepererunt auctoritatem.

Primi præterea poſt Apoſtolos Chriſtiani, cum plurimi numero e Gentibus ad Chriſti nomen tranſirent (& quidem maxime ex hujuſmodi nunc memoratis ſectis) ipſorumque inde præjudiciis ſuperſtitioſis imbuti, illa in Chriſtianiſmum transferrent, horum quoque opiniones de *Dæmonibus*, ipſorumque apparitionibus, aliaque plura hujus commatis ad ferebant : cumque innumerabilibus, fere, cujuſcunque demum farinæ fabellis ac figmentis, ſive Poëtarum, ſive Mythologorum, ſive denique Hiſtoricorum ejuſmodi nugis gaudentium, a primis incunabulis ipſorum aures ac mentes, eſſent oppletæ ; neque ab illis altè imbibitis ſeſe ita liberare valerent, quin ex auctoritate tum nutricum tum aliorum ipſis talia narrantium, de veritate iſtarum Hiſtoriolarum ſaltem dubia fides ipſis inhæreret ; ex talibus, dico, illa quæ *Ethnici* Diis ſuis, quaſi auctoribus, attribuebant, hi Chriſtiani *Dæmoniis malis* i. e. Diabolis adſcribebant. Unde & *Aquam cribro geſtatam*, & *cotem Novaculâ diſſectum*, & *navem cingulo protractam*, uti & *Boves* & *Oves* & *Arbores locutas*, ac quidquid tandem abſurdi ac ridiculi a quoquam vel *Poëta* vel *Mythologo*, vel *Sacerdote Gentili* (quorum in lucrum & commodum & auctoritatem talia commenta vulgabantur) confictum fuerat, non invitis auribus accipiebant ; imò & avide quandoque ipſi arripiebant, atque in Dæmonas, ſeu Diabolos iſta conficta miracula conferebant (quamvis omnes cordatiores Ethnici, illa figmenta ſemper apertè exploſerant, ac ſummo cum jure ut ridicula planè deriſerant, valideque ſatis confutaverant) modò id aliquid ipſis pro Religione Chriſtia-

ſtiana (quæ nec tali auxilio nec defenſoribus iſtis egebat) contra Ethnicos facere videretur.

Hinc enim Tertullianus aliique primorum ſeculorum Chriſtianiſmi ſcriptores, pene quæcunque Mythologi vel Poetæ tum Græci tum Romani tradiderant ambabus ulnis, uti veras Hiſtorias, amplexabantur; eaſque Diabolorum artificiis præter aut ſupernaturalibus attribuebant; atque inde contra Ethnicos argumentabantur ſæpe, cum de veritate facti, non tantum non conſtaret, verum ex ipſa rerum natura ac circumſtantiis ſatis clare pateret, eas hiſtoriolas non res vere factas, verum figmenta abſurdiſſima, continere.

Quin Origenes ipſe, qui alias (cum paucis admodum) cordatior circa multa cæteris fuit, oſtendit quidem aperte ſatis, ſe non uſque adeo Oraculis Pythiis cæteriſque ut ſuper aut præternaturalibus fidem habere: veruntamen ut ſolenni tum Chriſtianorum argumentationi ſubſerviat, ea Diabolo quoque adſcribit: ac, quod magis mireris in tali ac tanto viro (niſi inquantum Judaicis Magiſtris uſus fuit) ſe tactum oſtendit iſta ſuperſtitione, qua tum Chaldæi tum Græci ipſorum diſcipuli nominibus Divinis, ſanctis, aut Occultis vim ingentem ac ſuper & præternaturalem attribuebant. At poſteriores Chriſtiani, ac præcipue quidem Monachi, Sulpitius Severus, Palladius, Cedrenus, Nicephorus, plurimique hujus farinæ Scriptores, tam maxime ſe dederunt aut confingendis, aut temere credendis, hujuſmodi fabellis ac commentis; ut non ſolum Hiſtoriam baptizati Leonis, ab Hieronymo irriſu exploſam, verum & furioſarum vaccarum & luporum converſiones ac pœnitentias narrent; atque ita de ſuorum temporum Monachis (etiam Hieronymo atque Auguſtini ſeculo) ſcribant, quaſi reſuſcitare mortuos ipſis fuiſſet negotium quotidianum, cæteraque Miracula cujuſcunque demum generis (inprimis tamen Diabolos ex obſeſſis abigere) quaſi per ludum & jocum effecta ac perfecta ab ipſis fuiſſent.

Ad

Ad ejusmodi tamen Scriptores, ut ad graves admodum Auctores, provocant isti homines, qui superstitioni nimium dediti, quæcunque pene, ex Chaldæismo, ex Græcorum poëtis ac Mythologis, ex Philosophis Pythagoræis ac Platonicis, (ibi ridicule plane atque absurde narrata) afferuntur; ac quidquid Græcia mendax audet in Historia, avide amplectuntur, iisque quam serio occupantur; eaque nullo fere habito delectu in Testimonium Religionis nostræ, dogmatumque ipsius, tam secure afferunt: dum ipsam S. Scripturam levi brachio atque in transcursu tractant; vel ipsius simplices ac sinceros sensus omni vi ac conatu præjudiciis suis perversis (sine ulla necessitate, sine ullo fructu aut bono, verum e contra vere in damnum Religionis Christianæ) adstringunt. Hinc enim id inter veteres Christianos (non inter Judæos solum) quoque ita locum habuit; ut necesse fuerit illud per Concilia vetari. Hincque illi de *Metempsychosi*, uti & de *purgatorio* (quod originem suam non Origeni verum Judæis; imo & ipsis Chaldæis debet) aliique errores ortum trahunt: Hinc denique *Manichæismus* (Chaldæis quoque ac Persis, per Arimanium atque Orimasdem, auctoribus) in Christianismum derivatus est: uti & opiniones istæ quibus Diabolo tanta potestas in nos homines (etiam nunc post Christum natum) adscribitur, ut per istum Miracula patrari, Oracula dari, Prodigia, Ostenta, Portenta, Omina, Præstigias Magicas, ac plura alia ejusdem farinæ patrari ac perfici a plurimis (etiam eruditis) credatur.

Ut vero primorum seculorum Christiani nimium facile (ac contra Apostoli ad Timotheum ac Titum Evangelistas, monitum) tum Judaicis tum Ethnicis se dederant fabulis: sic posteriores (loquor non de omnibus, verum de longe majori parte) sese incogitanter nimis Monachorum commentis dederunt. Nam licet plurimi inter Monachos essent satis bonæ notæ homines, maxima tamen illorum pars notam censo-

riam

riam tum Hieronymi (qui & ipse Monachus fuit) tum aliorum effugere non potuerunt. Ac quamvis permulti essent inter Sacerdotes reliquosque Clericos Christianos, qui anilis superstitionis, piarumque, sic dictarum, fraudium, adeoque & mendaciorum, essent hostes satis acres; non defuerunt tamen permulti, qui in proprium commodum, lucrum & auctoritatem, qua data, vel levissima, occasione, quam plurimas ejusmodi nugas comminiscebantur.

Atque hinc tot numero innumera conficta nugamenta, Visiones scilicet, Apparitiones, tum Divinæ, tum Diabolicæ; ac Revelationes sive Mysteriorum, sive reliquiarum; mortuorum resuscitationes, Diabolorum, per exorcismos (non tantum in nomine Jesu, verum & in nomine Martini, aliorumque) expulsiones, pluraque alia Miracula Divina aut Diabolica; ut inde indignabundus, (in Epistola ad Rusticum) modo memoratus de Monachis quæratur Hieronymus: *Aliquos Dæmonum contra se pugnantium portenta confingere, ut apud imperitos ac vulgi homines Miraculum sui faciant, & inde lucra sectentur.* Cujusmodi Monachorum portentosa figmenta, si cui sese ad nauseam ingurgitare libeat, legat solum ista, quæ *Sulpitius Severus*, hujus Hieronymi contemporaneus, in Libro & Epistolis de vita Martini, atque in Dialogis, tum de virtutibus Monachorum Orientalium tum de hujus Martini, congessit; quæque apud Palladium, in Historia Lausiaca, similesque auctores Monachos reperiuntur: ne de plusquam plumbeis istis Legendis posteriorum Monachorum aliquid addam.

DISSERTATIONIS
DE
VERA AC FALSA PROPHETIA
PARS PRIMA,

Quæ est

DE

VERA PROPHETIA.

DE VERA PROPHETIA

Sub Veteri ac Novo Teſtamento.

CAPUT I.

Veram Prophetiam ſemper in Prophetis non aliter unquam fuiſſe quam ex Revelatione, inſpiratione ac mandato (manifeſtandi illam) Divino; tum ex S. Scriptura, tum ex Maimonide, oſtenſum. Media per quæ, fuiſſe Viſiones & ſomnia &c. Munus Prophetarum, admonitio, adhortatio, dehortatio, adeoque & promiſſa ac minæ; hinc & prædictiones futurorum; imò & quandoque revelationes Occultorum: Præter quæ & in primo Chriſtianiſmo locum habuere Puritatis circa Doctrinas Conſervatio; Probatio ſpirituum, an ex Deo eſſent; adeoque & examen quis verè Propheta, quis non Propheta, quis Pſeudopropheta.

UT autem hinc transſeamus ad veram Prophetiam; Differentiam ipſius a falſâ, verorumque Prophetarum a falſis, indicat Deus ipſe per Moſen [Deut. XVIII. v. 13.] hoc modo: *Perfectus eris & abſque maculâ cum Domino Deo tuo, Gentes iſtæ quarum*

 poſ-

possidebis terram AUGURES *&* DIVINOS *audiunt. Tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es.* PROPHETAM *de gente tuâ & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies. & vers.* 15. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad illos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam. Propheta autem qui* ARROGANTIA DEPRAVATUS, *voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. Quod* [NB] *si tacita cogitatione responderis; Quomodo possum cognoscere verbum quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum. Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus: sed* [NB] PER TUMOREM ANIMI SUI PROPHETA CONFINXIT: *& idcirco non timebis eum.*

Operæ pretium mihi videtur hîc adjungere illa quæ Fagius notat ad hæc præcedentia verba: *Ex continuatione patet, quod hîc pollicitetur Deus per Mosen, semper fore Prophetas, qui sint ex Domino dubias quæstiones explicaturi. Nam vitandi, inquit, sunt Divini superstitiosi: quia Dominus veros daturus est Prophetas, a quibus tuto omnia dídiceris. Ergo Prophetæ dubiis quæstionibus respondebant, &c.*

Ac Paulo post:

Proinde semper Divini cavendi sunt: semper fore Prophetas Domini hoc loco promittitur; quos audiant de voluntate Dei testificantes. Cæterum [NB] *ubi caput Prophetarum venturum erat, Prophetæ defecerunt: ut in illius adventum hominum desideria exstimularentur. Sicut sub Macchabæis & Herodibus Prophetis caruerunt: & si ad omnium æta-*

ætatum Prophetas hic locus non nihil pertineat tota tamen promissio, si causam consideres, in uno Christo completur.

Consideratione dignissima mihi videntur, quæ Rabbi Moses Maimonides in suâ Portâ Mosis, pag. 19. &c. editionis ac versionis D. Pokockii, habet in hunc modum: *Quum ergo idoneus huic muneri* [Propheta] *prout opportet, ipsumque sibi vindicaverit, dicemus illi:* EDE NOBIS PROMISSA, ET REFER NOBIS ALIQUA EORUM QUÆ NOTA FECIT TIBI DOMINUS: *Quo referente si vera evaserint promissa ejus omnia, hinc Prophetiæ ejus veritatem percipiemus. Quod si in aliquo ipsorum, vel minutissimo, mendax fuerit, hinc mendacem eum esse cognoscemus, Atque hæc expressa est Legis de hujusmodi probatione sententia.* [*Deut.* XVIII. 21.] ET CUM DICES IN CORDE TUO, QUOMODO COGNOSCEMUS VERBUM QUOD NON LOCUTUS EST DOMINUS? QUOD LOQUETUR PROPHETA IN NOMINE DOMINI, ET NON ERIT VERBUM, &c. *Quin etiam etsi verum dixerit nobis in uno aut altero promisso, nondum tamen certi erimus Prophetiam ipsius veram esse, sed manebit apud nos dubiæ fidei, donec veracitas ejus in omnibus quæ a Deo refert, vicibus continuis exhibeatur. Unde de Samuele dicitur (postquam notum aut certum fuerat quodcunque diceret ratum fieri)* ET NOVIT OMNIS ISRAEL [1.Sam. 3. 20.] A DAN USQUE AD BEERSHEBAM, QUOD FIDELIS ESSET SAMUEL IN PROPHETAM DOMINO. *Neque accidit illis negotium aliquod, de quo non sciscitarentur Prophetas, Nisi enim ita fuisset, ut Prophetas de omnibus rebus suis consulerent, non adiisset Saul in principio Samuelem, de eo quod amiserat sciscitaturus. Minime autem dubium est sic se rem habere; quoniam Deus Prophetas*

[*mittendo*] *fecit, ne opus haberemus Astrologis & Divinatoribus & Ariolis: quoniam illos consulere possumus de rebus nostris, vel simul universis, vel divisim singulis, ut nobis, à Deo vera nuncient: sicut isti ea quæ forsan vera, forsan falsa, renunciant. Hoc est quod dicit Scriptura* [Deut. XVIII. 14.] QUIA GENTES ISTÆ QUAS TU EXPELLIS, PRÆSTIGIATORES ET DIVINOS AUDIUNT; AT TU NON SIC. DEDIT [*vel potius* DABIT] TIBI DOMINUS DEUS TUUS PROPHETAM E MEDIO TUI, &c. *Atque has ob rationes appellabant Prophetam* VIDENTEM; *quod res futuras, antequam existerent, prævideret.* [1 Sam. IX. 9.] *sicut dicit:* QUONIAM PROPHETA HODIE, ANTEA APPELLABATUR VIDENS.

Forsan autem [*ita*] *apud se putet quis ac dicat, Num ergò ex veritate Prædictionis eorum quæ eventura sunt, vera censebitur Prophetia eorum qui eam sibi vendicant? Si ita se res habet, possunt Arioli, Astrologi omnibusque potentiis animalibus præditi, arrogare sibi Prophetiam, cùm quotidie oculis nostris videamus futura prædicere. Atqui (novit Deus) hic locus est magni momenti, quem opportet ut explicemus; quo appareat differentia inter illas quas Propheta a Deo refert, eorumque qui potentiis istiusmodi præditi sunt, prædictiones.*

Dico igitur, ARIOLOS, ASTROLOGOS, *atque ejus sectæ homines prædicere quidem futura; sed ita ut necessariò partim vera partim falsa sint. Quod & perpetuo videmus & confirmant ipsi qui eas artes profitentur. Neque negare possunt, dum hinc gloriam captant, si cujuspiam mendacia pauciora quam alterius fuerint: sed ut verum dicat quisquam eorum in singulis, hoc impossibile est. Neque id sibi arrogant iis potentiis præditi, verum ubi dixerit quis,* FUTURA EST HOC ANNO SICCITAS, NULLA PER EUM CADEN-

TE

TE PLUVIA, *si parum in eo pluat: vel ubi dixerit,* CRAS PLUET, *si postridie pluat &c. habetur hic admodum excellens, atque ex illustris famæ hominibus, quos celebrant Historiæ. Atque hic est sensus ejus quod dicit Isaias Babeli:* STENT NUNC ET SERVENT TE SPECULANTES COELOS, CONTEMPLANTES STELLAS, COGNOSCERE FACIENTES MENSES, AB IIS QUÆ VENTURA SUNT SUPER TE. *Et dixerunt Sapientes* [מאשר *Me ascher, ab iis*] *non* [כל אשר *Col asher : ab omni quod.*] *Non sunt autem promissa Prophetarum ejusmodi, sed penitus vera: Quorum non intercidit quicquam, sive parvum, sive magnum, per totum sæculorum decursum, in omnibus quæ nunciat Propheta quis a Domino. Ideo si quando irritum fuerit eorum aliquod, noverimus eum mendacem. Atque hoc est quod dicit Scriptura.* QUONIAM NON CADET E VERBO DOMINI IN TERRAM. *Quod & innuit Jeremias, ubi* [*loquitur*] *de iis, qui cum in somniis vera viderent, ea de quibus ita moniti fuerant, ac si Prophetiæ essent enarrarunt: dum eos reprehendens & illorum eorum prætextus labefactans, dicit:* [Jerem. XXIII. 28.] PROPHETA CUI EST SOMNIUM NARRET SOMNIUM; ET CUI SUNT VERBA MEA LOQUATUR VERBA MEA IN VERITATE. QUID PALEÆ CUM TRITICO? DICIT DOMINUS. *Cujus dicti sensum hunc reddunt Sapientes, quod Prophetia quid purum sit, nec admistum habeat falsi aliquid, instar frumenti a paleâ puri. At* SOMNIA, *aliaque ejusmodi Judicia, mendacium habent admistum, instar paleæ, in qua grana quædam frumenti sunt. Unde dixerant.* SICUTI IMPOSSIBILE EST, UT SIT TRITICUM SINE PALEA, ITA FIERI NON POTEST UT SIT SOMNIUM ABSQUE VERBIS FALSIS.

Superest autem hic locus magni momenti, qui explicatione in-

indiget: scilicet, Quod si quis Propheta mala populo merenti comminetur, e.gr. famem aut gladium, aut inundatam iri ipsorum regionem, vel descensura in eos fulmina, atque ejusmodi alia, quorum deinde nihil eveniat, verum remisso ipsis peccato res prospere succedant; non tamen inde constet demendacio Prophetæ illius, ut Pseudopropheta qui morte mulctandus sit, habeatur: quod pœnituerit Deum mali, cum forsan pœnitentiam egerint, aut a peccatis suis destiterint, aut distulerit eos Dominus, pro longanimitate suâ, atque in aliud tempus rejecerit; (sicut fecit Achazo, cui per Eliam dixit: [1 Reg. XXI. 24.] NON ADDUCAM MALUM IN DIEBUS EJUS, IN DIEBUS FILII IPSIUS ADDUCAM MALUM SUPER DOMUM IPSIUS) *Aut remiserit ob merita antecedentia. Neque enim de ejusmodi rebus loquitur, cum dicit:* NEQUE FUERIT RES ILLA NEQUE EVENIAT. *Quod si bona, tempore constituto, eventura promiserit, dicens; Futurum hoc anno pacem, evenerit autem Bellum; aut Futurum hunc annum pluvium & fertilem, fuerit autem sterilis & siccus, &c. erit hic Pseudopropheta; de cujus prætextuum falsitate & mendacio constat. Atque hic est de quo dixit Dominus* [Deut. XVIII. 20.] PER SUPERBIAM LOCUTUS EST ILLUD PROPHETA, *non timebis de eo, i. e. non terrebit neque avertet te a cæde ejus, religio, bonitas aut scientia ipsius; cum per superbiam magna professus, falsa de Deo locutus fuerit. Nam quoties Deus populo per Prophetas bona promiserit, fieri non potest quin ea perficiat; ut ita Prophetiam ipsorum apud homines confirmet. Atque hoc est quod dixerunt (majores nostri)* OMNE VERBUM QUOD PRODIERIT EX ORE DOMINI IN BONUM, ETIAM CONDITIONE ADDITA, NON TAMEN REVOCAT.

De vocibus נביא, ראה, ac חושה, hîc nihil dicam, quod illæ ab aliis satis superque sint explicatæ; quodque tam ex jam præcedentibus, quam & ex modo sequentibus

(de

(de munere Prophetarum) adhuc majorem lucem accipiant.

Media, interim, per quæ Deus Opt. Max. se suamque voluntatem (monita, mandata, minas aut promissa) primum ipsis Prophetis ac per illos II. Israelitis sub Veteri Testamento, ac Christianis sub Novo manifestavit, fuere *Visiones* ac *Somnia* Prophetica, quæ Divinâ inspiratione aut apparitione, in ipsorum (Prophetarum) mentibus operabantur. Quibus si accederent Instinctus Divinus vel mandatum illa, sive Regibus ac magnatibus, sive communi populo, aliisve declarandi, hinc oriebatur Prophetia; seu potius, in eo consistebat munus Propheticum.

Hæc firmant ista verba ipsius Dei, Num. xii. v. 6. *si quis fuerit inter vos Propheta,* Per Visionem *meipsum Jehovam notum facio ei, aut Per* Somnium *alloquor eum.* At quod de Mose testatur, id ipsi soli (testante Deo) ut longe majus ita & peculiare erat. *In os alloquor eum, (adeo ut speciem similitudinemque Jehovæ intueatur) ac non per ænigmata.*

Munus horum Prophetarum erat non simplex, sive in sola futurorum prædictione consistens: sed 1°. ex instinctu extraordinario supernaturalive, aut mandato hoc illove Divino, monebant populum, Regesve Israeliticos super rebus faciendis omittendisve, seu fugiendis aut amplexandis. Cujusmodi monitis, adhortationibus aut dehortationibus (imo & quandoque comminationibus) firmandis, si necesse foret, edebant ipsi *signum* aliquod (præcipuè tamen si nondum pro Prophetis Divinis ab Israële agniti essent) quo manifeste vel nunc in præsens, ostenderent se a Deo missos, vel in futurum, ex eventu rei monstrarent, se de re sibi mandata ipsam Veritatem, adeoque & verè mandata Divina, prædicasse.

Hinc igitur scaturiebat, quasi sua sponte, secunda ipsorum muneris pars, *futurorum*, scilicet, *Prædictio:* quam sæ-

pe Deus Opt. Max. proponeret Benedictionem maledictionemve servatis aut spretis suis mandatis in posterum subsequendas.

Neque enim in sola ista prædictione exitii *intra 40 dies* (ni forte aliter legendum sit in textu Sacro, eo quod prætensi 70. Interpretes habeant ἔτι τρεῖς ἡμέρας) *Ninive peribit:* nec, dico, in sola ista prædictione, exitii Ninevitarum, ista Missio Divina ac munus prædicandi ad Ninevitas, adeoque & Prophetia Jonæ, consistebat. Nec concipi potest, ab homine, qui mentis suæ compos esset, dum prædicando proficiscebatur per urbem Niniviticam, nihil aliud fuisse prolatum præter hæc verba, quæ versu 4 cap. III. continentur: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.* Ridicula enim admodum, ac non sani hominis certe, ejusmodi annuntiatio visa fuisset Ninevitis: ni prius hic Propheta posuisset ipsis ob oculos horrenda illa peccata, propter quæ Deus Opt. Max. hasce extremi exitii pœnas, nullâ sibi satis placenti pœnitentiâ ductis, distinaverat.

Fuisse tamen casus quibus pene solum atque unicè hi Prophetæ futura prædicerent aut prædicere viderentur; (eo quod causæ aut conditiones quibus illæ prædictiones superstructæ erant, jam dudum fuissent præsuppositæ ac præcognitæ; uti prædictiones de Messiâ, de futura liberatione ex captivitate Babylonicâ, &c. ut Deus sic per illas consolaretur Populum suum, aut ad majorem obedientiam ac pietatem excitaret: aut ob alias denique rationes, quas Deus vel soli sibi reservabat, vel in posterum demum manifestabat) satis clare patescit ex utriusque Fœderis Scriptura; ac quidem (ne plura super hisce congeram) ex 1 Sam. cap. X. v. 2, 3, 4 &c. atque ex Actor. cap. XXI. v. 10. ubi Agabus Propheta Apostolo Paulo vincula fore parata prædicit; uti jam antea (cap. XI. v. 28) famem sub Claudio Cæsare futuram prædixerat.

Nonnunquam vero aut docebant simpliciter, aut moue-
bant

bant, aut Mysteria fidei revelabant; nonnunquam autem vel plura vel pauciora, ex hisce ac superius allatis, simul, Divino instinctu ac monitu enuntiabant: sicut abunde hujusmodi exempla in Sacra Scriptura inveniri possunt.

Hæc jam dicta clarescunt magis per illa, quæ docemur ex Actis atque Epistolis Apostolicis, de *dono* ac *Munere Prophetico*, ipsorum Apostolorum tempore in Ecclesia Christiana clarissimè elucescente. Ibi namque Deus posuerat. I°. *Apostolos* II°. *Prophetas* III°. *Doctores; post illos vero Virtutes, exinde Gratias curationum, Opitulationes, Curationes, Gubernationes, Genera linguarum, Interpretationes sermonum.*

Quæ dona spiritualia (nam de merè spiritualibus, minime autem de iis quæ ullo solo studio humano acquiri possunt, hîc loquitur Apostolus) quod minime cunctis Christianis contingerent, apertissime patet ex ibi sequentibus Apostoli verbis: *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes Virtutes? nunquid omnes gratiam habent Curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? Æmulamini autem Charismata meliora.*

Neque hæc minima pars numeris Prophetici erat; quod per istam Doctrina Evangelica sarta ac tecta, aut pura atque immaculata, conservaretur.

Porro erat ipsorum munus, ut simul cum Apostolis essent *Fudamentum super quod Ecclesia superædificabatur; Prædicando Evangelium ubi necesse erat; confirmandoque illud signis atque Miraculis, si alicubi res id desideraret; Manifestando Mysteria illa Divina, symbola ac Prophetias Veteris Testamenti, quibus Evangelium J. Christi ejusque promissiones obscure adumbrata fuerant: quibusque Nativitas Filii Dei ac Messiæ ex Virgine per Sp. Sanctum; Doctrina ejus, Mors, resurrectio, Ascensio in Cælum, futurus Ecclesiæ post tempora status, ipsiusque Christi secundus adventus, cæteraque quæ ad Evangelium J. C. ipsius Regni Evangelici naturam,*

ram, ſtatum ac finem (uſque ad redditionem nempe in manus Patris ſui Cæleſtis) ſpectantia præſignificata erant : quæque alia ejuſmodi naturæ ſubinde revelabantur per Spiritum Sanctum, aut adhuc revelanda erant, atque Eccleſiæ communicanda. Ut denique eſſent etiam honori atque ſplendori Eccleſiæ Chriſtianæ, & ſimul convincerent, per Miracula divinitus edita, Judæos atque Gentiles; confirmarentque ac ſtabilirent Auctoritatem Evangelii J. Chriſti, oſtendendo ſic ipſorum Doctrinam a Deo & non ab hominibus eſſe profectam : ac quidem præcipue ſi hæc ederentur ab hominibus e vulgo, nulliſque aut Doctrina, aut ſtudiis, præter ſtudia pietatis, claris aut cognitis.

Atque ita unà cum Apoſtolis ; Evangeliſtis, Paſtoribus ac Doctoribus conſtituti fuerunt, (ex Divino inſtinctu ; monitu aut mandato) πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. *Ad conſummationem Sanctorum, in opus Miniſterii ; in ædificationem corporis Chriſti.*

Quòd *munus Propheticum*, quamvis non durationis perpetuæ, (uti iſta *Paſtorum* ac *Doctorum*) tamen maximi uſus imò neceſſitatis, erat in Primitiva Eccleſia ; *quæ fundamento Apoſtolorum ac Prophetarum ſuperædificata erat.*

CAP. II.

Ulterior jam dictorum probatio ; ubi de Saphan, Jeduthin aliiſque Prophetis diſſeritur, eorumque diſcipulis : de filiis Prophetarum. De Prophetis ſub Novo Teſtamento.

QUamvis autem præcipuus mihi ſcopus hîc tractare de *Vera Prophetia*, prout illa ab omnibus, cujuſcunque de-

demum generis, Prophetiis Falsis distinguenda est; tamen aliquid mihi de ipsa quoque dicendum videtur, quatenus a plurimis, atque etiam inter illos multis Doctissimis, Theologis, in duas dividitur species; quarum una quidem ac primaria consistat in Divinis revelationibus, atque hinc instinctu vel mandatis extraordinariis, ac modo plane supernaturali a Deo Prophetarum menti oblatis; altera vero in pia tantum atque attenta consideratione verborum Scriptorumve vere ac propriè Propheticorum; adeoque & illorum publica (sive ex munere imposito, sive ex libertate aliter concessa aut arrogata) interpretatione, aliove ejusmodi docendi modo.

Pro secunda hac Prophetiæ specie sub Vet. Testam. afferuntur primò illa, quæ 1. Sam. cap. x. v. 5. 10 & 11. leguntur *de turba Prophetarum, quasi* hi tantum fuissent Prophetarum discipuli: cumen tamen ipse, mutatus in alium virum, *Saulus*, IRRUENTE SUPER EUM SPIRITU DEI, *Prophetaret inter eos: quod mihi* ita certe capiendum videtur, uti Fr. Junius id explicat: *Animus tuus eo Spiritus dono repente imbuetur, quod ad obeundum Regium munus pertinebit; & temporario Prophetiæ dono de eo confirmabitur.* Sic Numeri xi. v. 25. *Tum descendens Jehova in nube illa allocutus est eum: & seponens de illo Spiritu qui erat super eum, indidit 70 illis viris Senioribus: fuitque, quum resideret super eos Spiritus ille, ut tum Prophetarent, & non amplius.*

Afferuntur vero secundo illa, quæ 1. Paralipom. cap xxv. vers. habentur, hoc modo: *Distixit quoque David cum Principibus Militiæ, ad Ministerium in filios Asaph & Hemanis & Jeduthunis, eos qui Prophetabant in Citharis &c. De filiis Asaphi, Zacchur. &c. sub manu Asaphi* PROPHETANTIS [הנבא על ידי המלך:] *juxta Regem.- Sic* quoque vers. 3. *sub Manus Patris sui Jeduthunis*, QUI IN CYTHARA PROPHETABAT *& v. 5. Omnes hi filii Hemanis* [להימן חוה המלך] *videns Regis, & in verbis Dei &c.*

ac denique v. 6. *Omnes isti* [loquitur de filiis Hemanis] *sub manu Patris ipsorum, incumbebant Musicæ in Domo Jehovæ, cum Cymbalis, Nabliis & Citharis, ad Ministerium Domus Dei:* EX PRÆSCRIPTO *Regis, Asaphi, Jeduthunis & Hemanis.*

Summa est, filios hosce *Asaphi* &c. nullo modo quoque fuisse (uti Patres ipsorum) *Prophetas*: sed solummodo didicisse, atque inde in Templo publice decantasse (istaque occasione etiam erudisse populum) Cantica illa Divina ac Prophetica, quæ ab ipsorum Patribus, ex inspiratione Divina, fuerant composita. Ita ut de Patribus quidem narretur, eos Prophetasse, adhibitis instrumentis Musicis: quod & de Elisâ coram regibus Joram & Josaphat prophetante legimus; uti & de Prophetis qui [1. Sam. x. v. 5. occurrebant Saulo] cujusmodi Prophetica seu Sacra Cantica, adhuc intermixta videmus Canticis seu Psalmis Davidicis: de filiis vero, *illos institutos ac doctos fuisse, in Canticis Domini*, eaque cecinisse, sub directione nominatorum Prophetarum, *Davidis, Asaphi, Hemanis ac Jeduthunis.*

Qui ritus, quum, per irruptiones Idololatriæ creberrimas, in desuetudinem venisset, instauratus denuò fuit ab rege Ezechia: qui, sicut Paralip. II. cap. 29. v. 30. habetur, *Dixit ad Levitas, ut laudarent Dominum sermonibus* DAVID *&* ASAPHI [NB] *Videntis.*

III°. Adducuntur *Filii Prophetarum*, quorum mentio fit II. Reg. cap. II. v. 7. 15. quique meo judicio fuerunt Prophetarum Discipuli, ac studio Legis (cujus codices per ista tempora solum inter Sacerdotes ac Prophetas, quantum ego perspicere valeo, conservabantur) incumbebant; Prophetarumque inspirationibus seu revelationibus (sibi per eos communicatis) quandoque gaudebant; ac si modo pie istis animum adverterent, digni reddebantur, quibus & Prophetiæ donum a Deo largiretur: uti clarum est in persona Elisæ;

cum

cum Gehazi ſibi loco iſtius doni Lepram Hæreditariam conſciverit. [Ad quale ſtudium, mea ſententia, Beatus Ap. Paulus reſpexit 1. Cor. 14. v. Corinthios inſtigare conatur, iiſque commodiſſimam viam (Charitatis Zelum) præmonſtrat : verum de hiſce Paulo inferius.] Erant quoque hi procul dubio, ipſorum Prophetarum, quaſi Apoſtoli aut Evangeliſtæ; ut quorum nomine (cum jam tota Legis notitia, non conſiſteret in Legis quoquo ſeptennio publica prælectione, nedum in prælectionibus Sabbaticis, incognitis plane ante reverſionem e captivitatie Babylonicâ) populo Iſraëlitico exiſtimem eos Prophetias ſeu Monita Prophetarum adeoque & ipſam Legem (ubi ipſi Prophetæ adeſſe non poterant) annuntiaſſe, ac ſæpiuſculè explanaſſe : quod ſub novo Teſt. faciebant οἱ ποίμενες καὶ διδάσκαλοι, *Paſtores ac Doctores* (1. Cor. 12. v. 28. & Epheſ. IV. v. 11.) uti & *Evangeliſtæ.*

Non enim ſolis Regibus ac Magnatibus, verum & toti Populo, tum Iſraëlitico, tum Judaico, ſuas Prophetias, ſive Mandata, monita, minas, promiſſa &c. denuntiare debebant : quibus commode præſtandis ipſi ſoli ſæpiuſcule non ſufficiebant.

Quod autem attinet *Prophetas ſponte currentes* &c. (Jerem. cap. 23.) illi ad Pſeudoprophetas delegandi ſunt: uti in tractatione de ſalſa Prophetia oſtendam.

Conſideranda ſunt hîc maxime illa, quæ de *Prophetia* teſtatur Sanctus Apoſtolus Petrus (2. Petri I. v. 21.) hoc modo: Οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, ἀλλ' ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι. NON *enim* UNQUAM [Sic ante me verterunt Syriaca, Arabica & Æthiopica verſiones, vetus Latina; & inter recentiores B. Ar. Montanus, Capellus aliique] *Voluntate humana allata eſt Prophetia : ſed a Spiritu Sancto impulſi locuti ſunt Sancti Dei homines.*

Prophetas autem alicubi in Scriptura appellatos fuiſſe homi-

mines, qui ſolum *Doctores*, *Paſtores*, aut *Magiſtri* [רבנים] ſive publici ſive privati, eſſent, nondum invenire potui, neque in Veteris neque in Novi Teſtamenti Scripturis. Nam quod Aaron appelletur Propheta Moſis fratris ipſius, id eatenus ſit (Exod. c. IV, 16.) quatenus, ejus velut *Os* exiſtens, proferebat ad Populum verba illa ac mandata, quæ Deus Opt. Max. Moſi, cui quaſi Ore ad os (ut cum S. Scriptura loquar) ut Populo annuntiarentur, illa injunxerat.

Neque aliter ab Apoſtolo illo Gentium appellatur Poëta *Epimenides* Gentilium *Propheta*, niſi ex ipſorum Poëtarum conficta Hypotheſi ac jactantia de ſeipſis [ut ſic etiam Auctoritate, pro iſto tempore ab ipſis deſumpta, eo melius eos convinceret] dum ſemetipſos ſuorumque ſimiles vocarent *Hypophetas* ac *Prophetas*; canerentque de nugaciſſimis ſuis figmentis, *Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.* Hinc & ridiculæ invocationes, quibus credulæ plebi perſuadere conabantur, ſe inſtinctu ac motu agitari Divino: Δεῦτε καὶ ἐννέπετε; *Muſa mihi Memora*, &c.

Nec præter ejuſmodi Prophetas, quales Apoſtolus Petrus deſcribit, ullos ullibi reperio.

Namque ut videamus, quo modo loquatur S. Scriptura, invenimus ibi ſemper Prophetas ab aliis omnibus hominibus diſcriminatos: ut ex gr. Lucæ VII. v. 39 *Hic ſi Propheta eſſet, noſſet*, &c. Matth. XXI. v. 26. *Omnes enim Joannem habent ut Prophetam* [quocum conferat lector. Marc. II. v. 32.] Joan. IV. verſ. 19. *Video te Prophetam eſſe* Joan. IX. 17. *Certe Propheta eſt.* Act. II. v. 3. (de Davide) *Propheta cum eſſet.* uti & pluribus aliis in locis.

De *Prophetis* novi Fœderis ſimilia plane teſtatur hæc eadem S. Scriptura. Quod perſpici poteſt (præterquam ex illis quæ 1 Cor. c. 12. &c. habentur) ex Eph. IV. v. 11. ubi habetur. *Et idem (Deus) dedit alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangeliſtas, alios autem Paſtores*

ſtores ac Doctores. &c. Hinc illa Act. II. v. 27. 28. *Deſcenderunt Hieroſolymis Prophetæ : & ſurrexit quidam ex iis nomine Agabus, &c.* & Act. XIII. v. 1. *Erant autem Antiochiæ, in Eccleſia quæ illic erat, quidam Prophetæ. . . . . illis autem dixit* [NB] *Spiritus*, &c. Cap. XV. v. 32. *Judas & Silas* [NB] *quum eſſent & ipſi Prophetæ.* Cap. XIX. v. 6. *Et, quum impoſuiſſet ipſis manus Paulus venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis & Prophetabant.* Quibus addi denique poteſt exemplum iſtud quatuor Filiarum virginum Philippi, cap. XXI. v. 9. 10. 11. (quibus adjungitur etiam exemplum Agabi Prophetæ) *quæ Prophetabant*, &c.

CAP. III.

De Prophetia & Prophetis quorum mentio fit 1. *Ep. ad Corinth. cap.* XIV. *ac quænam ex iſto capite (uti &* 12.) *circa res ac Perſonas conſideranda veniunt.*

OPeræ prætium interim mihi videtur ut aliquid hic quoque dicam de iſtâ *Prophetia*, cujus mentio fit Epiſt. I. ad Corinth. cap. XIV. Ex quo capite (additis aliquot aliis S. Scripturæ locis) permulti, cum Docti tum indocti, novum aliquod, ſive ſecundum, genus Prophetiæ extundere ſeſe exiſtimant.

Exquirendum igitur ac quidem curatius, duco, quanam occaſione, ac quem in ſcopum finemve directas, ſuas admonitiones, ac præcepta ſua, Apoſtolus inſtituerit.

In Eccleſia Corinthiacâ, quæ magna atque admodum inſignis erat, dederat Deus. Opt. Max plurimis ibi fidelibus (quod tamen & aliis nonnullis Eccleſiis ſingulare fuit) ſingula-

gularia, atque inter ista quoque admodum miraculosa, Dona Spirutalia: qualia erant Donum Prophetiæ, Donum Linguarum aliaque, tum 1 Cor. XII ac XIV. tum alibi memorata.

Inter ista erat *Donum Linguarum* (quamvis minime æquipolleret Dono Prophetiæ) res admodum singularis ac nullius pene exempli; præter illud quod in tot hominibus simul, ac coram tanta hominum multitudine (Act. cap. II.) Hierosolymis, Pentecostes die contigerat. Quapropter illud Donum ob externam magis speciem, & in admirationem (& sui & hominum eo præditorum) rapiebat audientes, & multum auctoritatis suppeditabat (apud exteros saltem, aliosque etiam inter Christianos minus perspicaces) iis, qui linguas ita externas, nunquam illas edocti proloquebantur. Hinc in hominibus hoc Dono præditis, circa reliqua tamen non æque illuminatis aut perfectis ac sapientibus, facillime oriebatur superbia, ac zelus quidam perversus, quo perpetuò (sive id ædificare posset Ecclesiam, sive e contrario id confusionem aut rixas excitaret) Dona ejusmodi sibi concessa, manifestare cunctis tum fidelibus tum infidelibus nitebantur: quasi pene solis sibi (ac quidem tali modo) competeret, ea quæ in ædificationem Ecclesiæ proferenda erant prædicare; quamvis plurimi Auditores minime intelligerent illa, quæ tali modo in medium proferebantur; ipsique ita loquentes sæpius non tantum Doctoribus Ordinariis, verum & iis qui (licet eodem operante spiritu) utiliori tamen Dono, i. e. Prophetiæ donati erant. (eorumque simul Auditoribus) permagno impedimento essent. Necessario enim inde confusio in concionibus Ecclesiasticis, ædificationisque (pro parte saltem) subversio, oriebatur: Ac quidem præcipue, si dum aut Ordinarii Doctores Ecclesiæ, aut ipsi Ecclesiæ Prophetæ, ex instinctu Divino docentes, populo monita sua expromebant, intempestivo horum zelo interrumpebantur aut impediebantur.

Ut

Ut igitur huic jam increſcenti malo, aliiſque inde temporis succeſſu exſpectandis, commodè obviam iretur, Sanctus Apoſtolus, cum initio capitis XII. orditur ſermonem de ſpiritualibus ſeu Spiritu Dei donatis hominibus; dum verſu 1. ait: Περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν &c. *Quod attinet autem ad eos qui donis ſpiritualibus gaudent, &c.*

Namque hæc non tam de ipſis Donis Spiritualibus, quam de hominibus illorum uno pluribuſve præditis intelligenda ſunt; uti ex ſequenti contextu facillime intelligitur.

Poſtquam enim oſtendit & Donorum Spiritualium, & hominum iis gaudentium (vel non gaudentium quoque) diverſitatem; ſecundò docet, munera, tam ex extraordinaria Spiritus operatione, quam ex ordinaria Eccleſiæ inſtitutione tributa, quam maxime eſſe diſtincta: dum verſibus 28. 29. 30. ita loquitur) uti jam ſupra, ſub finem capitis primi hujus ſecundi Tractatus, oſtendi; uti & ex IV°. Epiſtolæ ad Epheſios capite, quæ cum illis verbis ad Corinthios factis plane concordant.

Poſt quæ verba tunc Corinthiis ſuis (v. 31.) porro commendat, ut omni conamine in id incumbant; ut optima inter illa modo enumerata dona ſic a Deo ſibi acquirant. In quem finem ipſis media, ſive viam quamoptimam, commonſtrat, Exercitarionem, nempe, continuam Chriſtianæ Charitatis. Id enim clariſſime innuunt verba illa: Καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι, *Quin etiam vobis eximiam viam (eò ducentem) oſtendo.* Unde ſic ſtatim quoque tranſit ad magnam illam parentheſin de Charitate; quæ toto capite XIII. comprehenditur, ac capitibus duodecimo & decimo quarto interjecta eſt. Poſt quam denuò ad Dona Spiritualia reverſus, pergit: Διώκετε τὴν ἀγάπην, ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικά· μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύετε. &c. *Sectamini charitatem, & cum æmulatione appetite Dona Spiritualia: magis vero ut Prophetetis.*

 Inter

Inter Dona autem Spiritualia sibi præcipue sumit Donum Linguarum, cui Donum Prophetiæ, ut longe utilius, opponat: atque ostendit Donum Linguarum quidem esse eximium; at non toti Ecclesiæ, aut semper, esse proficum: quum e contrario Donum Prophetiæ omnibus Ecclesiæ membris & semper & ubique posset esse utile. Quem discursum continuat usque ad v. 29. Post quem, tùm demùm de Prophetis loquitur; ac quid ipsis, in Ecclesia loquentibus, ne confusio atque alia ædificationis impedimenta inde exoriantur, sit observandum.

Primaria differentia, quàm ponit inter Donum Linguarum ac Donum Prophetiæ, est quod [vid. v. 3 & 4] qui Prophetat. *Hominibus loquatur ædificationem, & exhortationem & consolationem. Qui loquitur Lingua, seipsum ædificet, qui vero Prophetat Ecclesiam ædificet.* &c.

Ex hisce tamen S. Apostoli verbis, multi viri docti, pluresque etiam indocti, nobis extundunt Prophetiam istam (prætensam) quæ consistat in pio solùm motu atque instinctu (non extraordinario S. Spiritûs, seu miraculoso) loquendi, vel docendi, ad ædificationem Ecclesiæ.

Sed enim, uti quidem vera hæc sunt; *qui Prophetat hominibus loquitur ædificationem, &c.* non ita vice versâ. *Qui loquitur ædificationem* &c. *Prophetat.* Nisi simul hæc duo (aut alia hisce similia) pro uno eodemque velimus habere: *Qui currit loco movetur; ergo qui loco movetur currit.*

Nil aliud igitur hìc docet Apostolus, quam istos qui Dono Linguarum gaudebant, *sibi quidem ac Deo loqui*, adeoque semetipsos tantùm (nisi & alii istarum Linguarum callentes ibi adessent) ædificare, &c. non tamen illos, qui talium Linguarum seu naturali seu præternaturali Dono minime præditi erant (quamvis aliis interim donis gaudere possent;) nisi simul adesset aliquis, qui Divinitus erat donatus, *Interpretatione Linguarum*, seu facultate eas aliis interpre-

tan-

tandi; si talis aliquis in Concione loqui desideraret, ac non ipse simul Donum Interpretationis accepisset. Quod ipsis igitur serio commendat, & quidem ex ipsius nomine Dei: ac si nullus adsit ejusmodi interpres, illos exoticis in Ecclesia linguis loqui vetat.

Post quam admonitionem Apostolus se [v. 29.] convertit ad Prophetas, illosque monet, ut ipsi quoque (licet ex instinctu Divino) minime loquerentur, (si haberent Prophetiam aliquando proferendam) nisi ordine ita servato, ut nulla confusio inde oriretur in Ecclesia: eo quod commodissime unus post alterum (si plures simul adessent, pluribusque simul, uni hoc, alteri illud, revelatum esset) Prophetare possent: ut ita inde major fructus atque ædificatio, non confusio ac destructio, exoriretur Ecclesiæ.

Hinc illis quoque præcipit, ut licet duo aut tres Prophetæ, aliquam Revelationem, Divinitus sibi datam haberent (Revelatio enim simplex a Prophetia, v. 6. expresse distinguitur) ii tamen, si alii alicui Prophetæ illic isto tempore præsenti, aliquid, majoris ponderis, seu Revelatio cum mandato proloquendi eam, data fuerat, tacere deberent.

Rationem porro addit Apostolus; quod sc. nihilominus unus post alterum Prophetare possent; *Spiritus enim Prophetarum* (i. e. Revelationes &c.) *ita Prophetis esse subjectos*, ut non cogerentur revelata sibi sine ullo respectu temporis aut modi, in publicum proferre: quod plane contrariaretur sapientiæ summi Dei, qui Deus est ordinis ac pacis, non Deus confusionis.

De Prophetis Gentilium perhibebatur, eos extra se rapi, motusque inconditos plurimos exhibere; quibus quasi numine possessi (ut sic res vulgo magis miraculo esset, ac Divinitus contingere videretur) atque impotes sui, Divino impulsu Oracula, & quidem obscurissima atque ambigua, proloquebantur: Verum talia Deus nunquam, neque sub Vet.

Teſtamento, neque ſub Novo, in Prophetis ipſius Spiritu ductis, operatus eſt.

A *viris Prophetiæ munere donatis* pergit Apoſtolus ad *Mulieres*, *Prophetandi dono ornatas* (quales quoque in Eccleſia extitiſſe ſolum exemplum quatuor filiarum Philippi ſatis ſuperque docet) iiſque ne publice, ſeu in Eccleſia, loquantur præcipit.

Hæc enim non alias reſpicere mulieres, extra illas quæ Dono Prophetiæ eſſent donatæ, patet primum inde, quod ſolis *viris* Prophetis, ſeu Donis Spiritualibus præditis, conceſſum eſſet, extraordinario modo [de ordinario, quod notandum, hîc non loquor.] in Eccleſia loquendi. 2. ex eo, quod mulieres (quantumvis alias Dono Prophetiæ præditæ, tamen eſſent, mulieres, ac propriis ſuis maritis, ſi maritatæ eſſent, ſubjectæ: vel ſi adhuc Virgines aut Viduæ, tamen viris (imprimis Prophetis) manerent ſubjectæ, tam ex Lege Naturæ, quam ex Lege Divinâ. 3. *Quod indecorum eſſet Mulieres loqui in Eccleſia.*

Ut autem ſub Veteri Teſtamento, ſi quis ſe venditaret Prophetam, examen illud, de quo ſuperius locutus fui (dum loquebar de Prophetis in populo, tam Judaico quam Iſraelitico) ſubire debebat: ita & ſub Novo Fœdere, qui ſe perhibebant Prophetas, Examini ſubjiciebantur eorum, qui Divinitus obtinebant διακρίσεις τῶν πνευμάτων; ſive Donum *diſcernendi Spiritus*: quoniam Spiritus Prophetarum (ſive eorum qui nondum erant pro Prophetis agniti) examinandi erant, *an ex Deo eſſent;* an vero ejuſmodi homines motu proprio (ſive ex falſa ac perverſa, quamvis non impia, imaginatione) Prophetare ſe prætendebant. Examen, igitur, quod hîc inſtituendum erat, non erat, an Prophetæ aut bene, aut minus bene, aut male (ſive non ad rem, ſive non ſecundum ſcientiam) adeoque aut ſecundum, aut contra, veram Doctrinam, loquerentur: ſed an verè ex Impulſu & Re-

Revelatione Spiritûs Sancti loquerentur, illa quæ in Ecclesia proferebant.

Neque enim Spiritus hujus illiusve Prophetæ ita aliorum Prophetarum judicio subjacebat; ut si protulissent aliquid de quo constabat, id ex Divina Inspiratione aut impulsu fuisse prolatum, aliorum Prophetarum examini ac judicio esset subjiciendum: quod nec Revelationes Divinæ de unâ eademque re diversis Prophetis factæ contra aut inter se possint pugnare; nec Deus, ipsarum Auctor, sibimetipsi, per diversos Prophetas, contradicat: verum Divina Veritas (circa eadem vel similia, aut eodem respectu) sibi semper eadem ac similis sit; nec denique ullum examen habere locum queat, ubi constat ipsum Spiritum Dei fuisse locutum: verum an id quod sub tali prætextu proloquebantur, verè ex Divini Spiritûs instinctu procederet. Neque enim exspectandi tantummodo erant Pseudoprophetæ; sed jam jam in Ecclesia Dei sese manifeste prodebant.

Erant enim in prima hac Ecclesia non tantum homines qui veri essent Prophetæ; verum & tales qui, quamvis id falsum esse constaret, se veros esse Prophetas perhibebant: erantque illi reverâ Pseudoprophetæ: quod mendaciis suis ita simplices fallerent ac quandoque seducerent. Erant & ejusmodi Pseudoprophetæ, qui, non quidem ex animo mendaci atque improbo, Prophetias confingebant populoque sive Ecclesiæ eos obtrudere conabantur: sed qui (ut hodiernorum temporum Enthusiastæ) sibimetipsis, ex nimia superstitione, talia persuadebant; atque exinde quoque aliis persuadere nitebantur, sua cogitata ac dicta, ut Revelationes ac Prophetias Divinitus datas, esse approbanda. Ad cujusmodi homines respiciunt verba hæc Apostoli Pauli (v. 37. cap. XIV.) Εἴ τις δοκεῖ προφήτης εἶναι ἢ πνευματικὸς, ἐπιγινωσκέτω ἃ γράφω ὑμῖν, ὅτι τοῦ κυρίου εἰσὶν αἱ ἐντολαί. *Si quis sibi videtur*

tur

tur Propheta, aut Spiritualis, agnoſcat, quæ ſcribo vobis eſſe Domini præcepta.

Multi quidem, (at ſatis præpoſtorè meo judicio) ſibi imaginantur, Apoſt. Paulum in hoc cap. XIV. Eccleſiis (Corinthiacæ ſaltem) præſcripſiſſe Ordinem quendam, Eccleſiaſticum perpetuò obſervandum. Imò quæ de Prophetis dixit, illa omnibus ac ſingulis (virilis ſexus,) fidelibus, qui aliquid ad Religionem vel cultum Divinum pertinens ſe publicè proponere ac defendere poſſe præſumebant, applicaſſe; iiſdemque adeo Libertatem publice in Eccleſia loquendi (quam hinc Prophetandi nomine baptizant) permiſiſſe, modo vitaretur confuſio.

Non videre tamen iſti homines videntur, Apoſtolum tum hìc, tum alibi, tam bene diſtinguere inter Prophetas & non Prophetas (ut ſic loquar,) ac Dona ſpiritualia (de quibus & cap. XII. loquitur) tam accurate diſcriminare: ipſumque nullo modo loqui de Ordine aliquo Eccleſiaſtico ibi formando, aut muneribus ullis ibi modo ordinario conſtitutis vel conſtituendis.

Ut autem ſatis clare patet, Apoſtolum non de Donis ordinariis (quæ pio ſtudio ac conatu, acquiruntur vel acquiri poſſunt cunctis hominibus religioni deditis) ſed de extraordinariis tantum, ac quæ præternaturali modo ac Dono acquiruntur; ſic e contrario nihil eſt in toto hoc XIV. capite, quo formam ſive ordinem aliquem ordinarium publicè docendi directe aut indirecte præſcribat. Neque id ullo modo neceſſe erat; cum primus Chriſtianiſmus ſolum eſſet *Judæiſmus reformatus.* (Chriſti enim atque Apoſtolorum, Evangeliſtarumque Diſcipuli, credebant Meſſiam, Chriſtumve, jam, ſecundum Prophetarum Vaticinia, adveniſſe; ceteri credebant illum adhuc adventurum. Adibant interim idem Templum, ac vota ibi perſolvebant (Act 21. v. 26.) adibant & eaſdem Synagogas: donec Diſcipuli Chriſti ex odio

incredulium ex illis ejicerentur, atque inde cogerentur separatas sibi congregare Ecclesias; in quibus magis secure tum precibus vacarent, tum reliquo cultui Divino inservirent.

Nec certe, quantum ad formam Ecclesiæ externam (excepto Templo, ritibusque ac cæremoniis ipsi debitis) Synagogæ ullæ aliæ quam, quæ Judæis omnibus, cujuscunque demum sectæ essent (neque enim puto hinc Essæos, quamvis proprias sibi Synagogas haberent, fuisse exclusos) communes erant: ac ritus Judaici in tantum adhuc observabantur, ut in gratiam Judæorum nondum ad Christi fidem conversorum Ap. Paulus curaverit ut Timotheus circumcideretur. Quod factum qnoque constat, posteaquam tum Antiochiæ, tum aliis in locis e Synagogis expulsi, coacti fuerant sibi separatas colligere Synagogas, sive Ecclesias, iisque Episcopos ac Presbyteros præponere. [Act. XIV. v. 23. Tit. I. v. 5. quo alludit quoque mea sententia Ap. P. 2 Timoth. II. v. 2.] Neque ullibi, quod ego sciam, memorantur Presbyteri ab Apostolis (eorumve mandato) ordinati in Urbe Hierosolymitana, aliisve, ubi tantus Presbyterorum e Judæismo ad Christianismum conversis numerus erat, ut necesse non esset, novos ex cæteris novæ Ecclesiæ membris χειροτονεῖν.

Nam licet Diaconi jam primis Ecclesiæ initiis eligerentur Hierosolymis (cæterisque consequenter in locis ubi id necesse erat) qui curam gererent fratrum, sive membrorum Ecclesiæ, qui inopia laborabant, atque a reliquis nondum ad fidem Christi conversis Judæis negligebantur, imò & ignominiosè repudiabantur; tamen non constat ullos Presbyteros ordinatos, ubi sufficiens esset numerus Presbyterorum, qui χειροθεσίᾳ Judaica in Presbyterorum Ordinem fuerant cooptati: cum aliis in locis, ac præcipue quidem extra Judæam,

(in Græcia, Asiaque minori; uti & cæteris regionibus, ubi aut parvæ nimis, aut nullæ omninò Synagogæ essent) Presbyteri more Judaico, i. e. χειροθεσία crearentur, ac forma externa Judaicarum Synagogarum (exceptâ sola Eucharistiæ administratione) servaretur.

Formam vero Synagogæ Judaicæ externam Christianis, in Synagogis Ecclesiasticisve conventibus ordinariis, fuisse servatam, patet satis clare, ex comparatione Synagogarum Judaicarum cum cætibus Christianorum. Namque exceptâ (uti modo dictum) Sacræ Cœnæ inter Christianos administratione, eodem plane modo peragebantur Sacra, tam in cœtibus, seu Synagogis, Christianis, quam in Synagogis Judaicis. Quod siquis magis clare perspicere cupiat, conferat illa quæ Josephus ac Philo (tum alii quoque Judæi) de Synagogis, tum communium Judæorum, tum Essenorum scripsere, cum iis quæ Justinus Martyr, aliique de primitivæ Ecclesiæ Christianæ congregationibus Ecclesiasticis tradiderunt.

Quod attinet autem ad munera utriusque tam Judaicæ, quam Christianæ Synagogæ, eadem certe illa erant; Quamvis aliis fere nominibus (in nonnullis saltem) expressa.

Ut enim in Synagoga Judaica erant homines qui veniebant nomine *Archisynagogæ*, *Patris Synagogæ*, ac *Presbyterorum;* qui posteriores & דרשנים *Darschenim* sive Doctores erant; ut qui publicè ibi, post Legis Lectionem, Sermones ad populum habebant, iisque eum docebant, ac monebant, adeoque & munus implebant eorum, qui a Josepho ac Philone aliisque, ut Synagogæ Concionatores describuntur: sic etiam Synagogæ Christianæ suos habebant *Episcopos, Presbyteros ac Pastores*, cum eodem munere docendi, πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων. *ad perfectionem Sanctorum* (sicut

(sicut & Diaconos dederat εἰς ἔργον διακονίας) εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. *ad ædificationem corporis Christi*: sicque Diaconi in Ecclesia Christianâ exprimebant, pro parte, העבדים *Habavodim* Synagogæ Judaicæ.

Ut habebant in Synagoga Judaica ministros, quos appellabant חזנים *Chassanim*, quique etiam veniebant nomine τοῦ שליח צבור *Sheliach Zibbor* (vel etiam simpliciter ש"ליח *Sheliach*) *Nuntii*, vel *Ministri* Synagogæ, quique inserviebant *Archisynagogis*, ipsorumque ut Ministri seu Diaconi, parebant mandatis; ita ut quandoque Legis verba populo prælegerent, indicarent, quid ac quomodo esset legendum, in publicis precationibus populo præirent, præcinerent, atque indicarent quoque quando cœtui esset exclamandum per *Amen* &c. ita ut inde quandoque pro *Præcentore* aut *Prælectore* sumantur Shabb. 35. 2. & Sota 49. 1. atque sic quoque puerorum quasi *Ludimagistri* essent (vide Maim. & Bartenoram in Mishna, tit, de Sabbato) Ita etiam Christianis Synagogis erant *Diaconi*, iisdem pene (si non omninò) cum Ministeriis, prout magna aut parva esset hæc aut illa Synagoga, sive Ecclesia, in cujus Ministerium hi *Diaconi* fuerant electi.

Ut denique in Synagogis Judaicis erat השמש *Shammas*, aut *Subdiaconus*, qui subserviens τῷ *Chassan* (*Diacono*) seu *Chassanim*, prout majores essent Synagogæ, administrabat illa, quibus sufficere ipse *Chassan* minus poterat, ac quæ minoris momenti, viliorisque magis (ut sic loquar) ministerii essent: Sic & in Synagogis, sive Cœtibus Christianorum *Episcopi* ac *Presbyteri* suos habebant *Subdiconos*, atque eodem plane modo: nisi quod temporis tractu, ac præ magnitudine Ecclesiarum, ministeria illa (vel Ordines uti postea vocabantur) multiplicarentur, atque inde tam diversi (quot ac quales nos in paulò posteriorum seculo-

lorum Ecclesiis videmus) Ordines Ecclesiastici exsurgerent.

Cum interim, sicut in minori numero hominum prædi-tis Synagogis Judaicis, illa ministeria minoris momenti minorisve dignitatis per *Chassanim* administrabantur, ita & in Cœtibus Christianis, ipsi *Diaconi* pro *Hypodiaconis* simul, pro *Prælectoribus*, pro *Præcentoribus* similiumque Ordinum ministris (serioribus ævis inventis) veniebant: dum interea τὸ *Derash.* דרש sive *munus populum publicè docendi*, in utraque Synagoga maneret apud Presbyteros.

Non male conveniunt cum hisce jam adductis, ea quæ habet magnus ille, meritis suis in rem literariam, *Hugo Grotius*, in opere illo *de Imperio Summarum potestatum circa Sacra*, quo (verba adduco non minoris mihi ponderis viri Joan. Seldeni, ex illustrissimo ipsius opere, ac libro quidem 1. cap. 16. de Synedriis Hebræorum) nihil solidius ad summi Imperii circa Sacra jus rite asserendum collocandumque legitur; quæque ita sonant: *Accedit quod quocunque venirent Apostoli, inveniebant Synagogas satis rectè constitutas jam a Babylonicæ dispersionis temporibus: quæ si fidem* C H R I S T I, *sicut ipsis ante cæteros Evangelium prædicabatur, causæ nisi erat* (NB) *cur ab eo regimine discederent, quod multorum sæculorum experientia commendabat; neque Gentibus grave erat in re tali institutionibus se Judaicis accommodare. In Omni autem Synagoga certum est unum fuisse, qui Hebræis* ראש הכהל: *Græcissantibus autem Judæis* ἄρχων τῆς συναγωγῆς, *aut una voce* ἀρχισυνάγωγος *diceretur: quod nomen & in Evangelio, & in Actis Apostolicis sæpiuscule legitur, & ita quidem, ut unum Synagogæ Principem ubique designet, præterquam Act.* XIII. *ubi voce paulò laxius sumptâ, in unâ Synagoga plures nominantur* ἀρχισυνάγωγοι, *nimirum tum is qui*

qui Hebraice vocabatur ראש הקהל, *tum etiam ii qui* פרוסים *dicebantur; quæ vox Syriaca est, cui respondet Græca* ποίμενες: *ita enim nos docent Hebræorum Magistri, fuisse in quaque Synagoga, unum* SYNAGOGÆ PRINCIPEM; *is respondet Episcopo; deinde* PASTORES; *quos dixi (quod officium & nomen in Ecclesia Christianâ manet)* & עבודים ELEMOSYNARIOS, *qui* DIACONIS *respondent. Illo uno igitur in loco ita* PASTORES *juncti* ARCHISYNAGOGO *vocantur* ἀρχισυνάγωγοι, *sicuti sæpe in Novo Testamento* SUMMUS *Sacerdos, cum proximis Sacerdotibus vocantur* ἀρχιερεῖς, *qui apud Jeremiam* SENIORES *Sacerdotum*, &c.

Ut autem denuò revertar ad Prophetas ac Prophetiam; videamus quid de iis quoque dixerint veteres Christiani.

Quod hîc primò considerandum venit est, omnes primitivæ Ecclesiæ Scriptores unicam tantum Prophetiæ speciem [exceptâ solâ Pseudoprophetiâ] nullamque adeo præter eam, quæ in extraordinaria ac miraculosa revelatione, ac mandato de eâ, sive in publicum, sive ad privatos, perferenda consistebat, agnovisse. Cui accedit, eos in eo cunctos consentire, quod illa Prophetia, de qua S. Paulus cap. xv. Ep. I. ad Corinthios loquitur, quæque in Agabo, in filiabus Philippi Diaconi, aliisque Prophetis in Apostolorum Actis memorantur, per ejusmodi Revelationem &c. (neque ullam aliam, quæ, ut pretenditur, in solo dicendi vel munere, vel praxi, absque ulla extraordinaria missione, constiterit) in Prophetis illorum temporum sola locum habuerit.

Justinus, certè, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Hieronymus, Ambrosius aut (qui, secundum doctissimos nostri præteritique ævi, ipsius nomine venit) Hilarius, Chrysosthomus, Theophylactus & alii, id clare ac disertis verbis te-

teſtantur : ac qui inter ipſos, data occaſione, de prætenſâ ſecunda Prophetiæ ſpecie loquuntur, de ipſa loquuntur, ut de novo invento, atque applicatione quadam denominationis [vocabuli *Prophetia*] ex Veteri Fœdere petitam atque ad Novi Fœderis munera tranſlata.

Quæ Juſtinus Martyr de Prophetia pronuntiat ſunt hæc, in ipſius Apologia ſecunda : Οὐ οὐδενὶ ἄλλῳ θεοφορεῦνται οἱ προφητεύοντες εἰ μὴ λόγῳ θείῳ, καὶ ὑμεῖς, ὡς ὑπολαμβάνω, φήσετε.

Eodem modo de Prophetia ac Prophetis loquitur Cl. Alexandrinus Stromat. 1. 2. & 3. & alibi, neque alios, quam qui extraordinario Divini ſpiritûs motu agebantur Prophetas eſſe, aut inter Judæos aut inter Chriſtianos, agnoſcit.

Irenæus vero, cui *Prophetia* deſcribitur (ut ipſius verbis utar) *Prædicatio futurorum, i. e. eorum quæ poſt erunt præſignificatio;* (in deſcriptione ipſi adſtipulantur Juſtinus Martyr & Clemens Alexandrinus) de ipſa clarius loquitur, libro 3. cap. 11. *Alii vero ut donum ſpiritus fruſtrentur, quod in noviſſimis temporibus ſecundum placitum Patris effuſum eſt in humanum genus, illam ſpeciem non admittunt quæ eſt ſecundum Joannis Evangelium, in quâ* PARACLETUM *ſe miſſurum Dominus promiſit, ſimul & Evangelium & Propheticum repellunt Spiritum. Infelices vero qui Pſeudoprophetæ quidem eſſe volunt, Prophetiæ verò gratiam repellunt ab Eccleſia; ſimilia patientes his, qui propter eos qui in Hypocriſi veniunt etiam a fratrum communicatione ſe abſtinent. Datur autem intelligi, quod hujuſmodi neque Apoſtolum Paulum recipiant. In ea enim Epiſtolâ quæ eſt ad Corinthios de Propheticis Chariſmatibus diligenter locutus eſt, & ſcit viros & mulieres in Eccleſia Prophetantes.*

Tertullianus vero, lib. V. contra Marcionem (cap. 8.) poſt

post multa in istum scopum collimantia, tandem ita loquitur: *Exhibeat Marcion Dei sui Dona, aliquos* PROPHETAS, *qui tamen non de humano sensu* [de spiritu Diabolico hic nulla mentio] *sed de* DEI SPIRITU *sunt locuti; qui & * FUTURA PRÆNUNTIARUNT, *& cordis occulta traduxerint. Edat aliquem* PSALMUM, *aliquam* VISIONEM; *aliquam* ORATIONEM *duntaxat Spiritualem in* EXTASI *i.e. Amentia. Si qua* LINGUÆ INTERPRETATIO *accessit. Probet etiam mulierem apud se Prophetasse, ex illis suis sanctioribus magnidicam.*

Quæ Hieronymus habet (in verba illa, *Et Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*) *hæc sequentia sunt: Sive gratia alteri Prophetæ consensit, ut alterutrum sibi cedant, sive Spiritum humilitatis habere debent* PROPHETÆ: *quia* [NB] *Deus qui in ipsis est, non est Deus dissensionis neque superbiæ. Item hoc ait: quia in quo est* SPIRITUS PROPHETIÆ, *ipse aliis* PROPHETIS, *per societatem gratiæ, subjectus est; in quâ non æmulatur alterum Prophetare,* CUM EI FUERIT REVELATUM.

Hilarius vero, vel qui vulgo sub Ambrosii nomine venit, ad verba illa cap. XII. v. 28. *Et quosdam quidem posuit Deus,* &c. ita loquitur: *Caput itaque in Ecclesia Apostolos posuit, qui legati Christi sunt, sicut dicit idem Apostolus* (2 Cor. 5.) *pro quo legatione fungimur. Ipsi sunt Episcopi; firmante id Petro Apostolo* (Act. 1. vers. 20.) *& dicente inter cætera de Juda: Et Episcopatum ejus accipiat alter. Secundo Prophetas*] *Prophetas duplici genere intelligamus, & futura dicentes, & Scripturas revelantes: quamvis sint & Apostoli Prophetæ; quia primus gradus omnia subjecta habet. Denique pessimus Cajaphas, propter quod Princeps Sacerdotum erat, Prophetavit, ordinis utique causâ non proprii meriti. Tamen specialiter erant Prophetæ & Scripturarum Interpreces & futu-*

ra

ra dicentes ; sicut erat Agabus , qui exilia & vincula huic Apostolo prophetavit Hierosolymis ; & famem cecinit , quæ facta est sub Claudio. Ideo quamquam melior Apostolus, aliquando tamen eget Prophetis.

In eadem Apostoli verba eodem quoque modo commentatur Chrysosthomus ; quibus tum superaddit : Ὁ γὰρ προφητεύων πάντα ἀπὸ τοῦ πνεύματος φθέγγεται· ὁ δὲ διδάσκων ἐστιν ὅπου ἐξ οἰκείας διανοίας διαλέγεται· διὸ καὶ ἔλεγεν, οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι . . . . (1 Tim. V, 18.) ὁ δὲ πνεύματι πάντα λεγόμενος οὐ κοπιᾷ. διὰ τοῦτο καὶ μετὰ τὸν προφήτην αὐτὸν τέθεικεν ὅτι μὲν ὅλον ἐστιν χάρισμα, τὸ δὲ καὶ ἀνθρώπινος λόγος.

Sic paulò ante idem quoque , ad verba τῶν Ἀποστόλων, &c. dixerat : Πάντα γὰρ εἶχον οὗτοι. Δεύτερον Προφήτας ἦσαν γάρ τινες οἱ Ἀπόστολοι μὲν οὐκ ἦσαν, Προφῆται δὲ, ὥσπερ Ἄγαβος. *Omnia enim* [dona spiritualia] *possedebant hi.* [secundo Prophetas] *Erant enim aliqui, qui quamvis Apostoli non essent, Prophetæ tamen erant, sicut Agabus.* [Denuo Δεύτερον Προφήτας] Προεφήτευον γὰρ ὡς αἱ θυγατέρες Φιλίππου , ὡς ὁ Ἄγαβος , ὡς αὐτοὶ οὗτοι οἱ παρὰ Κορινθίοις· περὶ ὧν φησι· Προφῆται δὲ δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν. . . . *Namque Prophetabant, ut filiæ Philippi, ut Agabus, ut hi ipsi denique inter Corinthios ; de quibus ait : Prophetæ duo aut tres loquantur.* Eodem plane modo loquuntur & Theophylactus, & Oecomenius : qui etiam nullos alios in Ecclesia Apostolica agnoscunt Prophetas, quam qui extraordinario Spiritûs Sancti instinctu ac motu super Religione &c. eam spectantibus locuti sunt.

CAP.

CAP. IV.

De Origine secundæ speciei Prophetiæ, quæ in sola pia [absque extraordinaria revelatione] S. Sanctæ Scripturæ interpretatione (secundum plurimos) consistit; quibusque auctoribus, quibusque occasionibus, ac quibus denique temporibus, illa nata fuerit.

UNde vero ac quibus ortum debeat prætensa ista secunda species Prophetiæ, non inutile mihi videtur ut hîc paulò accuratius investigetur. Ut hoc bene percipiatur I°. Notandum est, Antistites, primitivæ Ecclesiæ tempore, magis magisque Munera, Ritus Cæremoniasque Judaicos, sive imitamenta eorum, ac denominationes, Ecclesiæ Christianæ ipsiusque MuneribusRitibusque &c. applicasse. Sic videmus (ut nunc de Ritibus &c. tantum loquar, eo quod de Muneribus jam supra aliquid dixerim) Christianos *Arcam* suam in refrigerium pauperum (ut cum Tertulliano loquar.) in Ecclesiis positam appellasse nomine ex Judæismo desumto *Corbonam*, seu *Corban*. *Ita enim Cyprianus libro de Opere & Elemosynis: Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ Corbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine Sacrificio venis, quæ panem de sacrificio quod pauper obtulit sumis. Intuere in Evangelio Viduam præceptorum cælestium memorem, inter ipsas pressuras & angustias egestatis operantem, in gazophylacium duo, quæ sola sibi fuerant minuta mittentem.*

Uti autem hic habemus *Corban*, sic & *Sacrificium*, & *Sacrificii oblationem*, sive τὸ *offerre*, in Ecclesia; quam *Oblationem*

nem (Latinis patribus ſic appellatam) Græci vocabant προσφορὰν, *Sacrificium* vero θυσίαν; ſicut & menſam ad quam εὐχαριστίαν, ſive Sacram cœnam, celebrabant ipſis appellabatur *Ara* atque *Altare*, & locus ubi illa in Eccleſia poſita erat *Sacrarium*, ſive *Sanctum Sanctorum* & θυσιαστήριον: ad quem quoque neminem præter *Sacerdotes* aut ἱερεῖς (ſic enim *Epiſcopos*, & *Presbyteros* vocabant) & *Levitas* (quo nomine ipſis *Diaconi* veniebant) admittebant. Quem Ordinem Eccleſiaſticum Græci quoque nominabant κατάλογον ἱερατικὸν, ἱερατικοὺς & ἱερατεῖον; inter quos eminentes ſive προεστῶτας, Epiſcopos nominabant *Summos Sacerdotes*. Qui titulus tandem ipſis (ut in Diſſertatione prima de Oraculis Ethnicorum notavi) ipſis, per Concilium Carthaginenſe tertium, ademptus fuit.

Porrò ſicuti illa quæ ordinaria erant in Judæiſmo, applicabant Perſonis, Muneribus ac Ritibus Chriſtianis; ſic & illa quæ extraordinaria fuerant temporibus Apoſtolicis [*Apoſtolatus*, nempe, *Prophetia*, &c.] ſuorum temporum Perſonis, Muneribus &c. applicabant.

Ita enim poſterioribus (nec tamen multò ſerioribus) ævis *Epiſcopi Apoſtolorum* nomine veniebant.

At *Chorepiſcopi* (de quibus hic aliquid dicam, eò quod ipſorum munus plurimis inter eruditos non uſque adeo perſpectum eſt) erant duplicis generis; quod minus a multis animadverſum fecit ut confuſe admodum de ipſorum munere locuti ſint.

Primi generis *Chorepiſcopi* erant, qui in parvulis oppidis majori cuidam civitati ſubjectis, in vicis ac pagis, ſimilibuſque locis, *Epiſcopi* vicem gerebant, eo modo tamen, ut nil alicujus majoris momenti inculſulto agerent *Epiſcopo* ejus civitatis, cui ipſorum ſedes adeoque & Eccleſiæ ſubjectæ erant.

In-

Invenimus pene magis quid non fuerint quam quid fuerint, aut quæ, qualis ac quanta ipsorum esset jus ac prærogativa. Videamus autem quæ de ipsis habet Canon 10. Concilii Antiocheni. Τοὺς δ' ἐν ταῖς κώμαις ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροθεσιάν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ εἰδέναι τὰ ἑαυτων μέτρα, καὶ διοικεῖν τὰς ὑποκειμένας αὐτοῖς ἐκκλησίας, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι φροντίδι καὶ κηδεμονίᾳ, καθιστᾷν δὲ ἀναγνώστας καὶ ὑποδιακόνους καὶ ἐφορκιστὰς, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι, μήτε δὲ πρεσβύτερον μήτε διάκονον χειροτονεῖν τολμᾷν, δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, ᾗ ὑπόκειται αὐτός τε καὶ ἡ χώρα· εἰ δὲ τολμήσειε τις παραβῆναι τὰ ὁρισθέντα καθαιρεῖσθαι αὐτὸν καὶ ἧς μετέχει τιμῆς. χωρεπίσκοπον δὲ γίνεσθαι ὑπὸ τῆς πόλεως, ᾗ ὑπόκειται, ἐπισκόπου. *Sanctæ synodo visum est, (1) eos qui in vicis sunt vel in Agris, vel Chorepiscopi nominantur, etsi manus impositionem Episcoporum acceperint, mensuras suas nosse; Ecclesiasque sibi subditas administrare, & harum curâ ac solicitudine contentos esse: constituere autem Lectores, & Subdiaconos, & Exorcistas; horumque promotione contentos esse: (2) minime verò audere sine urbis, cui ipse & regio subsunt, Episcopo, Presbyteros vel Diaconos ordinare. Si vero quis quæ definita sunt, transgredi ausus fuerit, eo etiam cujus particeps est honore deponi. (3) Chorepiscopum vero sub Episcopo urbis cui subjacet esse.* Huic Canoni latiùs explicando, faciunt Canon 13. Concilii Ancyrani. Can. 13. & 22. Conc. Antiocheni; uti & 13. Concili Neocæsariensis (quod eodem anno quo Ancyranum habitam fuit) hoc modo: Ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι ἐν τῷ κυριακῷ τῆς πόλεως προσφέρειν οὐ δύνανται, παρόντος ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρων τῆς πόλεως, οὔτε μὲν ἄρτον διδόναι ἐν εὐχῇ, οὔδε ποτήριον· ἐὰν δὲ ἀπῶσι, καὶ εἰς εὐχὴν κληθῇ μόνος, δίδωσιν. Οἱ δὲ χωρεπίσκοποι, εἰσιν [NB] εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα, ὡς δὲ συλλειτουργοὶ διὰ τὴν σπουδὴν εἰς τοὺς πτωχοὺς, προσφέρουσι τιμώμενοι. *Regionarii Presbyteri in urbis Dominicô offerre non possunt, Episco-*

piscopo præsente, vel Presbyteris urbis : nec panem in Oratione dare, nec poculum. Si vero absint, solusque ad orationem vocetur, dat. Chorepiscopi etiam, sunt quidem ad exemplum (τ̃) *Septuaginta, sed ut comministri* (*propter studium in pauperes* [ut pauperis gregis rustici duces] *honorati*) *offerunt.*

Omnibus tamen regionibus, aut vicis ac pagis, suos non fuisse *Chorepiscopos* (circa Alexandriam in Ægypto saltem) ostendunt Athanasii verba, quibus asserit, *In Mardoti Alexandriæ regione nunquam fuisse Episcopos aut Chorepiscopos, verum totius regionis Ecclesias subesse Alexandrino Episcopo, & singulos Presbyteros sibi proprios habere vicos.*

Erant igitur, ubi constituti essent Urbani Episcopi, *Vicarii;* quod ista *curarunt* [unde & nomen Curati] quæ ille Episcopus minus curare, ut Episcopus, poterat.

Hinc Ferrandus, in Breviario. *Chorepiscopi* id est *Vicarii Episcopi.* Cresconius in Breviario : de Chorepiscopo i. e. *Vicario Episcopi,* Isidorus : *Chorepiscopi* i. e. *Vicarii.* Denique Rabanus ; *Chorepiscopi, qui Vicarii sunt Episcoporum.*

Qui vicariatus (ut sic loquar) quoque locum habuisse videtur in istis *Chorepiscopis*, qui non [NB] in *Oppidis, Vicis* aut *pagis* constituti erant : verum in urbibus, etiam majoribus, istarum urbium quandoque Episcopos ordine sequebantur, iisque adeo in Episcopatu subserviebant.

Nam tales fuisse quoque (quod notandum est, eo magis quod id a nemine satis observetur) Chorepiscopos, clare ostendit 8. Canon Concilii Niceni : ex quo discimus; istos *Episcopos*, qui inter hæreticos constituti, inde ad Orthodoxos sese convertebant, atque adeo in ipsorum sectam transibant, *Chorepiscopi* nomen ibi adeptos fuisse, in ea urbe

be in quâ aut jam habitabant, aut in quam ad habitandum se conferebant: modo id ita concederet istius urbis Episcopus: Græca verba sunt hæc sequentia: Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν ἑαυτοὺς καθαροὺς ποτὲ, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ ὥστε χειροθετημένους αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. πρὸ πάντων δὲ τοῦτο ὁμολογῆσαι αὐτοὺς ἐγγεγράφως προσήκει, ὅτι συνθήσονται καὶ ἀκολουθήσουσι τοῖς τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας δόγμασι, τουτέστι, καὶ διγάμοις κοινωνεῖν, καὶ τοῖς ἐν διωγμῷ παραπεπτωκόσιν· ἐφ' ὧν καὶ χρόνος τέτακται, καὶ καιρὸς ὥρισται ὥστε αὐτοὺς ἀκολουθεῖν, ἐν πᾶσι τοῖς δόγμασι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. ἔνθα μὲν οὖν πάντες εἴτε ἐν κώμαις, εἴτε ἐν πόλεσιν αὐτοὶ μόνοι εὑρίσκονται χειροτονηθέντες, οἱ εὑρισκόμενοι ἐν τῷ κλήρῳ ἔσονται ἐν τῷ αὐτῷ τάγματι. εἰ δὲ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου ὄντος προσέρχονταί τινες, πρόδηλον ὡς ὁ μὲν ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας ἕξει τὸ ἀξίωμα τοῦ ἐπισκόπου. ὁ δὲ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς καθαροῖς ἐπίσκοπος, τὴν τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει· πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ ἐπισκόπῳ τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν· εἰ δὲ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσκει, ἐπινοήσει τόπον ἢ χωρεπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου ὑπὲρ τοῦ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσιν. Quæ, vertente Dionysio Exiguo, ita habent. *De his qui se cognominant Catharos, id est Mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit Sancto & magno concilio, ut Impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant. Hæc autem præ omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant, & sequantur: id est, & bigamis se communicare, & his qui in persecutione prolapsi sunt; erga quos & spatia constituta sunt, & tempora definita: ut ita Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ placita sequantur in omnibus. Ubicunque vero, sive in municipiis, sive in civitatibus, ipsi soli reperti fuerunt ordinati; qui inveniuntur in Clero, in eodem habitu perseverent: ubi autem Catholicæ Ecclesiæ Episcopo,*

vel Presbytero constituto, quidam ex illis adveniunt : certum est, quod Episcopus Ecclesiæ habebit Episcopi dignitatem. Is autem qui nominatur apud eos Episcopus, honorem Presbyterii possidebit, nisi forte placuerit Episcopo nominis eum honore censeri. Si vero hoc ei minimè placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatus, *aut* Presbyterii *locum; ut in Clero prorsus esse videatur : ne in unâ civitate duo Episcopi probentur existere.*

Hic Canon certe nobis aperit extravagandi campum latissimum, ac tractandi de *Muneribus*, *Jure* ac *Prærogativis* horum temporum *Clericorum*; de *distinctis* ipsorum *Gradibus*, *Ordinationibus*, &c. de *Hæreticis* ad Ecclesiam Orthodoxam conversis, eorumque, ratione hæreseon aut temporum diversa conditione; de *Susceptione* (seu nova admissione) longe diversâ inde in Ecclesiam Orthodoxam; de *Bigamis*, de *Lapsis;* ac de multis aliis, quæ bene intellecta, lucis plurimum afferunt rectæ ac debitæ notitiæ Historiarum Ecclesiasticarum : verum ista hujus loci minime sunt, ac nimis late nunc a scopo mihi proposito divagatus sum. Quare, ne nimium ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾷν videar (quod talia assumenta facilius Lectorem aut interturbent, aut tædio afficiant) hæc & hisce similia temporibus aliis, aliisque occasionibus, reservabo.

Regrediamur igitur ad posteriorem partem Canonis 13. Concilii Neocæsariensis; ubi videmus, secundum istos Patres, *Chorepiscopos in* 70. *Discipulorum munera successisse:* cum qua Concilii istius sententiâ concordant Clem. Alexandrinus, Chrysostomus, Ambrosius atque Hieronymus, aliique plures : dum tamen Zonaras ac Balsamo (Græci Canonum commentatores) hæc ad 70. *Seniores Mosaicos* trahant.

Ut igitur suorum temporum *Episcopos* appellabant *Apo-*

sto-

stolos, ac dictos *Chorepiscopos 70 Discipulis* comparabant; sic quoque *Episcopos* atque *Presbyteros* nominabant *Prophetas;* quasi ipsorum eo in munere successores: cum neque *Apostoli*, neque 70. *Discipuli* a Servatore nostro post Duodecim *Apostolos* electi) de quibus sermo est, ac quos alii melius pro Evangelistis habent) neque *Prophetæ*, ullos post se successores ut successores reliquerint.

Prima initia hujus denominationis (ratione *Prophetarum* &c.) videmus in Scriptoribus Latinæ Ecclesiæ: inter quos Scriptor ille, qui, commentatus in Epistolas Apostolicos, vulgo pro Ambrosio venit (dum alii dubitant fueritne Hilarius an alius quispiam) ac circa annum 380. scripsit, ita loquitur, ad Apostoli Pauli verba v. 11. cap. IV. in Epist ad Ephesios: Καὶ αὐτὸς ἔδωκε, &c.] *Apostoli Episcopi sunt, Prophetæ vero Explanatores Scripturarum:* QUAMVIS INTER IPSA PRIMORDIA FUERINT PROPHETÆ, *sicut* AGABUS, *& ut quatuor Virgines Prophetantes. Sed propter rudimenta fidei commendanda.* NUNC AUTEM (NB) *Interpretes* PROPHETÆ *dicuntur.* EVANGELISTÆ *Diaconi sunt, sicut fuit Philippus. Quamvis non sint Sacerdotes, Evangelizare tamen possunt* SINE CATHEDRA [sine sede ac munere Episcopali aut Presbyterali] *quemadmodum Stephanus ac Philippus memorantur.* PASTORES *possunt esse Lectores, qui Lectione saginent populum audientem: quia non in pane tantum vivet homo; sed in omni verbo Dei, quod procedit ex ore Dei.* MAGISTRI *vero Exorcistæ sunt, quia in Ecclesia ipsi compescunt & verberant* INQUIETOS [ἐνεργουμένους apud Græcos:] *sive ii qui Lectionibus imbuendos infantes solebant imbuere, sicut mos Judæorum est, quorum Traditio* [NB.] *ad nos transitum fecit, quæ per negligentiam obsolevit. Inter istos post* EPISCOPUM *plus esse intelligitur, qui propter reseratum*

oc-

occultum Scripturæ sensum Prophetare *dicitur: præsertim quia futuræ spei verba depromit:* Qui Ordo Nunc Potest Esse Presbyterii. *Nam in* Episcopo *omnes Ordines sunt*, Quia Primus *Sacerdos est*, hoc est Princeps Sacerdotum, & Propheta & Evangelista, *& cætera adimplenda officio Ecclesiæ in ministerio fidelium.* Verum hæc, pro hoc tempore, dicta suffecerint, de Vera Prophetia, tam Veteris quam Novi deris.

DISSERTATIONIS
DE
PROPHETIA
PARS ALTERA,
DE
FALSA PROPHETIA
FALSISQUE PROPHETIS.

DE FALSIS PROPHETIS AC FALSA PROPHETIA.

CAPUT I.

Pseudoprophetarum Falsas Prophetias nullis adscribi Diabolis vel Diabolo; sed ipsorum Pseudoprophetarum Vecordiæ, Superbiæ, Malignitati ac Mendaciis. De Tentationibus Divinis, seu quibus ipse Deus Opt. Max. homines per Pseudoprophetas, aliaque similia, tentavit, an amantes Veri Dei essent; &c. De Pseudochristis Judæorum: ut de Juda Galilæo, Theuda, Dositheo, Barchocheba, &c.

UT autem nulla mentio *Diaboli* operumve Diabolicorum præter aut supernaturalium fit a Deo ipso, aut ipsius *Prophetis*, viris verè Divino Spiritu actis, eoque ex instinctu ac mandato, loquentibus, ubi de Falsis Dìs, eorumque potentia, præscientia similibusque vere Divinitatis τεκμηρίοις atque effectibus loquuntur; sic neque ulla istorum [Diabolorum] mentio fit, ubi Deus ipse, vel ipsius *Prophetæ* de *Pseudoprophetis*, eorumve prædictionibus, loquuntur.

Hoc ſatis clare perſpicitur, tam ex iis quæ in S. Scriptura de *Pſeudoprophetis* dicuntur, quam ex illis quæ Judæi veteres, (ac præcipue quidem Maimonides) in hanc rem adducunt: cum hîc altum ſilentium illis ſit de *Diabolorum, circa Pſeudoprophetarum prædictiones, ſimiliaque, operationibus.*

Verum enim vero videamus primò, quid de iis ipſa nos doceat S. Scriprura; atque adeo an directè aut indirectè *Pſeudoprophetarum* prædictiones boni malive; promiſſiones, adhortationes, dehortationes &c. *Diaboli* præter aut ſupernaturali (hoc eſt miraculoſo) impulſui vel operationi, adſcribat. Verba Sacræ Scripturæ quæ huc faciunt, I°. ſunt illa quæ inveniuntur Deut. 18. v 19. . . . *Propheta autem ille, qui* [אשר יזיד] *arrogantiâ depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret: aut ex nomine aliorum Deorum, interficietur. Quod ſi tacitâ cogitatione reſponderis, quomodo poſſum intelligere verbum quod Dominus non eſt locutus? hoc habebis ſignum, Quod in nomine Domini Propheta ille* PRÆDIXERIT *&* *non* EVENERIT [ולא יהיה הדבר ולא יבא הוא וג] *hoc Dominus non eſt locutus, ſed* PER TUMOREM ANIMI SUI [בזדון דברו הנביא] *Propheta* CONFINXIT: *& idcirco non timebis eum.*

Quibus verbis addi poſſunt illa Jerem. cap. 23. v. 16. 17. *Hæc dicit Dominus exercituum; Nolite audire verba Prophetarum, qui Prophetant &* DECIPIUNT VOS: *viſionem* CORDIS SUI [חזון לבם ידברו] *loquuntur, non de ore Domini* [multo minus de ore Diaboli, cujus nulla plane mentio: unde optime Vatablus in hunc locum: i. e. *Somnia ſua narrant vobis, & Prophetias a ſe confictas, non quas audierunt a Domino.*] uti & illa quæ v. 22. habentur; *Non mittebam Prophetas & ipſi currebant; non loquebar ad illos & ipſi Prophetabant.* Quibus Jeremiæ verbis optime quadrant hæc Ezechielis, quæ habet cap. 13. v. 1. *Vaticina-*

nare ad Prophetas Iſraël qui Prophetant : & dices PROPHETANTIBUS DE CORDE SUO [לנביאי מלבם] *audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus. Væ Prophetis inſipientibus, qui* SEQUUNTUR SPIRITUM SUUM [Mendacii ſc.] *&* NIHIL VIDENT ולבלתי ראו.

Qui *Spiritus* rectiſſime appellatur *impurus* vel *immundus*, Zachariæ cap. 13. v. 2. &c. *Diſperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur ultra ; &* PSEUDOPROPHETAS, *&* SPIRITUM INMUNDUM *auferam de terrâ. Et erit quum Prophetaverit quiſpiam amplius ; dicent ei Pater & Mater ejus qui genuerunt eum : Non vives: quia mendacium locutus es in nomine Domini : & configent eum Pater ejus & Mater ejus genitores ejus , cum Prophetaverit. Et erit in illa die* CONFUNDENTUR *Prophetæ unuſquiſque* EX VISIONE SUA *cum Prophetaverint: Nec* OPERIENTUR PALLIO SACCINO UT MENTIANTUR.

Quæ hîc de Falſis Prophetis (ſive illi *in Nomine Domini*,ſive in *Nomine Idoli vel Idolorum* Prophetarent) dicuntur, ſunt, *quod Prophetarent de corde ſuo, ſecuti Spiritum ſuum, arrogantia depravati; atque ita per tumorem animi* (talia confingentes) *locuti fuerint , nihil verè videntes* (quamvis iſto nomine ſe venditantes) *ſed* VISIONEM CORDIS SUI [NB] LOQUENTES; *atque ita Sponte atque abſque ulla Dei miſſione Divinâ currentes, operti Pallio ſaccino; ut ita* (per hujuſmodi Hypocriſin) *eo melius mentirentur.*

Hactenus ſolum de *humanis fraudibus* per verba , promiſſiones &c. factis, non de *ſignis* editis, loquitur Deus ipſe per Prophetas ſuos. Verum Deut. 13. v. 1. etiam de *ſignis* editis, imò & eventum ſortitis, loquitur; ac quidem hoc modo. *Si ſurrexerit in medio tui* PROPHETA, *aut qui Somnium vidiſſe ſe* DICAT, *& prædixerit ſignum atque Portentum ,* ET EVENERIT QUOD LOCUTUS EST; *& dixe-*

dixerit tibi, eamus & sequamur Deos alienos (quos ignoras) & serviamus eis: non audies verba Prophetæ illius; aut somniatoris; quia Tentat Vos Dominus Deus Vester [כי מנסה] *num sitis amantes Domini Dei vestri in toto cordo vestro, & in toto animo vestro. &c.* & v. 5. *Propheta autem ille, aut* Fictor Somniorum (vel *qui hoc somniavit somnium.*) [ההיא חלם החלום] Interficietur; *quia* &c.

Ex verbis autem *Quia tentat vos Dominus* &c. clare perspicitur, non ullum *Diabolum*, verum *ipsum Deum* talia, tali in casu, signa vel portenta edidisse. Et, meâ quidem sententiâ, hæc eadem causa quoque fuit cur Deus *Pseudochristis ac Pseudoprophetis* permiserit, ut *ederent signa magna & prodigia, ita ut in errorem adducerentur, si fieri posset, etiam electi:* quod tentaret etiam sic Dominus Deus primitivæ Ecclesiasiæ Christianos, num essent Amantes Domini, &c.

Tentationum exempla ab ipso Deo factarum habemus (ne plura adducam) I°. Samuelis libri primi cap. 31. v. 1. ubi, *Deus concitat Davidem ut populum numeret.* II°. in *Viro isto Dei Divinitus misso ut Prophetaret* (1 Reg. cap. 13. v. .) *contra altare in Bethel.* Si vero aliquis hic inferre velit, *Deum falsis Prophetis nihil unquam Divinitus revelasse* vel *mandasse*, cogitet is de Bileamo; qui quamvis, alias esset קוסם sive *Hariolus*, tamen ex voluntate Divina, pro tempore, non tantum verus veri Dei Propheta Fuit: sed etiam de Salvatore nostro vere Prophetavit. De his verò Prophetis (tum de illo qui mentitus fuerat Vero Deo, tum de modo nominato Bileamo) nullibi directe aut indirectè indicatur, ipsos ope Diaboli, vel Diabolorum, supernaturali Prophetias suas, seu Vaticinia Falsa, protulisse; verum (2 Pet. c. 2. v. 15.) de Bileamo exserte; eum, *relicta recta via, mercedem iniquitatis dilexisse* i. e. mendacia Vaticinia lucri gratiâ protulisse. Quod & verba Judæ Apostoli firmant (v. 11.)

Qui-

Quibuscum minime pugnant quoque verba Apostoli Joannis (Apoc. c. 2. v. 14.) nostra sed per quæ causa, magis elucidatur; quod nempe (cum jam spes lucri evanesceret plane, ex vera Prophetiâ, non contra Israelem, verum ipsum Balac, prolatâ) ille, ne in totum illo lucro esset frustratus, eò deflexexerit, ut consilium pessimum ipsi (Balac) dederit; ac media monstrarit, quibus populum Israëliticum plane deperderet.

Quæ Rabbi Moses Maimonides, pene omnibus cæteris Judæis cordator, docte pariter ac judiciosè, de Pseudoprophetis ac Pseudoprophetia disserit, in (נאב מוסי) Porta Mosis, seu dissertationibus super Misnajoth, sunt hæc sequentia; prout illa ex Arabico convertit eruditissimus circa Arabica Pokockius: *Dico igitur primo, Canones in lege nostrâ de Prophetis traditos, ita se habere scilicet, eos qui Prophetiæ munus sibi vendicant in duo distingui genera; eorum qui in nomine Idoli, & eorum qui in nomine Domini vaticinantur. Prophetia autem in nomine Idoli duplicis rursum est generis; primum, quum surgens Propheta, dixerit, hujusmodi stella influxu suo spirituali in me demisso, dixit*, HOC MODO, ME COLITE VEL, HOC MODO ME INVOCATE: *nec non cum ad Idoli aut* TELESMATIS *alicujus cultum invitat, dicens; hoc mihi illud indicavit, hoc mihi nuntiavit; vel præcepit mihi, ut juberem ipsum tali modo coli: quomodo facere solebant* PROPHETÆ BAAL & PROPHETÆ LUCI. II°. *cum dixerit quispiam, venit ad me a Deo revelatio, colendum esse Idolum tale, aut spiritualem ejusmodi influxum tali modo eliciendum (rationem interim aliquam cultus, & actiones aliquas describens, quibus utuntur qui tali dediti sunt cultui, quemadmodum inter fundamenta nostræ Legis traditur) hic etiam inter Prophetas Idololatricos censendus est; cum hoc nomen comprehendat non solum illos qui dicant, ipsum Idolum se coli jussisse, aut aliud aliquid mandasse: sed & eos qui dicant,*

cant, Dominum creaturæ alicujus cultum præcepisse. Cum igitur audiemus quempiam quolibet horum modorum se Prophetam venditasse, atque hoc manifestò de ipso probatum fuerit, debet ille strangulatione e medio tolli, sicut dixit Deus: Propheta Autem Ille Vel Somnians Somnium Morte Afficietur. *Neque habebitur ratio [muneris] quod sibi vendicat, neque requiretur ab ipso signum. Imò etsi miracula ediderit ad professionem istam confirmandam, quibus nihil unquam magis mirum audivimus, nihilominus strangulabitur, nulla istorum Miraculorum habita ratione. Causa enim* [NB] *ob quam rata fuerint ista miracula, ea est, quam assignat Scriptura, dicens* [Deut. 13, 3.] Quoniam [NB] Tentat Vos Dominus Vester, *&c. Testimonium enim intellectûs, qui professionem ejus falsi arguit, oculi qui miracula ipsius viderit Testimonio firmius est: cum apud intellectu præditos demonstratione certâ probatum sit, non debere magnificari, neque coli præter unum qui condidit omnia, & ab omnibus perfectione summa distinctus est. Porrò qui in* Nomine Domini *vaticinantur, duplici etiam sunt, in genere.* I°. *Cum quis in Nomine Domini Prophetans ad ipsum homines allicit, & ad eum colendum incitat, dicens, Deum præceptum aliquod, de numero eorum quæ continet liber Legis, detraxisse. Neque interest quicquam addiderit vel abstulerit, sive iis quæ in textu Legis habentur, sive ipsorum explicationi traditione acceptæ. Uti siquidem addat vel detrahat iis, quæ in textu habentur, hoc modo: Dixit mihi Deus, spatium quo pro præputiatis habendi sunt fructus, duorum tantum annorum esse, post quos fructibus sativis vesci licitum: vel dicendo: Dixit mihi Dominus quatuor annis illicitum erit illis vesci, loco ejus quod dixit Dominus,* Tribus Annis Incircumcisi Erunt Vobis *&c. Atque ita in ejusmodi aliis. Nec non si aliquam, quamcunque tandem, in traditione mutationem fecerit, etiam favente ipsi textûs literâ.* Ex. gr. *si di-*

dicat, dictum ejus in Lege, ET ABSCINDES MANUM EJUS, *non parcet oculus tuus, de abscissione revera id intelligendum esse, non autem de mulctâ, pudore* [*alium*] *afficienti constituta, prout traditione acceptum est: atque hoc Prophetiæ acceptum ferat, dicens, Dixit mihi Dominus dictum suum;* ET ABSCINDES MANUM EJUS [Deut. 25. v. 12.] *prout sonat intelligendum: hic etiam strangulatione tollendus erit, cum Propheta mendax sit, Deo* [NB] *illud affingens, quod Deus ipsi non dixit. Neque ejus, ob signum aut Miraculum ab ipso patratum, ratio habebitur. Cum Propheta ille qui Miraculis suis totum mundum* ...... *cuique ut crederemus fidemque haberemus, infixit Deus cordibus nostris (asserente ipso Deo, cum dixit*, ET TIBI CREDENT IN SECULUM) *jam antea nobis denuntiaverit, non proditturam, a Deo aliam ab istâ Legislationem. Atque hoc est quod dicit* [Exod. 19, 14.] *Non est in cœlis ipsa ut dicas, Quis ascendet pro nobis in cælum, &c.* ET QUOD DICIT; IN CORDE TUO, ET IN ORE TUO *hoc innuens vel sententias quæ ore traduntur, vel conclusiones quæ speculatione (unâ ex potentiis ex corde oriundis) eliciuntur; quibus etiam aliquid vel addi vel detrahi vetuit, dicens;* NON ADDES ILLI, NEQUE DIMINUES DE EO [Deut. c. 4. v. 2. & 12. v. 32.] *Ideoque dixerunt majores quibus pax; non est Prophetæ concessum, ut aliquid immutet. Cum ergo sciamus ipsum in eo quod sibi vendicat, in Deum mendacem esse*, EIQUE AFFINGERE *quod ab ipso illi non sit dictum, necesse est, ut eum morte afficiamus, declarante Scripturâ, dum dicit:* PROPHETA [Deut. cap. 18. v. 20.] QUI ADDIDERIT, &c. MORIETUR PROPHETA ILLE. *Secundo, cum* [*quis*] *ad Deum* [*colendum*] *homines invitat, atque ad præceptum ejus custodiendum incitat, nec non ut Legem observent denuntiat, idque citra additionem vel diminutionem (sicut dixit ultimus eorum, Me-*

mentote [Malach. c. 4. v. 14.] *Legis Mosis servi mei, cui mandavi in Horeb super omnem Israel, statuta & Judicia) qui ipsam observaverit bona promittens; at transgredienti pœnas interminans, uti fecerunt Jesaia, Jeremia, Ezechiel cæterique, alia interim a Lege præcipiens, & prohibens, ex.gr. si dicat: Expugnate nunc regionem istam, aut sectam istam; sicut olim, mandavit Samuel Sauli, ut Amelecum* occideret, *aut quem prohibeat morte afficere; sicut Elias prædixit Joramo, ne Exercitum Hazaelis, qui Samariam ingressus est, deleret (uti notum est) & ut vetuit Esaia aquam intra muros derivari; & ut interdixit Jeremia Isaelitis, ne egrederentnr extra Jerusalem; cum ejusmodi aliis. Cum ergo Prophetiæ [munus] sibi vendicaverit Propheta, ita ut illud Idolo acceptum non referat, neque Legi quicquam addat aut detrahat, verum alias quasdam insistat vias, eo modo quo explicavimus,* TUM OPUS EST UT EUM PROBEMUS; QUO VOCATIO EJUS NOBIS SIT COMPERTA. *Quoniam cum de alicujus vocatione constat, tenemur omnia quæ jubet, tam majoris quam minoris [momenti] præstare: & quicunque transgressus fuerit aliquod ejus mandatum, tenetur morte per manus Dei [infligenda] ex dicto Domini de eo qui transgressus fuerit mandata Prophetarum;* EGO [Deut. c. 18. v. 19.] REQUIRAM AB ILLO. *Quod si vera non comprobatur vocatio ejus, ipse Strangulatione perimendus est.*

Si consideremus porro, quinam ac quales *Pseudoprophetæ* fuerint quandoque inter Judæos, uti & *Pseudochristi*, qui sese pro Messia promisso illo liberatore, Populo Judaico venditarent; eumque falso isto prætextu misere admodum seducerent: invenimus I°. in Scriptis Veteris Testamenti, totas quandoque catervas, imò centenos pluresque simul *Pseudoprophetas* extitisse in Israële; qui sub falso revelationum Divinarum prætextu, mandatorumque iis adjunctorum, menda-

daciis atque imposturis suis aut Reges, aut populum, aut etiam hos ambos simul, seducebant, eosque a vero Deo ad falsos Deos, ad Idola, atque adeo ad Idololatriam, perducebant. Ipsorum vero Prophetiæ quales, & signa ac miracula qualia, fuerint, tam ex exemplis Eliæ & Michæ, quam ex exemplo illius Prophetæ senis qui (1 Reg. c. XIII, v. 12. & sequentibus) mendaciis suis (quibus fingebat Dominum Deum ad se fuisse locutum) Virum illum Dei, qui contra Altare in Bethel prophetaverat, seducebat; eique exinde interitus causa extitit.

Atqui ut ante captivitatem Babylonicam terra Israëlitica scatebat hujusmodi Falsis Prophetis: sic (2.) nec posteris temporibus (imo maxime quidem brevi tempore ante veri Messiæ adventum, brevique post eundem) *Pseudoprophetæ* ac *Pseudo-Christi*, vel *Pseudo-Messiæ*, defuerunt.

Ostendit hoc, inter alios, *Judas ille Galilæus*, seu *Gaulonita*, uti & ante ipsum *Theudas*: quorum amborum fit mentio Actor. c. V, 36 & 37. in Oratione Gamalielis, hoc modo: *Ante hos enim dies extitit* THEUDAS, *dicens se esse aliquem: cui adhæsit numerus Virorum circiter quadringentorum: qui occisus est, & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc extitit* JUDAS GALILÆUS *in diebus descriptionis, avertitque populum multum post se, & ipse periit, & omnes quotquot paruerunt ei dispersi sunt.*

De *Juda Galilæo* Flavius Josephus, lib. XVIII. cap. I°. ac II°. (dum ipsum quoque *Gaulonitam* appellat) narrat; *hunc, adjuncto sibi Pharisæo Saddoco, solicitasse ad defectionem populos; dum dictitaret Censum nihil aliud esse quam manifestam servitutis professionem, atque universam gentem ad tuendam libertatem adhortaret. Fore enim, ut re bene gestâ, fortunis suis fruantur feliciter, & confirmati in earum possessione laudem quoque sibi parent fortitudinis: nec sperandum*

auxilium cœlestis numinis, nisi ipsi quoque rebus suis consulant. Quæ sic vulgi pronis auribus accipiebantur, ut accenderentur ad audendum aliquid; ita ut dici vix possit, quantum hi viri totam Gentem Judaicam conturbaverint; dum (sub prætextu Religionis ac pietatis, quod solum Deum Dominum ac principem appellandum atque habendum esse pertinacissime affirmarent) omnia miscerent cædibus & latrociniis, promiscuisque nullo amicorum aut inimicorum respectu prædationibus, & insignium virorum cædibus; prætextu quidem propugnandæ libertatis publicæ, sed reverà privatorum lucrorum studio: quo non in præsens tantum turbarunt rempublicam; sed futurarum quoque cladium extiterunt seminarium.

De *Theuda* idem Josephus, libro 20 cap. 2 hæc sequentia narrat: Φάδου δὲ τῆς Ἰουδαίας ἐπιτροπεύοντος, γόης τις ἀνὴρ Θευδᾶς ὀνόματι, πείθει τὸν πλεῖστον ὄχλον ἀναλαβόντα τὰς κτήσεις ἕπεσθαι πρὸς τὸν Ἰορδάνην ποταμὸν αὐτῷ. Προφήτης γὰρ ἔλεγεν εἶναι, καὶ προστάγματι τὸν ποταμὸν σχίσας, δίοδον ἔφη παρέξειν αὐτοῖς ῥᾳδίαν, καὶ ταῦτα λέγων πολλοὺς ἠπάτησεν. οὐ μὲν εἴασεν αὐτοὺς τῆς ἀφροσύνης ὄνασθαι Φάδος, ἀλλ᾽ ἐξέπεμψεν ἴλην ἱππέων ἐπ᾽ αὐτούς, ἥτις ἀπροσδόκητος ἐπιπεσοῦσα, πολλοὺς μὲν ἀνεῖλε, πολλοὺς δὲ ζῶντας ἔλαβεν, αὐτόν τε τὸν Θευδᾶν ζωγρήσαντες, ἀποτέμνουσι τὴν κεφαλὴν καὶ κομίζουσιν εἰς Ἱεροσόλυμα. *Phado autem regente Judæam impostor quidam nomine* THEUDAS *persuasit magnam multitudinem, ut assumptis mobilibus suis sequerentur sese ad fluvium Jordanem. Dicebat enim se esse Prophetam, seque jussu suo divisurum fluvium, qui transitum ipsis esset præbiturus. quæ dum affirmabat multis sic imponebat. Non tamen permisit Phadus ut sua frueretur insania: sed immisit in ipsos Equitum turmam, qui ipsis ex improviso supervenieris, multos peremerunt, multosque vivos comprehendebant, ipsumque* THEUDAM *vivum capientes, ac capite plectentes, id detulerunt Hierosolymam.*

An vero hic *Theudas* alius fuerit ab illo, qui Act. c. V 36.

36. a Gamaliele memoratur, uti Celeberrimus Beza ad hunc locum dum commentatur existimat, eruditorum judicio, atque ulteriori disquisitioni, relinquo.

Hisce adjungendi sunt alii *Præstigiatores, atque impostor. Ægyptius* ille; de quibus idem Josephus, lib. eod. cap. 6. sic loquitur: Ὁι δὲ γόητες καὶ ἀπατεῶνες ἄνθρωποι τὸν ὄχλον ἔπειθον αὐτοῖς εἰς τὴν ἐρημίαν ἕπεσθαι. δείξειν γὰρ ἔφασαν ἐνεργῆ τέρατα καὶ σημεῖα κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόνοιαν γενόμενα. καὶ πολλοὶ πεισθέντες, τῆς ἀφροσύνης τιμωρίας ὑπέσχον. ἀναχθέντας γὰρ αὐτοὺς Φῆλιξ ἐκόλασεν. ἀφικνεῖται δέ τις ἐξ Ἀιγύπτου κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα, προφήτης εἶναι λέγων, καὶ συμβουλεύων τῷ δημοτικῷ πλήθει, σὺν αὐτῷ πρὸς ὄρος τὸ προσαγορευόμενον ἐλαιῶν ἔρχεσθαι· ὃ καὶ τῆς πόλεως ἄντικρυς κείμενον ἀπέχει στάδια πέντε. θέλειν γὰρ αὐτοῖς ἐκεῖθεν ἐπιδεῖξαι, ὡς κελεύσαντος αὐτοῦ πίπτει τὰ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν τείχη, δι᾽ ὧν τὴν εἴσοδον αὐτοῖς παρέξειν ἐπηγγέλλετο. Φῆλιξ δὲ, ὡς ἐπύθετο ταῦτα, κελεύει τοὺς στρατιώτας ἀναλαβεῖν τὰ ὅπλα, καὶ μετὰ πολλῶν ἱππέων τε καὶ πεζῶν ὁρμήσας ἀπὸ τῶν Ἱεροσολύμων, προσβάλλει τοῖς περὶ τὸν Ἀιγύπτιον. καὶ τετρακοσίους μὲν αὐτῶν ἀνεῖλε· διακοσίους δὲ ζῶντας ἔλαβεν. ὁ δὲ Αἰγύπτιος αὐτὸς διαδράσας ἐκ τῆς μάχης ἀφανὴς ἐγένετο. PRÆSTIGIATORES *vero & impostores suadebant multitudini, ut sese sequerentur in desertum; ostensuros se enim ipsis dicebant vera prodigia, & signa ex Dei providentia facta. Et multi ab illis persuasi insaniæ suæ pœnas dederunt; retractos enim illos iis affecit Felix. Adveniebat circa idem tempus quoque* ALIQUIS EX ÆGYPTO *Hierosolymam, qui se dicebat Prophetam, ac communi plebeculæ suadebat, ut secum tenderent in montem Oliveti dictum, qui quinque stadiis distat ab urbe; se inde enim ipsis velle monstrare, quomodo, ipso id jubente, lapsuri essent muri Hierosolymæ, per quos ipsis introitum præbiturum promittebat. Felix vero ut ista audivit jubebat, ut milites arma assumerent; & cum equitibus ac peditibus ex urbe ruens Hierosolymâ, tendebant in* ÆGYPTIUM *ejusque comites; ac quadringenta quidem ipsorum ac-*

occidit, ducentos vero vivos cepit. Quibus & hæc sequentia, ex eodem scriptore, adjungam: Πλάνοι γὰρ ἄνθρωποι καὶ ἀπατεῶνες, προσχήματι θειασμοῦ, νεωτερισμοὺς καὶ μεταβολὰς πραγματευόμενοι, δαιμονᾶν τὸ πλῆθος ἔπειθον, καὶ προῆγον εἰς τὴν ἐρημίαν, ὡς ἐκεῖ τοῦ Θεοῦ δείξοντος αὐτοῖς σημεῖα ἐλευθερίας. ἐπὶ τούτοις ὁ Φῆλιξ, ἐδόκει γὰρ ἀποστάσεως εἶναι καταβολὴ, πέμψας ἱππεῖς καὶ πεζοὺς ὁπλίσας, πολὺ πλῆθος διέφθειρε. μείζονι δὲ ταύτης πληγῇ Ἰουδαίους ἐκάκωσεν, ὁ Αἰγύπτιος ψευδοπροφήτης. παραγενόμενος γὰρ εἰς τὴν χώραν, ἄνθρωπος γόης, καὶ προφήτου πίστιν ἐπιθεὶς αὑτῷ, περὶ τρισμυρίους μὲν ἀθροίζει τῶν ἠπατημένων. περιαγαγὼν δ' αὐτοὺς ἐκ τῆς ἐρημίας εἰς τὸ ἐλαιῶν καλούμενον ὄρος, ἐκεῖθεν οἷόν τε ἦν εἰς Ἱεροσόλυμα ἐλθεῖν βιάζεσθαι, καὶ κρατήσας τῆς τε Ῥωμαϊκῆς φρουρᾶς, καὶ τοῦ δήμου τυραννεῖν, χρώμενος τοῖς ξυνεισπεσοῦσι δορυφόροις. φθάνει δὲ αὐτοῦ τὴν ὁρμὴν ὁ Φῆλιξ ὑπαντιάσας μετὰ τῶν Ῥωμαϊκῶν ὁπλιτῶν, καὶ πᾶς ὁ δῆμος συνεφήψατο τῆς ἀμύνης. ὥς τε συμβολῆς γενομένης, τὸν μὲν Αἰγύπτιον φυγεῖν μετ' ὀλίγων· διαφθαρῆναι δὲ πλείστους τῶν σὺν αὐτῷ. τὸ δὲ λοιπὸν πλῆθος σκεδασθὲν ἐπὶ τὴν αὐτῶν, ἕκαστον διαλαθεῖν. κατεσταλμένων δὲ καὶ τούτων, ὥσπερ ἐν νοσοῦντι σώματι, πάλιν ἕτερον μέρος ἐφλέγμαινεν. οἱ γὰρ γόητες καὶ λῃστρικοὶ συναχθέντες πολλοὺς εἰς ἀπόστασιν ἐνῆγον, καὶ πρὸς ἐλευθερίαν παρεκρότουν, θάνατον ἐπιτιμῶντες τοῖς πειθαρχοῦσι τῇ Ῥωμαίων ἡγεμονίᾳ, καὶ πρὸς βίαν ἀφαιρήσεσθαι λέγοντες, τοὺς ἑκουσίως δουλεύειν προαιρουμένους. μεριζόμενοι γὰρ εἰς τὴν χώραν κατὰ λόχους, διήρπαζόν τε τὰς τῶν δυνατῶν οἰκίας, καὶ αὐτοὺς ἀνῄρουν, καὶ τὰς κώμας ἐνεπίμπρασαν. ὥστε τῆς ἀπονοίας αὐτῶν, πᾶσαν τὴν Ἰουδαίαν ἀναπίμπλασθαι. IMPOSTORES *vero homines &* CIRCUMFORANEI PRÆSTIGIATORES, *sub prætextu inspirationis Divinæ, novitates ac rerum permutationes efficere conati, persuadebant populo se Divino agitari spiritu, ac deducebant homines in desertum; quod ibi* [ut perhibebant] *Deus ostensurus esset viam Libertatis. In hos misit Felix (quod hoc ipsi videretur initium rebellionis) equites ac pedites armatos; sicque magnam multitudinem interemit. Majori tamen vulnere afflixit Judæos* PROPHETA ÆGYPTIUS. *Namque hic ho-*

homo præstigiator, cum in hanc regionem appulisset; & Prophetæ fidem [atque Auctoritatem] *sibi acquisivisset, circa triginta millia hominum, ex illis quos deceperat congregavit; ac circumducens illos ex deserto in montem, nomine Oliveti, unde potuisset pervenire Hierosolymam illamque vi capere, &, devictis custodia Romana ac populo, exercere Tyrannidem; ad se transfugientes in id usurpans Satellites. Verum Antevertit ipsius impetum Felix, occurrens ipsi cum militibus Romanis; quibus & omnis populus subsidio veniebat: ita ut post conflictum partium inter se,* ÆGYPTIUS *in fugam actus fuerit, paucis ipsum concomitantibus; perirent autem quamplurimi eorum qui ab ipsius partibus steterant, reliquaque multitudo domum aufugiens ibi delituerit. Subsidentibus quidem hisce (motibus,) ut in corpore morboso, alia iterum pars incendebatur.* PRÆSTIGIATORES *enim ac* PIRATÆ *simul collecti multos ad rebellionem seducebant, atque ad Libertatem incitabant, mortem minitantes iis qui fidem Romanis servare perseverabant: atque affirmantes, per vim se ipsos Romanis detracturos, quibus illi tam libenter serviebant. Dividentes se vero per agmina ac globos, diripiebant divitum domos, ipsosque trucidabant, & pagos ipsorum igne consumebant: ita ut istorum furore ac terrore tota repleretur Judæa.*

Si nunc ulterius consideremus, qualesnam *Pseudoprophetæ* memorentur, post jam natum Salvatorem nostrum Jesum Christum (præter Simonem Magum aliosque, de quibus adhuc paulo inferius loquar;) occurrit Act. XIII, 6. ille impostor *Barjesus*, de quo Lucas ibi hæc sequentia: Διελθόντες δὲ τὴν νῆσον ἄχρι Πάφου, εὗρον ἄνδρα τινα μάγον ψευδοπροφήτην ἰουδαῖον, ᾧ ὄνομα Βαριησοῦς, ὃς ἦν συν τῷ ἀνθυπάτῳ Σεργίῳ Παύλῳ, ἀνδρὶ συνετῷ· οὗτος προσκαλεσάμενος Βαρνάβαν καὶ Σαῦλον, ἐπεζήτησεν ἀκοῦσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. Ἀνθίστατο δὲ αὐτοῖς Ἐλύμας ὁ μάγος (οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ) ζητῶν διαστρέψαι τὸν αν-

ἀνθύπατον ἀπὸ τῆς πίστεως. Σαῦλος δὲ (ὁ καὶ Παῦλος) πλησθεὶς πνεύματος ἁγίου, καὶ ἀτενίσας εἰς αὐτὸν, εἶπεν ὦ πλήρης παντὸς δόλου καὶ πάσης ῥᾳδιουργίας, υἱὲ διαβόλου, ἐχθρὲ πάσης δικαιοσύνης, οὐ παύσῃ διαστρέφων τὰς ὁδοὺς κυρίου τὰς εὐθείας; *Peragratâ vero insulâ, Paphum usque, invenerunt quendam* MAGUM PSEUDOPROPHETAM JUDÆUM, *cui nomen erat Barjesu, qui erat cum Proprætore Sergio Paulo, viro intelligente. Hic advocatis Barnaba & Paulo, expetivit audire Sermonem Dei. Obsistebat autem eis* ELYMAS, *i. e.* MAGUS *(ita enim explicatur nomen ejus) studens avertere Proprætorem a fide. Saulus autem (qui & Paulus,) repletus spiritu Sancto, intentis in eum oculis, dixit: O plene omni dolo, & ad quodvis scelus facilitate, fili Diaboli, hostis omnis justitiæ, non cessabis pervertere vias Domini rectas?*

Quæ de horum nominum (*Barjesus & Elymas*) etymologia &c. disputantur, videantur apud D. de Dieu, Bochartum & alios; quod ea hujus loci non sint. Quæ vero super hoc contextu consideranda veniunt, sunt 1. Quod hic impostor vocetur *Magus* 2. quod etiam *Pseudopropheta Judæus*: de quibus *Pseudoprophetis* modo egi jam pro parte; uti & de *Magis* acturus sum, ubi de Divinatoribus in Veteri Testamento memoratis, ac quidem in specie de מכשפים *Mecaspim* tractabo.

3. Quibusnam mediis hîc *Barjesus* Sergium Paulum, virum Evangelisto non illaudatum (ac forsan in Judaismum Judaicosque mores propensum; quales plurimi extitere inter Gentiles, ob unicum Deum ac Dominum ibi pie ac prudenter colendum) avertere studuerit ab Apostolorum prædicatione ac Doctrina Evangelica. Hæc autem fuere doli ac scelera, sub prætextu veræ Religionis proculdubio ac pietatis patrata; ac forsan quoque Præstigiæ, quibus ejusmodi homines sibi aliquantulum obaudientes deludere satagunt; miraculaque ac signa cælestia prætendunt; quamvis nullis arti-

bus

bus super aut præternaturalibus aliquid efficere (multo minus perficere) valeant.

Verum enim vero appellat ipsum Apostolus filium Diaboli: quod minime mirum; quia Sacra Scriptura ita & alibi loquitur de improbitate atque hominibus improbis: sic enim opponit Sanctus Jacobus, Cap. III, 15. *Sapientiam Cœlestem, Sapientiæ Dæmoniacæ.* Sic 2 Tim. III, 3. ac Tit. II, 3. *ipsi homines improbi* (Calumniatores) *appellantur Diaboli.* Sed maxime hîc ad rem faciunt verba Apostoli Joannis (Epist. I. cap. III, 8. 10 & 12.) Ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστίν *Qui facit peccatum ex Diabolo est.* Ἐν τούτῳ φανερά ἐστι τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ καὶ τὰ τέκνα τοῦ διαβόλου *Ex isto manifesti sunt Filii Dei & Filii Diaboli.* Ac denique Οὐ καθὼς Κάϊν ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν &c. *Non sicut Cain ex improbis erat.* Quibus nullo modo denotantur homines qui artibus superaut præternaturalibus Diaboli utebantur; verum impii ac Deo ipsis cognito minime obedientes.

Hujus farinæ quoque erat ille *Jonathas*, de quo denique jam sæpius memoratus Josephus, libri 7. de Bello Judaico cap. penultimo, hæc sequentia tradit: Ἥψατο δὲ καὶ τῶν περὶ Κυρήνην πόλεων ἡ τῶν σικαρίων ἀπόνοια καθάπερ νόσος. διαπεσὼν γὰρ εἰς αὐτὴν Ἰωνάθης, πονηρότατος ἄνθρωπος, καὶ τὴν τέχνην ὑφάντης, οὐκ ὀλίγους τῶν ἀπόρων ἀνέπεισε προσέχειν αὐτῷ, καὶ προήγαγεν εἰς τὸν ἔρημον, σημεῖα καὶ φάσματα δείξειν ὑπισχνούμενος. καὶ τοὺς μὲν ἄλλους ἐλάνθανε ταῦτα διαπραττόμενος καὶ φενακίζων· οἱ δὲ τοῖς ἀξιώμασι προὔχοντες τῶν ἐπὶ τῆς Κυρήνης Ἰουδαίων, τὸν ἔξοδον αὐτοῦ καὶ παρασκευὴν τῷ τῆς Πενταπόλεως Λιβύης ἡγεμόνι Κατύλλῳ προσαγγέλλουσιν. ὁ δὲ ἱππέας τε καὶ πεζοὺς ἀποστείλας, ῥαδίως ἐκράτησεν ἀνόπλων, &c. *Pertingebat & ad Cyrenes civitates dementia ac furor sicariorum, uti morbus quispiam. Nam quum ad ipsos transiisset* JONATHAS, *homo pessimus qui textrinam (alias) exercebat artem, persuasit is non paucos ex pauperum & indigentium nume-*

mero, ut sibi adhærerent; & eduxit illos in desertum; promittens se Signa ipsis & Apparitiones ostensurum. Ac multos quidem latuit (ipsius impostura) dum talia perpetrabat: Verum illi Judæi, in Cyrene, qui in aliqua dignitate atque honore erant, ipsius conatus & apparatus Præfecto Lybiæ Pentapoleos Catullo annuntiabant: qui & Equites & pedites armatos ipsis immisit, atque inermes quam facile devicit.

De *Dositheo* vero hæc Origenes, lib. I°. contra Celsum: Καὶ μετὰ τοῦ Ἰησοῦ δὲ χρόνους ἐθέλησε καὶ ὁ Σαμαρεὺς Δοσίθεος πεῖσαι Σαμαρεῖς, ὅτι αὐτὸς εἴη ὁ προφητευόμενος ὑπὸ Μωσέως Χριστός· καὶ ἔδοξε τινῶν τῇ ἑαυτοῦ διδασκαλίᾳ κεκρατηκέναι. *Post Jesu quoque tempora Dositheus Samarita conatus est persuadere Samaritis, se esse Christum illum a Mose prænuntiatum: & visus est invenisse Discipulos.* De quo Dositheo, quod *Filium Dei* semetipsum appellaverit, idem testatur Origenes, lib. VI. atque (in tomo quarto) ad Joannem, hoc modo: *Nec sane ignorandum est, ut Jesus seipsum ex Judæis Messiam dicebat & demonstrabat; sic Dositheum etiam quendam extitisse, ex Samaritanis, qui seipsum diceret Messiam Prophetarum: ex quo usque nunc Dositheani sunt; libros Dosithei circumferentes, & fabulas quasdam enarrantes de eo perinde, quasi ille non perierit, sed alicubi in hac vita degeret.*

Huic *Dositheo* addas & *Barchocheban*, quem sicut Justinus Martyr ut principem rebellionis Judæorum sub Adriano; sic & inter persecutores Christianorum numerat; ac de quo Eusebius, lib. IV. cap 6. Historiæ Ecclesiasticæ, ita loquitur: Ἐστρατήγει δὲ Ἰουδαίων τηνικαῦτα Βαρχοχέβας ὄνομα, ὃ δὴ ἀστέρα δηλοῖ, τὰ μὲν ἄλλα φονικὸς καὶ λῃστρικός τις ἀνήρ· ἐπὶ δὲ τῇ προσηγορείᾳ οἷα ἐξ ἀνδραπόδων, ὡς δὴ ἐξ οὐρανοῦ φωστὴρ αὐτοῖς κατεληλυθὼς, κακουμένοις τε ἐπιλάμψαι τερατευόμενος. *Dux Judæorum tunc Barchochebas erat, quod nomen stellam significat; cæterà vir sangui-*

gui-

guinarius ac prædator : ex nomine autem ſuo [Barchochebas ſeu Stella] *perditis mancipiis prodigioſè perſuaſerat, cœlitus ſe lucem demiſſum eſſe, quæ afflictos atque oppreſſos illuſtraret.* Ipſum talibus quaſi confirmandis Miraculorum confictorum prætextu uſum fuiſſe, ex hiſce Hieronymi (Apolog. adv. Ruffinum) verbis, ſatis clare conſtare videtur : *Tu videlicet Flammeus, imò Fulmineus, qui in loquendo fulminas; atque ut ille Barchochebas auctor ſeditionis Judaicæ*, STIPULAM IN ORE ACCENSAM ANHELITU VENTILABAT, UT FLAMMAS EVOMERE VIDERETUR, &c.

Poſt infelicem hujus Pſeudochriſti ſucceſſum, Judæi ipſum loco *Barchocheba* (quod *filium ſtellæ* denotat ; eo quod vaticinium Bileami de ſtella ex Jacobo oriundâ ſibimet applicaret) appellarunt *Bar Cuziba*, בר כוזיבא, *filium mendacii*; quamvis & prodigiis & oſtentis, prout Judæi de eo teſtantur, admirationem ac ſtuporem excitaret in populo hoc ſuperſtitioſo, qui poſt verum corpus [verum Meſſiam] ex oculis amiſſum, perpetuo nihil præter vanas umbras ſectatur; ac tales quidem, quæ ipſum magis magiſque a meliori via in præcipitias adeoque & in exitium, cum temporale tum æternum deducant. Nam præter hos memoratos, ſucceſſu temporum, non defuere nec Pſeudoprophetæ, nec Pſeudochriſti, vel Meſſiæ; qui ut Liberatores huic populo, quaſi a Deo miſſi; per conficta miracula ac prodigia, illuderent, omniaque & fauſta & felicia promitterent; dum interim, ex adverſo, eum in ſumma ſæpius diſcrimina inducerent.

Sic enim præter iſtum *David El David*, de quo & *Shebet Jehuda* (Hiſtoria illa Judaica a Georgio Gentio verſa) & Rabbi Moſes Maimonides tradit in Epiſtolis iſtis, quas in Obſervationibus ſuis ad Chronologiam illam *Zemach David* צמח דוד, R. Davidis Gans, nobis exhibet Guilhelmus

Vorstius, aliisque; multi quoque alii ex surrexerunt (inter quos unus fuit, de quo sui temporis Judæos, ut sibi bene caveant, admonet) qui aut pro vero Messia, aut pro ipsius Propheta vel Antecursore, sese venditarent ac Judæis nimis incredulis obtruderent.

Plures sane præter hosce non necesse est ut ulterius investigemus, vel ut Sabbathi Sevi, impostoris illius famosissimi hujus ævi, aliorumve faciamus mentionem. Constat enim ex hisce modo allatis satis superque, post natum Verum Christum, vel Messiam D. nostrum Jesum, semper extitisse, sæpiusve de novo surrexisse, qui pro vero Messia ejusve præcursoribus se miseris recutitis oggerebant.

CAP. II.

De Pseudoprophetis *sub Novo Testamento, ac* I°. *de* Simone Mago; *cujus fabulosè confictus in aëra volatus ex Veteribus paulo accuratius examinatur. Quæ ac qualia, circa hæc & similia* Eruditiss. Delrio *nugatus fuerit.*

AD Pseudoprophetas vero, quorum mentio fit, tum Matt. XXIV, 5, 11. & 24. tum Marci tum 1 Joan. IV, 1. tum denique alibi, pertinent, *Simon Magus, Marcus* & *Menander* eorumque discipuli, aliique hujus generis impostores, qui sub prætextu signorum miraculorumve confictorum, Divinarum Revelationum, aut aliter etiam, stultæ ac superstitiosæ multitudini imponebant. Hujus farinæ enim erant quoque ii, qui licet signa vel prætensa miracula non ederent, confictis suis Revelationibus simpliciores homines seducebant

Ho-

Horum Antesignanus, ac primus ordine temporis, erat *Simon* ille *Magus*, de quo in Actis (cap. VIII, 9.) B. Lucas, hæc sequentia breviter tradit: Ἀνὴρ δέ τις ὀνόματι Σίμων προϋπῆρχεν ἐν τῇ πόλει, μαγεύων καὶ ἐξιστῶν τὸ ἔθνος τῆς Σαμαρείας, λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν. *Vir autem quidam nomine Simon, antea in illa urbe exercuerat artem Magicam, & gentem Samariæ obstupefecerat; dicens se esse quempiam magnum. Præstigiis* igitur *Magicis* suis hic in admirationem sui ac stuporem rapiebat, adeoque & dementabat, Samaritanos; illos saltem, qui in ista urbe erant magis superstitiosi; i. e. partem plurimam: quod pene semper atque ubique in ejusmodi *Circulatoribus* atque *Agyrtis* locum habuit. Verum de hujusmodi hominum imposturis disserendi occasio melior inferius dabitur.

De hoc autem *Simone* affirmat Justinus Martyr, in Apologia sua secunda, *ipsum sub* [NB] *Claudio Cæsare efficacium Dæmonum arte* [διὰ τῆς τῶν ἐνεργούντων δαιμόνων τέχνης] *Magicas edidisse virtutes; ac propter istas Deum fuisse habitum, ipsumque ut Deum statua fuisse honoratum*, &c.

Simonem vero hunc (ut hoc in transitu hic dicam) nulla *vera signa*, verum conficta, ac præstigias edidisse, neque in arenam & pugnam descendisse, ac congredi, super hac re, cum Apostolis valuisse, satis aperte patet ex verbis istis, v. 13. *Simon vero & ipse credidit, & baptizatus perdurabat apud Philippum: & conspiciens Signa & Virtutes magnas edi, obstupefiebat.* Unde & de prætenso volatu ipsius ac cæteris, quæ de ipso, fabularum credulis nimium scriptoribus memorantur, judicium ferre possint Lectores paulo magis circumspecti. Et hic tamen à Cedreno (qui & provocat ad Clementem illum Romanum, de quo testatur Apostolus Paulus, Philipp. IV, 3.) ut alter *Dares* Virgilianus, *Solus qui Paridem solitus contendere contra*, contra Apostolorum vere

Antesignantum Petrum in certamen deducitur; ac tandem (ægre tamen) ab Apostolo victus prosternitur.

Verum ut denuo redeamus ad Justinum; in eadem quoque Apologia pene omnia hæc repetit, cæterisque superaddit, eum & SACRUM *Senatum & populum Romanum eò perduxisse stuporis, ut Deus haberetur.* Quæ autem Irenæus, de hoc eodem Simone hîc ad rem facientia tradit, sunt: *Et cum adhuc magis non credidisset Deo, & cupidius intendit contendere adversus Apostolos, uti & ipse gloriosus videretur esse; & universam Magiam adhuc amplius inscrutans, ita ut in stuporem cogeret multos hominum (quippe cum esset* [NB] *sub Claudio Cæsare, a quo etiam statuâ honoratus esse dicitur propter Magiam) Hic igitur a multis quasi Deus glorificatus est.*

Eusebius, qui longo intervallo post hosce modò citatos scripsit, Justini verba quidem adducit, eique Irenæum consonare asserit; sed nil præterea ipsorum narratiunculis superaddit.

Origenes, dum contra Celsum Epicureum scribit, ait, *Simonem Samaritanum Magum, per Magiam suam quosdam decipere fuisse conatum; atque effectu ad tempus non caruisse: ipsius vero tempore* (hoc est A°. Domini circiter 250,) *vix* 30. *Simonianos in toto orbe inveniri potuisse.*

Verum ex Africanis Scriptoribus Arnobius (cum nihil aliud de eo dixisset Tertullianus quam, *Cum Simonem Magum Statua & inscriptione Sancti Dei inauguratis;* ac Minutius Felix, etiam ubi optima dabatur occasio loquendi, de eo silentium tenuisset) hæc satis audenter affirmat: *Viderant enim currum Simonis Magi & quadrigas igneas Petri ore difflatas &, nominato Christo, evanuisse. Viderant inquam fidentem Diis Falsis. & ab iisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus jacuisse præfractis: post deinde perlatum Brundam, cruciatibus ac dolore defessum,*

ſum, ex altiſſimi culminis præcipitaſſe faſtigio. Quæ omnia vos geſta neque ſcitis neque Scire voluiſtis, &c.

Hunc Arnobium igitur primum habemus narratorem, tum Simoniani iſtius miraculoſi incepti, tum caſus ac mortis ejus, per preces Apoſtoli Petri, miraculum.

Huic porro conſentit celeberrimus ille nomine Aurelius Auguſtinus; qui, in ſermone de Petro ac Paulo, ita loquitur: *Cum enim idem Simon ſe Chriſtum diceret & tanquam Filius ad Patrem aſſereret ſe poſſe volando conſcendere, atque elatus ſubitò Magicis artibus volare cœpiſſet: tunc Petrus fixis genibus præcatus eſt Dominum, & præcatione Sancta vicit magicam levitatem. Prior enim adſcendit ad Dominum oratio quam volatus, & ante pervenit juſta petitio quam iniqua præſumptio. Ante inquam, Petrus in terris poſitus obtinuit quod rogavit, quam Simon perveniret in Cæleſtia, quo tendebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de ſublimi aëre depoſuit, & quod præcipitio* IN SAXA *elidens ejus crura confregit. Et hoc in opprobrium factum illius eſt; ut qui ante volare tentaverat, ſubitò ambulare non poſſet: & qui pennas* [NB] *aſſumpſerat, plantas amitteret.* Alibi tamen hic idem Auguſtinus (nempe lib. I. de hæreticis) *In quâ urbe beatus Petrus eum* [S. Magum] *verâ omnipotentis Dei virtute extinxit.* Certe hìc de interitu ipſius Romæ exſerte loquitur, cum in ſuperiori de ſolis cruribus confractis affirmet.

Neque aliter fere de ipſius morte loquitur Epiphanius; qui, lib. I. de Hæreſibus, affirmat, ὅτι ἐν μέσῃ τῇ τῶν Ῥωμαίων πόλει, ὁ τάλας καταπεσὼν τέθνηκε, *quod miſer ille*, IN MEDIA URBE *Roma, ex alto decidens perierit.* Cui porro ſuffragium credulus ille Sulpitius Severus confert, dum, ulterius hanc fabulam adornare aggreſſus, *Paulum* [NB] hìc *Petro* conjungit, eaque Neroni, non Claudii, ſub imperio contigiſſe ſic aſſerit: *Etenim tum illuſtris illa adverſus Si-*

mo-

monem Petri ac Pauli congressio fuit. Qui cum magicis artibus, ut se Deum probaret, duobus suffultus Dæmonius, evolasset [*admetitur hic quippe Diabolos*] *Orationibus* APOSTOLORUM *fugatis Dæmonibus, delapsus* IN TERRAM, *populo inspectante, disruptus est.* Cui paria pene faciens hic quoque Ambrosius, quamvis paucioribus verbis (nisi quod de Apostolo Paulo altum teneat silentium) in Hexameron, lib. IV. & cap. VIII. ita loquitur: *Sic Petrus Simonem alta cœli magico volatu petentem, dissoluta carminum potestate, dejecit ac stravit.*

Nicephorus (Ecclesiasticæ Historiæ lib. II. cap. 36.) post alia admodum ridicula narrat, *Simonem manibus extensis sursum versum, Dæmonibus eum quibus se permiserat ducentibus, sublatum volasse per aera: Petrum autem admodum anxium fuisse, & cum Deo in corde collocutum per precationem; ac tandem spiritu plenum potestates illas, quæ nefarium hominem in sublime attollebant, increpasse, & ut ab eo discederent jussisse. Quo ille statim præcipitem deorsum delatum, & humi allisum, mortuum fuisse ac disruptum.*

De cruribus confractis, interim, non de morte Simonis, loquitur *Maximus Taurinensis*: eum *percussum fuisse ab Angelo* Philastrius asseverat. Quibus adjungat Lector Isidorum Pelusiotam & Theodorum de hæresibus, & Lactantium, de Mortibus persecutorum: qui & suo modo hanc fabellam exornant.

Si vero hæc omnia nimis inter se discrepantia, adeoque incerta nimis tibi, Lector, videantur, audias ipsum Apostolum Petrum (uti prætenditur) hanc historiam enarrantem: ut cujus ipsa verba, ex cap IX lib. VI. Constitutionum sic affert Cedrenus: Ὅς καὶ ποτε μεσούσης ἡμέρας προελθὼν εἰς τὸ θέατρον, ἐπηγγείλατο δι' ἀέρος ἀναπτῆναι, πάντων θαυμαζόντων ἐπὶ τούτῳ. Ἐγὼ δὲ Πέτρος καθ' ἐμαυτὸν ηὐχόμην. καὶ δὴ μετεωρισθεὶς ὑπὸ δαιμόνων, ἵπτατο μετάρσιος εἰς τὸν ἀέρα, λέγων εἰς τοὺς οὐρα-

νοῦς ἀνιέναι, κἀκεῖθεν τοῖς λαοῖς τὰ ἀγαθὰ ἐπιχορηγήσειν. Τῶν δὲ δαιμόνων ἐπευφημούντων ὡς θεὸν, ἐκτείνας ἐγὼ τὰς χεῖρας εἰς ὕψος, ἱκέτευον τὸν θεὸν, καταῤῥάξαι τὸν λυμεῶνα. Ἀτενίσας οὖν εἶπον τῷ Σίμωνι· Εἰ Ἀπόστολος Ἰεσοῦ χριστοῦ εἰμὶ ἐγὼ, καὶ οὐχὶ πλάνος, ὥσπερ σὺ Σίμων, προστάσσω ταῖς πονηραῖς δυνάμεσι, ἀφεῖναί σε τῆς κρατήσεως. καὶ ταῦτα εἰπόντος μου κατηνέχθη μετ' ἤχου πολλοῦ, καὶ συνετρίβη· καὶ τοῦ ὄχλου βοήσαντος, εἷς θεὸς ὃν Πέτρος καταγγέλλει. *Quin & aliquando in Theatrum progressus promisit se per aërem sursum evolaturum, omnibus id mirantibus. Ego autem mecum tacitus precabar Deum. Et quidem Simon a Dæmonibus sublevatus, in aërem sublimis efferebatur professus in cœlum se ascendere, indeque bona populis suppeditaturum. Dæmones vero ei tanquam Deo faustis acclamationibus plaudebant. Tunc ego manibus sursum intentis suppliciter a Deo petii, ut hanc hominum pestem deturbaret: ac Simonem, in eum defixis oculis, ita sum allocutus: Si ego Apostolus sum Jesu Christi, & non impostor sicut tu es, ô Simon; impero malis geniis, ut te missum faciant. Hæc me dicente, magno ille cum sonitu decidit, &* CONFRACTIS MEMBRIS INTERIIT; *turba populi tunc acclamante, unum esse Deum, qui a Petro prædicaretur.*

Hîc ergo ipse Apostolus Petrus in scenam prodit: verum si quis solum legat ista, quæ de Pseudepigraphis Apostolicis eruditissime scripsit J. Dallæus, videbit quanti illa Constitutionum farrago æstimanda sit; quæ quoque, ut ut ante seculum quintum conficta fuerit, non nisi jam quinto seculo adulto primum comparere cœpit, plurimaque præterea absurda ac falsa, & tam ipsorum Apostolorum, quam primitivæ Ecclesiæ doctrinæ & ritibus contraria multa, præcipit.

Videamus interim denuò quibus ac qualibus hæc Fabella nitatur testimoniis. Justinus, uti & Irenæus, loquuntur quidem de statua, ac [NB] Claudii sub Imperio ipsi erectâ: sed

sed multum in ejus statuendæ causa, &c. discrepant: nam Justinus affirmat, ipsum Simonem a Senatu populoque Romano Deum habitum; atque ex illa causa ipsi Statuam velut Deo fuisse erectam; cum Irenæus solùm dicat, ipsum Statua fuisse honoratum; quod frequenter admodum, imo pene quotidie fiebat iis, de quibus ne minima quidem Divinitatis opinio erat: uti cunctis iis notissimum est, qui vel leviter admodum in Antiquitate versati sunt.

Addit quidem Irenæus, *hunc a multis quasi Deum glorificatum fuisse;* at Justinus affirmat Eum *ab ipso Senatu* (non solo populo) *Romano*, pro Deo fuisse habitum, atque ut Deo ipsi Statuam fuisse consecratam.

Quam facile autem Justinus sibi tum hîc tum alibi imponi passus fuerit, patet ex iis quæ de Statua Simoni, Romæ in insula Tiberina, ut *Sancto* ac *Deo*, erecta narrat; cum apud omnes eruditos constet illam Inscriptionem, ex qua nimium credule id affirmat, (uti & plures alias ejusmodi Inscriptiones) *Semoni Sanco Deo Fidio*, adeoque ipsi *Herculi* dicatam fuisse, arasque ipsas ac Statuas huic Deo consecratas: tum & ex istis quæ de ruinis cellularum in insula Alexandrina, adhuc exstantibus affirmat; ut sic (non malo quidem animo: verum a Judæis impostoribus deceptus) eo melius prætensis istis 70. Interpretibus suffragaretur.

Clemens Alexandrinus, & post illum Origenes, ambo inter Patres Græcos (imò & præter ipsos quoque Tatianus, Athenagoras, Theophilus) eruditissimi viri, nec minor inter Latinos Tertullianus, ac post ipsum Minutius Felix, cum omnes optimam (imò & pene necessariam) occasionem haberent hæc, si vere contingissent, de Simone narrandi, altum de ista re silentium tenent; ac non minus de Statua ipsi ut Deo consecratâ, quam de Lapsu isto ex aëre tacent.

Primus Arnobius, iis verbis, quæ jam ex ipso attuli, ipsius casum ex alto narrat. Eusebius interim (qui raro

ali-

aliquid omittit, quod licet fabulosum sit ab ipsis vetustioribus scriptoribus fuerat adductum (uti exemplis clarissime ostendi posset) hîc tamen nihil plane præter Justini verba adducit; ac præterea nihil, quam iis & Irenæum consentire, addit. Cujus Eusebii tamen officium fuerat, hæc si contigissent, accurate ipsa, suisque circumstantiis adornata enarrasse, nobisque, ut partem aliquam historiæ Ecclesiasticæ quam maxime memorandam, tradidisse.

Quam belle autem cæteri hujus fabulæ narratores cum Arnobio, atque ulterius inter sese, conveniant, patet I. ex eo quod dum ipse tradit, Simonem curru ignito in Aërem evectum fuisse, cæteri dicant, hoc contigisse suffulcientibus ipsum Diabolis, ac quidem duobus uti Sulpitius Severus habet licet alii numerum non addant. II. Quod Arnobius & Augustinus ipsum ex casu illo supervixisse affirment (licet Augustinus alibi aliter loquatur, uti ostensum est; atque adeo sibi ipsi hic minimè constet) neque Ambrosius de ipsius morte ex casu aliquid exprimat; cæteri tamen (Epiphanius nempe & Nicephorus & Cedrenus) statim post preces Petri ipsum delapsum atque extinctum dicant.

III. Quod Sulpitius Severus hoc Miraculum Petro ac Paulo simul; cæteri vero id Soli Petro adscribant.

IV. Quod Justinus atque Irenæus dicant ipsum Claudii tempore Romæ versatum fuisse; cum reliqui ipsum Neronis, ac quidem postremis ipsius temporibus, ibi versatum, illudque contigisse Miraculum, narrent.

Stupendæ sane sunt Jesuitæ Del Rio assertiones, ubi de *translationibus* sive *transvectionibus*, ut sic loquar, *per Aërem*, ope Diabolica effectis, loquitur: ita enim audacter admodum affirmat: *Probatur etiam id experientiâ tot exemplorum ut sine protervia quis dissentire nequeat. Gravissimi Sanctissimique Patres* [Clem. Rom. lib. 6. Constit. Apostol. Egesippus, lib. 3. Histor. Arnobius, lib. 2. Cyrillus Hierosol.

rosol. Catech. 6. Epiphanius, Ambrosius, Maxim. & alios: hos enim exserte adducit] *referunt* (vide hîc certissimam certe experientiam; narrant id Scripta suppositia, ac Scriptores seculis aliquot post nati) *c..am Petro alarum Dæmoniacarum remigio in aërem sublatum volitare visum.* [At quam bene conveniant super ista re Scriptores jam modo vidimus] *Similia de Abari Scytha leguntur.* [vide iterum novas experientiæ Jesuiticæ species!] *Badudum Brittanniæ Regem hâc arte volandi, sed & infelici exitu, parem nobis proponit Anglorum historia. De Erico Succorum Rege, quod in quam partem pileum verteret in eum subitò ab sportaretur regionem, auctor est Joannes Magnus Gotthorum Suenonnumque Historiographus, lib. 17. Berengarium Hæreticum & Magum eâdem nocte Romæ fuisse, & in Turonensi Ecclesia Lectionem decantasse tradit in Chronico Naugiacus.*

An autem Pileus iste *Erici* hæreditario postea in manus Fortunati devenerit, dijudicent illi qui libenter Monachorum nugas, quas puerulis ac mulierculis legendas conscripsere,. perlegunt: uti & an Sagæ volandi per aërem artes a Diabolo vel Abari; an vero e contra Abaris hæc a Diabolo vel Sagis dedicerit: Certe æque infelix hic Badudus male admodum hanc Magicam artem perdidicit; ac pejori cum successu quam ille Luciani (in Philopseude) Eucrates qui didicerat quidem quibus verbis pistillum in hominem (vel hominis formam), adeoque & in aquarium converteret; verum minime observaverat illa, quibus hominem istum denuo converteret in pistillum.

Quod ejusmodi quoque nugacissimas nugas de *Berengario Hæretico* narret minime mirum: cum de omnibus in universum Hæreticis eadem, vel paria, audacter, impudenter ac maligne (nisi audire mavis, Lector, Jesuiticè) affirmet; de *Waldensibus*, nempe, de *Hussitis*, de *Lutheranis*, at-

atque aliis; tum denique de dîra *Calvinismi Lue* (ut ipsam διαβάλλει) cæterisque.

Namque, uti, (sui admodum oblitus,) in suo loquitur proloquio, *Antea paucis in locis, de non multis & vilibus tantum, incertus rumor spargebatur: nunc cum ipsâ hæresi, ut cum Febri Furor plurimos passim & palam nobilitate, eruditione, divitiis & dignitate claros invasit*, &c. Certe, quamvis ipsi ipsiusve similibus, *siccum jecur ardeat ira, Difficile est Satyram non scribere. Nam quis iniquæ Tam patiens Socii, tam ferreus, ut teneat se?*

Verum, ut, omisso hoc Jesuitâ redeamus ad *Pseudoprophetas*, patet ex hoc solo *Simone Mago*, quid de Miraculis quæ multi, veteres inter Christianos, *Marco*, *Menandro*, aliisque horum similibus Pseudoprophetis adscripserunt: simulque illa *Diabolo* ut Auctori attribuerunt, sentiendum sit.

Unde non male, meo judicio, faciam, si hîc, facta non admodum magna digressione, aliquid de caussis atque ortu hæreseon in Christiana Ecclesia, uti & Scriptorum Pseudepigraphorum, adeoque & Pseudopropheticorum simplici atque incauto nimis popello (quandoque tamen & aliis) obtrusorum; porro & hinc de Canonis confectione sub Novo Testamento, paucula quoque dicam.

CAP. III.

Hac occasione, quasi per parenthesin, agitur de Tentationibus *ab ipso Deo, sub* Novo *Testamento factis, ut caussis ac mediis (inter alia,)* Falsæ Prophetiæ *&* Pseudoprophetarum. *Hinc de* Canone librorum Novi Testamenti. *De* Canonis *istius ortu, progressu & tandem perfectione; ac quam*

caute Christiani magis Orthodoxi in isto conficiendo processerint. De Apocryphis, Spuriis, suppositiis, adeoque & Pseudopropheticis, quæ Apostolis, Evangelistis aliisque viris Apostolicis (præter illa, quæ Propheticis, aliisque Veteris Testamenti membris assingebantur) attributa falsò fuerunt.

FUturos quoque in sua Ecclesia prædixerat ipse Salvator J. Christus *Pseudoprophetas;* ac quidem tales qui *ederent* σημεῖα ϗ τέρατα μεγάλα, ὥστε πλανῆσαι εἰ δυνατὸν, ϗ τοὺς ἐκλεκτοὺς. *Signa magna & prodigia, ita, ut errorem inducantur si fieri possit, etiam electi.* Ita enim loquitur tum Matth. XXIV, 24. tum Marc. c. XIII, 22. Ex Eorum numero alii inter Judæos se perhibebant esse *Messiam*, Judæis a Deo promissum; sicque contra ipsum Deum mentiebantur: alii in ipsa Ecclesia Christiana sese esse *Prophetas Dei;* Spirituque ipsius ac Revelationibus gaudere, sibi aut Falso imaginabantur, aut maligne confingebant.

Ut autem ipse Deus olim tentaverat populum Israeliticum per Pseudoprophetas [Deut. XIII, 1. &c.] sic quoque sub Novo Testamento populum illum quem de novo elegerat in *Regale Sacerdotium*, eodem pene modo tentare voluit per PseudoChristos, per Pseudoprophetas & per falsos Doctores.

Deus certe neminem *tentat* eo sensu quo *Apostolus Jacobus* ait Deum *neminem tentare*, in malum finem (seu perniciem hominum) verum in bonum, i. e. ipsorum salutem. Tales erant *Tentationes* istæ quibus tentabat *Abrahamum* [Gen. XXI.] *Populum Israeliticum* [Exod. XV, 25. & XVI, 5.] *Ezechiam* [2 *Chrom*, XXXII, 31.] pluresque aliæ; ut *tentaret*

ret eum [Populum] *Ambularetne in Lege ipsius nec ne;* atque ut *Experimento quasi innotesceret, quid esset in corde ejus:* vel (ut de Ezechia loquitur S. S.) a Deo quasi derelicto; *ut tentaret ipsum, notumque fieret quicquid fuit in corde ejus.* Qualesque *Tentationes* per *Pseudoprophetas prædixerat; eum in finem, ut tentaret sic ipsos Dominus Deus, num amantes essent Domini Dei ipsorum in toto corde, & in toto anima ipsorum.*

Sub Novo igitur Testamento Deus etiam Populum suum *tentare*, voluit, idque duplici quoque modo: ac I°. quidem per animum nobis proprium ejusque cogitationes, discursus, dubitationes, vacillationes, circa fidem &c. *Ex corde* enim *hominis.* [Matth. XV, 19.] *proveniunt malæ cogitationes;* ex quibus iterum, ni mature inhibeat habenas, (per occultas Dei *Tentationes*) in periculum incidat istorum factorum, quorum ibi mentio fit. Unde Salvator Noster J. Christus, dum Discipulos suos Orare docet, mandat inter alia uti orent; *Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos a malo isto:* ne scilicet sic inciderent, in peccata carnalia (ut sic loquar) vel in hæresin, vel denique in totalem Apostasiam.

S. Apostolus Jacobus, qui cap. 1. de *tentationibus* loquitur, duplicem hinc statuit *tentationem.* 1. quæ a *Deo* profecta in Salutem æternam nostræ animæ tendit; alteram quæ *ex propriis nostris* cupiditatibus exorta (ni maturè ac fortiter isti resistamus) in æternum ejus tendit exitium: verum de nulla *tentatione* per Diabolum facta ibi mentio. Ut autem diversimode olim tentavit Deus aut homines aliquos, aut quandoque etiam totum populum suum; sic maxime id effecit per Pseudoprophetas; per quos vel Idolatria [sub Veteri Testamento] vel Hæreses [tam sub Veteri quam Novo Test.] exortæ vel adauctæ fuerunt: dum ejusmodi homines, aut superstitiose nimis aut stulte, sibi imaginabantur,

ſe ſua ex inſtinctu Spir. Sancti proloqui; aut maligne ac doloſe talia confingebant (ἃ μὴ ἑώρακαν ἐμβατεύοντες) eoque utebantur prætextu, ut eo facilius ſua dogmata heterodoxa (quandoque & Idololatrica vel aliter pernicioſa) ſimplicium animis obtruderent ſibique per iſta Auctoritatem honorem, lucrum, aliaque demum commoda, pararent.

Illa vero quæ præterea prætendebant (præter Divinas ſc. *Revelationes*, aliaque hiſce ſimilia) erant *Traditiones*, quaſi *ex ore hujus illiuſve Apoſtoli*, vel *Scripta* quaſi *ab illis conſcripta*; cum ipſi talia confinxiſſent.

Hinc igitur Hæreſes & falſæ Doctrinæ, falſæque adeò Prophetiæ, cum ore falſorum iſtiuſmodi ſive Doctorum ſive Prophetarum, tum Scriptis divulgatæ: confictæ videlicet *Revelationes* ſive *Apocalypſes*, *Epiſtolæ*, *Evangelia*, *Apoſtoli hujus illiuſve Acta*, pluraque alia adhuc inferius adducenda, quæ *in Tentationem*, quaſi criterium verè fidelium atque infidelium, proborum atque improborum, relinquebantur Eccleſiæ: quandoquidem *opportebat ut hæreſes in Eccleſia exorirentur*, ἵνα δόκιμοι φανεροὶ γένωνται, *ut probati inde fierent manifeſti*; ſicut Apoſtolus Paulus loquitur, 1 Cor. cap. XIX.

Jam vero conſiderandum quoque quam Fabularum, Miraculorum, librorumque Patriarchis, Evangeliſtis Apoſtolis Apoſtoliciſque viris falsò ſuppoſitorum, feracia fuerint duò prima Chriſtianiſmi ſecula; eo quod tum longe facilius confingerentur ab hæreticis, qui hæreſibus ſuis ſtabiliendis & adaugendis inde Auxilium petere ſolebant; uti tali perſonata auctoritate, quaſi plane Apoſtolica in tranſverſum agerent partes ſibi circa religionem adverſas.

Integrum namque Catalogum conficere liceret tum *Evangeliorum* tum *Actorum*, tum *Epiſtolarum* tum *Itinerariorum*, tnm *Revelationum* (ſive *Apocalypſeῶn*,) tum *Lyturgiarum*, tum *Prophetiarum*, quæ ſub ſplendidis nominibus Evangeliſtarum, Apoſtolorum ac Prophetarum vel ab hæreticis, vel

etiam

etiam a multis Orthodoxæ fidei adhærentibus, at nimium simplicibus ac credulis, circumferebantur: verum alii id jam dudum fecerunt.

Ne quis autem nimium miretur id commode sat fieri potuisse, consideret is primo, plurimas *hæreses* brevi post Apostolorum excessum (e quibus nonnullæ etiam ipsis adhuc viventibus initium ceperant) ubique pene fuisse subortas: sicut istud ex Justino, Irenæo, Tertulliano, Eusebio, Epiphanio aliisque pluribus, abunde patet. 2. Christianos istorum temporum, ob continuas fere persecutiones, difficulter admodum potuisse inter se communicare, quæ hi illive viri, hæ illæve Ecclesiæ, ex Scriptis Apostolicis possiderent, ac pro talibus recte haberent.

Unde etiam accidit, ut tempore Irenæi (qui A°. 197. post Christum natum excessit) multæ adhuc Ecclesiæ sola ex traditione, per auditum, & sine ullâ Scriptura Evangelica aut Apostolica, Evangelio Jesu Christi crediderint.

Ipsa verba Irenæi, quæ id clarissime testantur sunt hæc sequentia, lib. 2. cap. 2. comprehensa: *Quid si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne opportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ Gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento Scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem; & veterem Traditionem diligenter custodientes,* &c. Quin & Chrysosthomi tempore erant Ecclesiæ, quibus Apostolorum Acta adhuc ignota erant; uti ipse, initio Commentariorum in Acta testatur.

Huic incommodo adaugendo faciebat, quod tam *Evangelia* quam *Epistolæ* (ad hanc illamve pro temporis rerumque ratione ac conditione conscriptæ) linguâ consignata essent non omnibus intellecta. Namque uti omnes libri Novi Testamenti, unica lingua Græca comparuerunt conscripta (nisi

quis cum nonnullis veterum Christianorum asserere velit Evangelium Matthæi & Epistolam ad Hebræos primum Hebraicè fuisse conscripta; atque Evangelium Marci Latinè; quorum Autographa atque apographa, si unquam fuerint in mundo, jam primis Christianismi seculis disparuerant) sic nec omnes Latini (imo minima ipsorum pars) nec multi Barbarorum, Græce intelligebant.

Notandum quoque non omnia Evangelia eodem tempore fuisse conscripta, uti nec omnes Epistolas Apostolicas; neque omnia illorum æque citò inter Christianos (etiam illos, qui linguam quâ conscripta erant intelligebant) fuisse dispersa: ac multo adhuc serius inter istas Gentes, qui hanc linguam non intelligebant, versiones ei incommodo vel defectui subvenisse: quo spectant illa verba Irenæi.

Ex hisce aliisque causis patet, Canonem Scripturæ Novi Testamenti non ab ipsis Apostolis fuisse confectum, aut commode eum potuisse confici. Summe tam credibile est ab Evangelistis & Apostolis & viris Apostolicis apographa suorum scriptorum fuisse servata, aliisque, pro occasionibus datis summo studio fuisse communicata; & ab Ecclesiis ad quas missa fuerant (si essent Epistolæ) Autographa anxie servata atque apographa ad alias Ecclesiis data occasione transmissa, atque inde Canonem, licet minus absolutum, intra Christianismi tertium ævum (hoc est inter annum centesimum ac ducentisimum post Christum natum) fuisse confectum: ac quidem primum eo modo uti ab Eusebio, l. 3. cap. 24. recensetur: quæ verba. Τακτέον ἐν πρώτοις, τὴν ἁγίαν τῶν εὐαγγελίων τετρακτύν· οἷς ἕπεται ἡ τῶν πράξεων τῶν ἀποστόλων γραφή. μετὰ δὲ ταύτην, τὰς Παύλου καταλεκτέον ἐπιστολάς· αἷς ἑξῆς τὴν φερομένην Ἰωάννου προτέραν καὶ ὁμοίως τὴν Πέτρου κυρωτέον ἐπιστολήν. ἐπὶ τούτοις τακτέον, εἴγε φανείη, τὴν Ἀποκάλυψιν Ἰωάννου, περὶ ἧς τὰ δόξαντα κατὰ καιρὸν ἐκθησόμεθα. καὶ ταῦτα μὲν ἐν ὁμολογουμένοις. τῶν δὲ ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δ᾽ οὖν ὅμως τοῖς πολλοῖς, ἡ λεγομένη Ἰακώ-

βου

βου φέρεται, καὶ ἡ Ἰούδα, ἥτε Πέτρου δευτέρα ἐπιστολὴ, καὶ ἡ ὀνομαζομένη δευτέρα καὶ τρίτη Ἰωάννου, εἴτε τοῦ εὐαγγελιστοῦ τυγχάνουσι εἴτε καὶ ἑτέρου ὁμωνύμου ἐκείνῳ. ἐν τοῖς νόθοις κατατετάχθω καὶ τῶν Παύλου πράξεων ἡ γραφὴ, ὅ, τε λεγόμενος Ποιμὴν, καὶ ἡ Ἀποκάλυψις Πέτρου. καὶ πρὸς τούτοις ἡ φερομένη Βαρνάβα ἐπιστολὴ, καὶ τῶν Ἀποστόλων αἱ λεγόμεναι διδαχαί. ἔτι τε ὡς ἔφην, ἡ Ἰωάννου Ἀποκάλυψις, εἰ φανείη, ἥν τινες ὡς ἔφην ἀθετοῦσιν· ἕτεροι δὲ ἐγκρίνουσιν τοῖς ὁμολογουμένοις. ἤδη δ᾽ ἐν τούτοις τινὲς καὶ τὸ καθ᾽ Ἑβραίους εὐαγγέλιον κατέλεξαν, ᾧ μάλιστα Ἑβραίων οἱ τὸν Χριστὸν παραδεξάμενοι χαίρουσι. Ταῦτα δὲ πάντα, τῶν ἀντιλεγομένων ἂν εἴη ἀναγκαίως δὲ καὶ τούτων ὅμως τὸν κατάλογον πεποιήμεθα, διακρίνοντες τάς τε κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν ἀληθεῖς καὶ ἀπλάστους καὶ ἀνωμολογημένας γραφὰς, καὶ τὰς ἄλλως παρὰ ταύτας οὐκ ἐνδιαθήκους μὲν, ἀλλὰ καὶ ἀντιλεγομένας, ὅμως δὲ παρὰ πλείστοις τῶν ἐκκλησιαστικῶν γινωσκομένας, ἵν᾽ εἰδέναι ἔχοιμεν, αὐτάς τε ταύτας, καὶ τὰς ὀνόματι τῶν Ἀποστόλων πρὸς τῶν αἱρετικῶν προφερομένας, ἤτοι ὡς Πέτρου καὶ Θωμᾶ, καὶ Ματθία, ἢ καί τινων παρὰ τούτους ἄλλων εὐαγγέλια περιεχούσας. ἢ ὡς Ἀνδρέα καὶ Ἰωάννου καὶ τῶν ἄλλων Ἀποστόλων πράξεις, ὧν οὐδαμῶς ἐν συγγράμματι, τῶν κατὰ διαδοχὰς ἐκκλησιαστικῶν τις ἀνὴρ, εἰς μνήμην ἀγαγεῖν ἠξίωσε. Πόρρω δέ που καὶ ὁ τῆς φράσεως παρὰ τὸ ἦθος τὸ Ἀποστολικὸν ἐναλλάττει χαρακτὴρ, ἥτε γνώμη, καὶ ἡ τῶν ἐν αὐτοῖς φερομένων προαίρεσις, πλεῖστον ὅσον τῆς ἀληθοῦς ὀρθοδοξίας ἀπάδουσα, ὅτι δὲ αἱρετικῶν ἀνδρῶν ἀναπλάσματα τυγχάνει, σαφῶς παρίστησιν· ὅθεν οὐδ᾽ ἐν νόθοις αὐτὰ κατατακτέον, ἀλλ᾽ ὡς ἄτοπα πάντη καὶ δυσσεβῆ παραιτητέον. *Primo loco habenda sunt quatuor Evangelia: post quæ sequuntur Acta Apostolorum; post illa vero ponendæ sunt Pauli Epistolæ: deinde prima Joannis primaque Petri (pro Canonicis habendæ): Denique hisce, si ita videbitur, superadde Joannis Apocalypsin: de qua quæ nobis sentienda videntur, suo tempore dicemus. Et hæc quidem Scripta unanimi consensu agnoscuntur. Inter contraversa vero, quæ tamen a multis agnita sunt numerantur Jacobi, uti & Judæ, & Petri appellata secunda, quin & Joannis secunda ac tertia; sive ab ipso sive ab alio ejus-*

ejusdem nominis viro sint conscriptæ. Inter Spuria Scripta ponenda sunt Scriptura Actorum Pauli, liber ille qui Pastor appellatur, & Apocalypsis Petri: quibus adde Barnabæ Epistolam, & Doctrinas, (ita nominatas) Apostolorum: denique, uti dixi, si ita videtur, Joannis Apocalypsin; quam aliqui parvi pendunt, aliqui vero Canonicis (sive unanimiter approbatis) accensent. Præterea aliqui sunt qui istis adnumerant Evangelium secundum Hebræos, quo maxime utuntur ii, qui ex Hebræis ad Christum conversi sunt. Quæ quidem omnia quamvis inter controversa sint numeranda, tamen ipsa quoque enumeravi, ut distinguerem sic inter illas Scripturas, quas, ex Traditione Ecclesiastica, ut veras & non confictas (vel Falsò suppositas) unanimi consensu agnoscimus, & inter istas, quæ controversæ atque hinc exclusæ, tamen ut tales a multis agnoscuntur: uti sic & hasce cognosceremus, & illas etiam, quæ sub nomine (conficto) Apostolorum ab hæreticis producuntur; sive illæ sub nomine Petri aut Thomæ aut Mathiæ veniant, sive ut aliorum quorundam Evangelia, sive ut Acta Apostolica Andreæ, Joannis & Aliorum Apostolorum; quorum (Scriptorum) nihil ullus vir Ecclesiasticus in Scripto aliquo (seu collectione Canonica) memorare dignatus fuit: sicut etiam Phraseos ipsorum Character, multum differt a phrasi Scriptorum Apostolicorum: quin & Mens & Scopus ipsorum quam plurimum discrepant a vera Orthodoxia, quod autem Virorum Hæreticorum figmenta sint clare satis ostendit: unde & illa ne quidem Nothis (seu spuriis) accensenda putat; verum plane, ut absurda & impia, rejicienda.

Videmus hic 1. Libros verè Canonicos atque ab universa Ecclesiâ (paucis tamen exceptis hæreticis) pro talibus habitos. 2. Libros controversos; at tales, qui tandem temporis tractu, ac post accuratius examen, vel examina non uno tempore facta [nam anxie admodum processisse patres primi-

mitivæ Ecclesiæ videntur, in conficiendo Canone; hincque tam diu dubitatum de nonnullis, atque expulsi denuo, qui nimis præcipitanter aut incogitanter a quibusdam, licet pio Zelo, in Canonem fuerant recepti ac pro Propheticis habiti] pro talibus ab universâ Ecclesia agniti sunt; ut Epistolæ Petri secunda, Joannis secunda ac tertia, Jacobi & Judæ: uti & Apocalypsis Joannis: quæ quidem serius apud Græcos, ac timidius (etiam tempore Hieronymi) attamen ab uterisque tam Græcis quam Romanis Ecclesiis (imo & cunctis aliis per totum terrarum orbem, quod sciam) recepta fuit.

Syriaca versio, quæ perantiqua est, hos modo nominatos, libros non exhibet quidem: verum posteriores Christiani, qui in Syria alibique isto utuntur instrumento, illos agnoscunt quoque (saltem plurimi inter ipsos) ac posteris temporibus in Syriacam transtulere linguam.

Epistola ad Hebræos numerabatur quidem etiam inter libros controversos; sed non tam ratione Auctoritatis, quam obtinere debeat; quam ratione Auctoris (an nempe ipse Apostolus Paulus illam primitus conscripserit, an vero Clementi, an Lucæ, an denique Barnabæ id tribuendum sit) ac ratione linguæ qua primum conscripta fuerit; Hebræâne an Græcâ; & si Hebraicâ, quis eam in Græcam linguam converterit. Quod ultimum & locum habet circa Evangelia secundum Matth. & Marcum; attamen nullatenus ipsorum derogat Auctoritati; uti nec hujus, de quo sermo est, Epistolæ.

Fuere quidem & alia Scripta decursu temporum Canonicis accensa, verum nulli unquam præter nunc modo enumerata, Canonicis Novi Testamenti libris, ex publica universalis Ecclesiæ auctoritate, adjuncta; multæ quidem Ecclesiæ, primis ac subsequentibus Evangelii depredicati temporibus, publice prælegebant Epistolam Clementis pluraque a-

lia ejusmodi Scripta : at sequentibus ævis illa aut rejecerunt aut neglexerunt.

Interim, sero quamvis, Vet. Testamenti Canonicis (quæ a Philone ac Josepho, 22. tantum numero fuisse Judæis tum Antiquioribus, tum illorum tempore affirmantur) alia plura fuerunt adjuncta : de quibus forsan latius aliquid disseram.

Quantum vero ulterius attinet ad Canonem Scriptorum Novi Fœderis, ac quando ille primum confectus fuerit Ecclesiarum unanimi consensu, obscurum valde, imò ignotum, id est. Nam quæ de Canone 84. inter Canones Apostolorum nomine insignitos afferuntur [ne nunc superfluè nimis hîc ostendam, posteriores Canones prætensos Apostolicos, cæteris æque suppostitiis, quamvis paulo antiquioribus, falso sub titulo fuisse affixos] quæ, dico, inter alia ibi pro Canonicis afferuntur ; Machabæorum scilicet tres libros in Canonem recipiendos esse, pugnant contra Eusebium, Athanasium Greg. Nazianzenum, Amphilochium, Cyrillum Hierosolymitanum, Epiphanium, Joan. Damascenum, Philastrium, Ruffinum, Hieronymum, denique & alios Scriptores Ecclesiasticos. Ut faciunt quoque illa, quæ (prætterita tamen Joannis Apocalypsi) tam super duabus Epistolis Clementinis, ut Canonicis, quam super Constitutionum Apostolicarum libris, male personatus Clemens, quasi Scriba Apostolicus, commendat ac quidem addita cautione hoc modo : *Clementis Epistolæ duæ, & Constitutiones vobis Episcopis, per me Clementem in octo libris editæ ; quæ non sunt omnibus divulgandæ, propter ea quæ sunt in eis Mystica.*

Ruffinus, (ille Presbyter Aquileiensis, magnique Hieronymi antagonista) in Expositione ad Symbolum Apostolicum, hoc modo tam Scripta Canonica quam Apocrypha, ut a Patribus vel in Canonem inclusa, vel ab isto exclusa, enumerat : *Itaque Veteris Instrumenti primo omnium Moysi quin-*

quinque libri sunt traditi, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: post hos Jesu Nave; Judicum simul cum Rhuth: quatuor post hæc Regnorum libri, quos Hebræi duos numerant; Paralipomenon, qui dierum dicitur liber: & Esdræ libri duo, qui apud ipsos singuli computantur, & Hester: Prophetarum verò Esaias, Hieremias, Ezechiel & Daniel: præterea duodecim Prophetarum liber unus: Job quoque & Psalmi David singuli sunt libri: Salomonis vero tres [NB] *Ecclesiis traditi, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum. In his concluserunt librorum numerum Veteris Testamenti. Novi vero quatuor Evangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis: Actus Apostolorum, quos descripsit Lucas: Pauli Apostoli Epistolæ* [NB] *quatuordecim: Petri Apostoli Epistolæ duæ: Jacobi fratris Domini & Apostoli una: Judæ una: Joannis tres: Apocalypsis Joannis.* HÆC SUNT QUÆ PATRES INTRA CANONEM CONCLUSERUNT, *ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quod & alii libri sunt qui non Canonici, sed Ecclesiastici a majoribus appellati sunt: ut est Sapientia Salomonis, & alia Sapientia quæ dicitur filii Syrach, qui liber apud Latinos hoc generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur: quo vocabulo non auctor libelli, sed Scripturæ qualitas cognominata est. Ejusmodi ordinis est libellus Tobiæ, & Judith, & Machabæorum libri. In Novo vero Testamento libellus, qui dicitur Pastoris sive Hermetis* [vel aliter ac frequentius *Hermæ*] *; qui appellatur Duæ viæ vel Judicium Petri. Quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras vero Scripturas Apocryphas nominarunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt. Hæc nobis* [NB] *a Patribus, ut dixi, tradita opportunum visum est hoc in loco designare, ad instructionem eorum, qui prima sibi Eccle-*

siæ

ſiæ ac Fidei elementa ſuſcipiunt : ut ſciant [NB] *ex quibus ſibi fontibus verbi Dei haurienda ſint pocula.*

Videmus hîc 1. Secundum Ruffinum, allatum ab ipſo Canonem eſſe Patribus traditum, adeoque & Antiquum admodum jam ipſius ævo habitum.

Certe ex illis quæ ſuperius ex Euſebio adduxi videri poteſt, parvam valde diſcrepantiam fuiſſe inter receptum, Hieronymi ac Rufini ævo Canonem, & illum quem ex Concilio Laodiceno (quod A°. poſt Salvatorem 364. habitum fuit) jam paulo inferius adducam : imò nulla eſt, præterquam quod Apocalypſis aſſumatur hic a Rufino (uti & in Prologo Galeato ab Hieronymo) quæ tamen omiſſa fuerat, atque adeo excluſa, a Synodo Laodicena : quacum concordant illa quæ ex Euſebio attulli. 2. Canonem illum qui nunc ab omnibus, quod ſciam, agnoſcitur. Proteſtantibus (ſive extr. Romanam Eccleſiam D. Noſtr. Jeſum Chriſtum confitentibus) jam dudum ante Rufini tempora fuiſſe pene unanimiter ab omnibus Orthodoxis probatum : quamvis diu admodum poſtea permanſit conteſtatio ſuper Apocalypſeos libro. 3. Libros *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici* &c. ejuſdem ordinis ac dignitatis hîc haberi cum *Paſtore Hermæ*, ac *Judicio Petri*, ſimiliſque commatis plurimis, quorum ad nos vix tenuis famæ ſublabitur aura.

Neque aliter Hieronymus; qui poſt enumeratos Vet. Teſtamenti libros Canonicos, ac paucula alia interjecta, ita pergit: *Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inſcribitur, & Jeſu filii Syrach liber, & Judith, & Tobias, & Paſtor, non ſunt in Canone. Machabæorum primum librum Hebraicum reperi. Secundus Græcus eſt : quod ex ipsâ quoque phraſi probari poteſt.*

Ex Hieronymi præfatione in Judith aliquomodo conſtare videtur, a *Concilio Nicæno* S. Scripturæ Canonem confectum & publicatum fuiſſe. Namque ita ibi loquitur: *Apud*

pud Judæos liber Judith inter Apocrypha legitur [ita enim hîc loco vocis *Hagiographa* per Sciolum quendam intrusæ, quod idem quoque ipsius præfationi in Tobiam contigit, reverâ legi debet] *cujus auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt minus idonea judicatur.* CHALDÆO *tamen sermone conscriptus, inter Historias computatur.* SED QUIA HUNC LIBRUM SYNODUS NICÆNA IN NUMERO SANCTARUM SCRIPTURARUM [NB] LEGITUR COMPUTASSE, *acquievi postulationi vestræ, imò exactioni: & sepositis occupationibus, quibus vehementer artabar, huic unam lucubratiunculam dedi,* MAGIS SENSUM E SENSU, QUAM EX VERBO VERBUM TRANSFERENS, MULTORUM CODICUM VARIETATEM VITIOSISSIMAM AMPUTAVI: *Sola ea, quæ intelligentia integra in verbis Chaldæis invenire potui, Latinis expressi.*

Notandum vero circa hæc Hieronymi verba 1. Hunc librum Chaldaice fuisse conscriptum 2. Exemplaria admodum vitiosa fuisse, atque immane quantum! inter se discrepasse: adeo ut in vertendo non tam ad verba ipsa, quam ad commodum sensum, qui ex tanta exemplariorum vitiosa discrepantia exsculpi potuerat, respexerit; amputando interim quæ aut superflua (in hisce illisve istorum exemplarium) aut vitiosa, notha seu spuria judicaret. Ita enim hîc capio verba Hieronymi. Multa, certe, amputaverit opportet, hic Hieronymus, si tot ac tanta resecuit, quæ plura apud Græcum Interpretem, quam apud hunc Latinum (si versio, saltem vulgata, quam nunc habemus, vere illius est) inveniuntur: ac plane in compendium istum librum redegisse videtur; modo constet Interpretem Græcum, in vertendo ex Chaldaicis, non plurima de suo (uti in Historia Tobiæ quoque fecisse videtur) superaddidisse. Quod uti ab initio usque ad finem hujus libri (Judith) cuicunque, somnolenti solum oculo inspectanti, patet; ita præcipuè quidem in cap. 2. ubi Græ-

ca versio amplus admodum videtur commentarius eorum quæ in textu Latino continentur.

Verum quod magis ad rem nostram hîc agendam pertinet est, quod *legatur* (apud quosnam non indicat) *Synodum Nicænam hunc librum in numerum Sanctarum Scripturarum computasse.*

Quæ obstant quominus huic testimonio de *Synodo Nicænâ* (quod ipse Hieronymus admodum dubitanter affert) fidem adhibeamus, sunt 1. Quod hodie talia inter Canones istius Synodi minime reperiamus. 2. Quod nemo præter Hieronymum hujus rei (quod sciam) aliquo modo meminerit. 3. Quod jam tempore ipsius Hieronymi nonnulla assumenta, vel figmenta, istis Canonibus infarta pro veris ac genuinis Canonibus etiam ab ipsis Pontificibus Romanis (quod illi in rem ipsorum facerent) venditarentur; atque exinde illius atque auctoritatem in Episcopos ac Clericos Ecclesiarum Africanarum sibi quam serio arrogarent. Producebant enim Romani Episcopi Canonem (eique quammaxime insistebant) qui nullibi, præterquam in Romanorum Codicibus reperiebatur; nec, post quamseriam investigationem, in ullis hujus Synodi Exemplaribus, tum Græcis tum Romanis, inveniebatur. Consulti namque ac rogati super hac re tam Constantinopolitanus, quam Alexandrinus Episcopus, transmiserunt ejusmodi exemplaria, in quibus minime id, quod ab Episcopo Romano prætendebatur, comparebat. Quod tam ex 2, 3, 4. &c. Canonibus Concilii Carthaginensis Sexti (cui ipse Aurel. Augustinus Hipponensis Episcopus, Provinciæ Numidiæ Legatus interfuit) quam ex Epistola hujus Africani Concilii ad Celestinum Papam, clarum est. Ex quibus jam adductis satis apertum est, huic Hieronymi testimonio minime standum esse; cum & ipse id dubitanter admodum proferat.

Primus Canon qui sese minus indubitato nobis manifestat, est qui a Patribus Concilii Laodiceni publicatus fuit, hoc modo:

modo: 1. *Genesis.* 2. *Exodus.* 3. *Leviticus.* 4. *Numer.* 5. *Deuteronomium* 6. *Jesu Nave.* 7. *Judices, Rhuth.* 8. *Hester.* 9. *Regnorum primus & secundus.* 10. *Regnorum tertius & quartus* 11. *Paralipomenon primus & secundus.* 13. *Liber Psalmorum centum quinquaginta.* 14. *Proverbia Salomonis.* 15. *Ecclesiastes.* 16. *Cantica Canticorum.* 17. *Job.* 18. *Duodecim Prophetæ.* 19. *Esaias.* 28. *Jeremias & Baruch, Lamentationes & Epistolæ.* 21, *Ezechiel.* 22. *Daniel.* *Novi autem Testamenti hæc, Evangelia quatuor, secundum Matthæum, sec. Marcum, sec. Lucam, sec. Joannem. Actus Apostolorum, Epistolæ Pauli.* 14. *ad Romanos* 1. *ad Corinthios* 2. *ad Galatas* 1. *ad Ephesios* 1. *ad Philippenses* 1. *ad Colossenses* 1. *ad Thessalonicenses* 2. *ad Hebræos* 1. *ad Timotheum* 2. *ad Titum* 1. *ad Philemona unam;* Omissâ (quod notandum est) *Apocalysi Joannis.*

Secundus Canon ille est, quantum scio, qui Cæsario & Attico Coss. a Concilio tertio Carthaginensi conditus ac publicatus fuit; quique sequentia statuit. *Item placuit, ut præter Scripturas Canonicas, nihil in Ecclesia legatur, sub nomine Divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ, primus Genesis, secundus Exodus, tertius Levitici, quartus Numeri, quintus Deuteronomium, Sextus Jesu Nave, Septimus Judicum, Octavus Rhuth, Nonus Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job unus, Psalterium Davidicum, Salomonis libri* [NB] QUINQUE, *Libri* 12. *Prophetarum, Esaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel,* TOBIAS, JUDITH, *Hester, Esdræ libri duo,* MACHABÆORUM DUO. *Novi autem Testamenti viginti Septem. Evangeliorum libri quatuor, Actum Apostolorum liber unus, Pauli Epistolæ quatuordecim, Ejusdem ad Hebræos una. Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Judæ Apostoli una, & Jacobi una.* APOCALYPSIS JOANNIS *liber unus. Hoc autem fratri & consacerdoti nostro Bonifa-*

nifacio, vel aliis earum partium Episcopis copis Pro Confirmando Isto Canone, *innotescat. Quia a Patribus ita accepimus legenda in Ecclesiis. Liceat etiam legi* Passiones Martyrum, *cum anniversarii eorum dies celebrentur.* Hactenus Canon 47. Concilii tertii Cathaginensis.

Cum hoc Canone convenit ille, qui ab Innocentio primo editus (Stilicone II. & Anthemio Coss. i. e. quindecim circiter annis post jam modo adductum) inter Decreta hujus Pap*æ*, cap. 27. comparet: post quem enumeratum ille hæc superaddit: *Cætera autem, quæ vel sub nomine Matthiæ, sive Jacobi Minoris, vel sub nomine Petri, & Joannis, quæ a quodam Leucia scripta sunt; vel sub nomine Andreæ, quæ a Xenocharide & Leonide Philosophis, vel sub nomine Thomæ Scripta sunt, & si qua sunt alia; non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.* Neque abludit hinc Canon editus a Gelasio Papa: qui immensam quoque Apocryphorum turbam, ut Apostolis ac viris Apostolicis Falso tributam, recenset.

Hinc & Hieronymus, in Catalogo Scriptor. *Ecclesiasticorum: Igitur* περιόδους *Pauli & Theclæ, & totam leonis baptizati fabulam, inter Apocryphas Scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli, inter cæteras ejus res, hoc solum ignoraverit. Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum refert, Presbyterum quendam in Asia* σπουδαστὴν *Apostoli Pauli, convictum apud Joannem, quod Auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, & ob id excidisse.*

Videmus hîc, quousque hominum impudentia, sub prætextu religionis ac pietatis, etiam tunc temporis processerit. Unde non mirum nobis quoque videri debet, tot & tanta (ac quidem absurdissima & ridicula) congesta fuisse in Epistolas ac Dialogos Sulpitii Severi, in Historiam Palladii Lau-

siacam, aliasque Veteris Christianismi historias: ut ejusmodi fraudibus, plane impiis, sic adornare prætendebant Religionem nostram Christianam.

Interim hic *leo conversus ac baptizatus* forsan ille fuerit, cujus mentio fit 2 Timoth. IV, 17. ut ita in confusionem Gentilium appareret quam potens esset Doctrina Christiana: cum ipsa bruta animantia Evangelio obedirent. Superant certe talia fabellas Sulpitii Severi de Vacca & Lupo pœnitentiam agentibus, ac famosi istius Francisci Assisii de lupo itidem ad pietatem converso, historiolam.

Atqui Presbyter Asiaticus ex Pauli amore id fecit, illiusque sic nomine abusus fuit, bona verba! Verum Hieronymus quæritur quoque istud & sibi ipsi accidisse [lib. 2. Apol. contra Ruf.[cum vir quidam ægre ferens ab eo Hebræa valumina in Latinum versa, epistolam ejus nomine Scriptam, quasi ab Hebræis in adolescentia seductus, ad id animum appulisset, cujus adeo pœnitentiam ageret, confinxit; clamque illo & inscio Romæ & in Africa in vulgus disseminavit. Aliquid simile etiam sibi contigisse conqueritur Gregorius Magnus: nempe ab Andrea quodam Monacho Græco, suo sub nomine conscriptos fuisse Sermones. Namque Epistolar. lib. 10. Ep. 69. ait: *Inter diversa mala aliquos etiam Sermones scripsit, atque eos ex nomine nostro titulavit.*

Ut autem multi fuere homines, qui nova scripta quasi Prophetica & Apostolica confingerent, sic nec defuere, qui vere Prophetica & Apostolica aut rejicerent in totum, aut hinc inde detruncarent ac corrumperent. Sic enim de Ebionæis Irenæus, lib. 3. c. 11. *Ebionæi etenim eo Evangelio, quod est secundum Matthæum, solo utentes, ex illo ipso convincuntur. Marcion autem id quod est secundum Lucam circumcidens, ex his quæ adhuc servantur penes eum, Blasphemus in solum existentem Deum ostenditur*, &c. ita & lib. 1. c. 26. *Solo autem eo, quod est secundum Matthæum, Evangelio [Ebio-*

bionitæ] utuntur, & Apostolum Paulum recusant, apostatam eum Legis dicentes.

De Marcionitis idem ille testatur, dum ita: *Unde & Marcion & qui ab eo sunt, ad intercidendas sunt conversi scripturas; quas quidem in totum cognoscentes* [*lego agnoscentes*] *secundum Lucam autem Evangelium & Epistolas Pauli decurtantes, hæc sola legitima esse dicunt quæ ipsi minoraverunt.*

De Ebionitis quoque & Encratitis Origenes, in fine lib 5. contra Celsum, hoc modo: Εἰσὶ γὰρ τινες αἱρέσεις τὰς Παύλου Ἐπιστολὰς τοῦ Ἀποστόλου μὴ προσιέμεναι. ὥσπερ Ἐβιωναῖοι ἀμφότεροι, καὶ οἱ καλούμενοι Ἐγκρατῖται. *Sunt enim quædam Hæreses quæ non recipiunt Paulinas Epistolas, ut Ebionæi utriusque generis, & qui Encratitæ vocantur.*

Idem ille libro 2. dixerat, refellendo Celsum: Μετὰ ταῦτά τινας τῶν πιστευόντων φησὶν ὡς ἐκ μέθης ἥκοντας εἰς τὸ ἐφεστάναι αὐτοῖς, μεταχαράττειν ἐκ τῆς πρώτης γραφῆς τὸ εὐαγγέλιον τριχῇ καὶ τετραχῇ καὶ πολλαχῇ. καὶ μεταπλάττειν, ἵν᾽ ἔχοιεν πρὸς τοὺς ἐλέγχους ἀρνεῖσθαι. μεταχαράξαντας δὲ τὸ εὐαγγέλιον ἄλλους οὐκ οἶδα, ἢ τοὺς ἀπὸ Μαρκίωνος, καὶ τοὺς ἀπὸ Οὐαλεντίνου· οἶμαι δὲ καὶ τοὺς ἀπὸ Λουκιανοῦ. *Post hæc dicit quosdam fidelium, quasi per temulentiam, sibi permittere quidvis in mutanda Scriptura Evangelicâ, tribus modis quatuorve, aut pluribus; ut sic retractata possint negare, quoties arguuntur. Equidem a nemine alio mutatum Evangelium scio, præterquam a Marcionitis, & Valentini & (ut puto) Luciani Discipulis.* Qui Lucianus Marcionis discipulus erat, secundum hæc Epiphanii: κατὰ πάντα μὲν οὖν κατὰ τὸν Μαρκίωνα δογματίζει.

De Ebionitis quoque Eusebius lib. 3. cap. 27. hoc modo. Οὗτοι δὲ τοῦ μὲν Ἀποστόλου πάμπαν τὰς ἐπιστολὰς ἀρνητέας ἡγοῦνται εἶναι δεῖν, ἀποστάτην ἀποκαλοῦντες αὐτὸν τοῦ νόμου· εὐαγγελίῳ δὲ μόνῳ τῷ καθ᾽ Ἑβραίους λεγομένῳ χρώμενοι, τῶν λοιπῶν σμικρὸν ἐποιοῦντο λόγον. *Hi autem omnes omnino Apostoli* [Pauli] *Epistolas rejiciendos esse*

ſe exiſtimant, Apoſtatam Legis ipſum appellantes: utentes vero ſolo iſto Evangelio quod ſecundum Hebræos appellatur, reliquis parum admodum auctoritatis tribuebant.

De Encratitis, ſeu Severianis, idem ille Euſebius, lib. 4 c. 27. Χρῶνται μὲν οὖν οὗτοι νόμῳ καὶ προφήταις καὶ εὐαγγελίοις, ἰδίως ἑρμηνεύοντες δὲ Παῦλον τὸν Ἀπόστολον, ἀθετοῦσιν αὐτοῦ τὰς ἐπιστολὰς, μήδε τὰς πράξεις τῶν Ἀποστόλων καταδεχόμενοι. *Hi igitur utuntur & Lege & Prophetis & Evangeliis, peculiari tamen modo explicantes ſanctarum Scripturarum ſenſa: & execrationi habentes Apoſtolum Paulum parvipendunt ac contemnunt ipſius Epiſtolas, neque recipiunt Acta Apoſtolorum.*

De confictis interim Evangeliis &c. Orig. Hom. 1. ad Matth. *Eccleſia habet Evangelia, hæreſes plurima: e quibus quoddam ſcribitur ſecundum Ægyptios, aliud juxta 12. Apoſtolos. Auſus fuit & Baſilius ſcribere Evangelium & ſuo illud nomine titulare. Multi conati ſunt ſcribere, ſed & multi conati ſunt ordinare. Quatuor tantum Evangelia ſunt probata, e quibus ſub perſona Domini & Salvatoris noſtri proferenda ſunt dogmata. Scio quoddam Evangelium quod appellatur ſecundum Thomam & juxta Matthiam; & [NB] alia plura legimus, ne quid ignorare videremus, propter eos qui ſe putant aliquid ſcire ſi iſta cognoverint. Sed in his omnibus nihil probamus, niſi quod Eccleſia, i. e. quatuor tantum Evangelia recipienda.*

At hic minime reticendum *Marci* Pſeudoprophetæ aſſeclas multiplicandis ita Sacris Scripturis (ipſis ita prætenſis) incubuiſſe, ut Irenæus, lib. 1. cap. 27. hoc modò de iſtis loquatur: *Super hæc inenarrabilem multitudinem Apocryphorum & per peram Scripturarum, quas ipſi [NB] finxerunt, adferunt, ad ſtuporem inſenſatorum, & quæ ſunt veritas non ſcientium, literas. Aſſumunt autem in hoc & illam falſationem, quaſi Dominus cum puer eſſet, & diſceret literas; cum dixiſſet Magiſter ejus, quemadmodum in conſuetudine eſt,* dic

dic A. respondit A. Rursum cum magister jussisset dicere eum B. respondisse Dominum. Tu prior dic mihi quid est A, tunc ego dicam tibi quid est B, &c. ne miretur autem aliquis hos Encratitas ejusmodi narratiunculis fidem adhibuisse & illa consideret quæ ex *Evangelio secundum Ægyptios*, affert Clemens Alexandrinus, in 3°. Stromateon, & alia plura, quæ adduci possent.

Dum vero tales causæ essent impedimento, talisque dissensio esset inter Christianos, ut super hisce non tantum Orthodoxi pugnarent contra Hæreticos, verum & inter sese hi ipsi Orthodoxi (uti quoque inter sese Hæretici) dissentirent; minime sane mirum est, prudentiores & cautiores Christianos tam anxie versatos atque egisse circa formandum Sacræ Scripturæ Canonem; ac tardè admodum devenisse ad ultimam manum ipsi imponendam, eumque pro vere Apostolico, adeoque & Divino Ecclesiis commendandum: ipsosque circa nonnullos libros diu hæsisse tam suspensos, ut non auderent illa scripta, quæ ipsi quidem pro genuinis atque Apostolicis habebant, aliis aliter sentientibus nimis præcipitanter obtrudere; antequam de ipsorum Auctoritate Apostolicâ satis dilucide omnibus constaret.

Quod tamen non ubique simul factum fuisse constare videtur ex eo, quod, licet inter Græcos & Latinos a plurimis tam Epistola Judæ, quam Jacobi, secundaque Petri, uti & secunda & tertia Joannis, atque Pauli ista quam ad Hebræos scripsit, pro Canonicis agnoscerentur. Orientales tamen populi sero admodum (nec tamen omnes) illa Scripta pro talibus habuerint. Atque hæc anxietas, ac multiplex & diuturna admodum pensitatio ac disquisitio, nobis eo magis firmum verumque reddere debent S. Scripturæ Canonem a Patribus nobis traditum; cum neque ab ullis ex posterioribus hæreticis, quod sciam, in dubium revocatus sit.

CAP.

CAP. IV.

Pergitur in Historia Pseudoprophetarum; *ubi de* Marco Mago, *de* Menandro, *de* Carpocrate, *de* Montano, *de* Priscilla, *&* Maximilla, *de* Basilacio, *& aliis, agitur. Qua occasione etiam de Dîs aut Dæmonibus* Paredris, *ac quidem diversi generis; de* Oneiropompis, *de* Catabolicis; *uti & de illis, qui demortuorum animis obsideri credebantur, &c.*

CONdonabit mihi spero, Lector paulo benignior, quod a *Simone Mago* ad cæteros *Pseudoprophetas* N. Testamenti transiturus, tam diu, in via hæsitans circa *S. Scripturæ Canonem*, moratus fuerim.

Videbatur sane hæc materia sese sponte hic suggerere, nec sine fructu, hâc data occasione, tractari.

Verum enim vero, ut tandem redeamus ad rem nobis propositam; consideremus unum atque alterum ex reliquis Pseudoprophetis. Namque inter Falsos Prophetas numerandi quidem essent omnes isti homines, qui aut voce aut Scriptis Hæreseon (Sectarumve talium, Doctrinarumve, quæ vere impiæ in perniciem aut corruptelam tenderent Christianæ Religionis) erant Auctores. At difficile admodum, imò potius impossibile est, de iis ferre accuratum satis judicium, qui pro talibus ab antiquoribus Christianis habentur: eo quod Hæreticorum Scripta minime extent; ipsorumque opiniones nobis tradantur ab hominibus qui partes adversas, majori quandoque cum Zelò quam æquitate, propugnabant: & ipsorum Hæreticorum verba vel non, vel nuda tantum demptis cir-

cumstantiis nobis allegentur; sed solæ sæpiùs consequentiæ ex ipsorum verbis aut Scriptis allegatæ ac refutatæ.

Quam autem facile aliquis pro hæretico habitus fuerit, ni cum cæteris per omnia conveniret, ex Cod. lib. 1. c. 5. liquet ubi Impp. Gratianus ac Theodosius inter alia dicunt: *Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis adversus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel levi* ARGUMENTO *a judicio Catholicæ Religionis & tramite detecti fuerint deviare.*

Quibus autem coloribus *Marcus*, hæreticus ac *Simonis Magi* discipulus, a non iniquo, quantum judicare queam, judice depingatur, habemus apud *Irenæum* (lib. 1. cap. 8. & 9.) qui de hoc *Marco* ita loquitur: *Alius vero ex iis qui sunt apud eos Magistri emendatorem se esse glorians, Marcus est autem illi nomen, Magicæ imposturæ peritissimus, per quam & viros multos & non paucas fæminas seducens, ad se convertit, velut ad scientissimum & perfectissimum, & Virtutem Maximam ab invisibilibus logis habentem fecit, præcursor quasi vere existens Antichristi.* AMAXILAI ENIM LUDICRA CUM NEQUITIA EORUM QUI DICUNTUR, MAGI COMMISCENS, PER HÆC PERFICERE VIRTUTES PUTATUR APUD EOS QUI SENSUM NON HABENT, ET A MENTE SUA EXCESSERUNT. & Cap. IX. *Pro calice enim vino mixto fingens se gratias agere, & in multum extendens sermonem invocationis, purpureum & rubicundum apparere facit, ut putetur ea gratia ab iis quæ sunt super omnia suum sanguinem stillare in illius calicem per invocationem ejus, & valde concupiscere præsentes ex illo gustare poculo, ut & in eos stillet quæ per Magum hunc vocatur gratia. Rursus mulieribus dans calices mixtos, ipsas gratias agere jubet, præsente se: & ubi hoc factum est, ipse alium calicem multò majorem, quam est ille in quo illa seducta Eucharistiam facit, proferens, & transfundens a minori*

qui

qui est a muliere Eucharistia factus, in illum qui est ab eo allatus multo majorem, statim dicens ita, Illa quæ est ante omnia inexcogitabilis & inenarrabilis gratia, adimpleat tuum intus hominem, multiplicet inter agnitionem suam, inseminans granum sinapis in bonam terram, Et alia quædam dicens, & in insaniam mittens illam infelicem admirabilia faciens apparuit, quando major calyx adimpletus est de minori calice, ut & superfunderet ex eo. Et alia quædam non dissimilia faciens, exterminavit multos & abstraxit post se. &c.

Hic ipsam videmus *Magiam*, seu *Magicas*, (ita appellatas) *præstigias* in ipsumChristianismum invectas: quibus hujusmodi Hæretici sibi Divinam auctoritatem, ex sic prætenso Miraculorum dono, acquirere studebant: quæ imposturæ ut pro meris Miraculis habebantur inter simplicioris animi homines, horumque Impostorum dogmatibus delinitos; sic ex adverso pro præstigiis præter ac supernaturalibus, atque ita Diabolicis habebantur, ab isto hominum genere, qui aliis sectis addicti interim nimis adhuc Pharisæorum ac Pythagoricorum (uti & Platonicorum recentiotum) opinionibus imbuti manebant. Unde & de eodem *Marco* hic Irenæus (lib. 1. cap. 9.) *Datur autem intelligi eum & Dæmonem quendam Paredrum habere, per quem ipse quoque Prophetare videtur, & quotquot dignos putat fieri participes suæ gratiæ Prophetare facit.*

Opportet sane aut prætensas illas Artes Magicas istis temporibus frequenter admodum fuisse exercitas, aut saltem ejusmodi opiniones de Magis ac Magicis pervulgatas valde, plurimorum hominum mentes occupasse: neque solum vulgus tactum fuisse ista superstitione, verum & plurimos eruditos, prout Magis minusve huic illive Philosophorum sectæ, talibus magis minusve obnoxiæ, adhærebant.

Hinc enim primorum seculorum Christiani, pene omnibus Hæreticis istud crimen impingebant. Quod uti modo

ex Irenæo, de Marco Magiæ nomine infamato, notavi; sic id etiam de aliis apud eundem observamus. Ita enim lib. 1. cap. 20. de *Simone Mago* ipsiusque Discipulis loquitur: *Magias autem perficiunt, quemadmodum potest unusquisque ipsorum. Exorcismis & Incantationibus utuntur. Amatoria quoque & Agogima, & qui dicuntur Paredri & Oneiropompi, & quæcunque sunt alia parerga, apud eos studiose exercentur.*

De *Paredris* & *Oneiropompis* statim aliquid dicam: nunc paucula ad illa, quæ de *Amatoriis* & *Agogimis* habet. Ejusmodi enim Carminibus multa ac magna superstitiosi magis Gentiles adscribebant. Atque hinc Poëtæ, talium nugacissimi inventores, de iis tam Mirabilia, canunt; uti Apud *Theocritum* & *Virgilium* (in Pharmaceutriis) apud *Tibullum*, *Propertium*, *Ovidium*, *Nemesianum* ac cæteros pene omnes, videre licet. Hinc enim *Lucanus*, lib. *Carmine Thessalidum dura in præcordia fluxit. Non fatis adductus amor: flammisque severi Illicitis arsere senes.* Contra quos tamen, Poëtas (quamvis ipsi quoque Poëtæ) *Ennius* & *Afranius* & alii, cum cordatioribus Philosophis, talia deridenr. Ita enim *Afranius*, apud *Nonium. Si possent homines delinimentis capi Omnes haberent nunc Amatores anus*, &c. Talia interim figmenta, & fabellas ipsis superstructas, ut vera amplectebantur superstitiosi Christiani; & ejusmodi figmenta, & Histtoriolas vel superstitiose ac temere vel maligne, vel ludendi & oblectandi gratia (quod Poëtarum est) confictas, contigisse secure credebant: atque inde *Dæmoniis malis*, seu *Diabolis*, adscribebant illa, quæ ne quidem unquam ullibi contigerant, aut contingere ullo modo (nisi plane Divinitùs) possent.

De *Menandro Hæretico*, *Simonis Magi* discipulo, ita idem Irenæus: *Hujus* [*Simonis*] *successor fuit Menander Samarites genere; qui & ipse ad summum Magiæ pervenit. Qui pri-*

primam quidem virtutem incognitam ait omnibus, se autem eum esse ab invisibilibus Salvatorem pro salute hominum; Mundum autem factum ab Angelis, quos & ipse, similiter ut Simon, ab Ennoia emissos dicit. Dare quoque per eam, quæ a se doceatur, Magicam scientiam, addidit; ut & ipsos qui mundum fecerunt vincat Angelos, &c.

De *Carpocratianis* iterum idem ille Irenæus: *Artes enim Magicas operantur & ipsi, & Incantationes: Philtra quoque & Charitesia & Paredros, Oneiropompos, & reliquas malignationes; dicentes se potestatem habere ad dominandum jam Principibus fabricatoribus mundi hujus, &c.* Quæ hîc habet Irenæus de *Paredris* & *Oneiropompis* notatu certe digna sunt. Quantum ad *Paredros*, illi erant diversi generis. Primi erant, qui Dis Majorum Gentium (seu Magnorum Deorum concilio) ab hominibus adulatoriè adjungebantur.

Hinc apud Ælianum (vari Hist. lib V. c. 12.) *Demades* convocata Concione, ἐψηφίσατο τὸν Ἀλέξανδρον. Θεὸν τρισκαιδέκατον, *decrevit ut Alexander Deus decimus tertius, Dis duodecim Majoribus adnumeraretur.* Hinc *Hephæstion* non solum inter Deos (in gratiam *Alexandri*) relatus fuit, verum (ut Lucianus, dialogo de non temere credendis Calumniis, narrat) ὑπολαμβάνοντες δὲ οἱ κόλακες τὴν μειρακιώδη ταύτην τοῦ Ἀλεξάνδρου ἐπιθυμίαν. προσέκαιον εὐθὺς καὶ ἀνεζωπύρουν, ὀνείρατα διηγούμενοι τοῦ Ἡφαιστίωνος, ἐπιφανείας τινὰς, καὶ ἰάματα προσάπτοντες αὐτῷ, καὶ μαντείας ἐπιφημίζοντες. καὶ τέλος ἔθυον παρέδρῳ, καὶ ἀλεξικάκῳ θεῷ. *Assentatores perspecta hac Alexandri juvenili cupiditate, et ignem & fomitem addere cœperunt, Somnia narrantes Hephæstionis, Apparitiones quasdam, & medelas ei attribuentes, ejusque Oracula prædicantes: denique* ASSESSORI [*seu* PAREDRO] *malorumque Depulsori Deo Sacra fecerunt.*

De J. Cæsare quoque hinc Virgilius Georgic. 1. *Tuque adeo, quem mox quæ sunt habitura Deorum Concilia incertum est.* Quæ indicant simul non unicum Deorum *Concilium,*

lium, vel *Collegium* vel *Conſeſſum Deorum;* verum plura ac diverſa admodum. Quod & indicat ſequens Inſcriptio.

ΑΝΤΙΝΟΩ
ΣΥΝΘΡΟΝΩ ΤΩΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΠΙΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ
ΠΡΟΦΗΤΗΣ

Ex hiſce etiam videmus, non ſolum Deos fuiſſe diſtinctos in Majorum & Minorum Gentium Deos; vel ut Cicero vult (in conſtituenda ſua Republica) *in Divos & eos, qui cœleſtes ſemper habiti ſunt; in illos quos in cœlum merita vocarint: Herculem, Liberum &c. ac tertio quidem Divinitates iſtas, Mentem, Virtutem,* &c. Verum & Gentes ac Regna, præter peculiares ſibi Deos, etiam ipſorum peculiaria conſtituiſſe, *Synodos* ſeu *Concilia, Collegia*, & *Conſeſſus.* Neque abludit hinc meo judicio Inſcriptio quæ apud Reineſium, Sect. I. N°. 219. reperitur, ex Theone Smyrnæo petita (modo tantæ ſit antiquitatis)

ΠΡΕΣΒΥΤΑΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΠΑΝΤΩΝ ΟΣΙΡΙΣ. ΘΕΟΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΙΣ, ΠΝΕΥΜΑΤΙ ΚΑΙ ΟΥΡΑΝΩΙ, ΗΛΙΩ, ΚΑΙ ΣΕΛΗΝΗΙ, ΚΑΙ ΓΗΙ, ΚΑΙ ΝΥΚΤΙ, ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ, ΚΑΙ ΠΑΤΡΙ ΤΩΝ ΟΝΤΩΝ ΚΑΙ ΕΣΟΜΕΝΩΝ ΕΡΩΤΙ ΜΝΗΜΕΙΑ ΤΗΣ ΑΥΤΟΥ ΑΡΕΤΗΣ ΒΙΟΥ ΣΥΝΤΑΞΕΩΣ.

An huc quoque ſpectent Θεοὶ Σεβαστοὶ καὶ Φρήτριοι, ac Θεοὶ ἀδελ-

ἀδελφοὶ Σύνθρονοι τ͂ ἐν Αἰγύπτῳ Θεῶν; ut & illi, qui ſequenti hac ſuſcriptione continentur

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑLΩ
ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΚΑΙ ΤΟΙC
CΥΝΝΑΟΙC ΘΕΟΙC

Eruditis dijudicandum relinquo. Θεοὶ σύνναοι & σύμβωμοι tamen videntur fuiſſe illi, qui in uno eodemque Templo, uniſque iiſdemque in Aris ſimul colebantur: quod cum in Templis Pantheis, tum in Statuis Pantheis, quoque locum habebat. Alias quoque conjunctim colebantur *Dii Deæque Penates familiares, Dii Conſervatores Domus Auguſtæ, Dii Deæque Salutares, Dii Militares, &c.* & apud Græcos Θεοὶ δαίμονες, καλοὶ δαίμονες, Θεοὶ καταχθόνιοι, χθόνιοι πατρῷοι, &c. quaſi *Collegia*, vel *Conſeſſus*, ab aliis diſcreti.

At ſecundi generis *Paredri* erant, qui *Diis* iſtis, *qui apud Inferos obtinebant Imperium*, adjungebantur, adeoque & primas obtinebant partes inter beatorum animas. Unde & Demoſthenes in Oratione funebri: Πῶς ἐ χρὴ τέτες εὐδαίμονας νομίζεσθαι· ἐς Παρέδρες εἰκότως ἂν τις Φῆσαι τοῖς κάτω Θεοῖς εἶναι, τ͂ αὐτὴν τάξιν ἔχοντας τοῖς προτέροις ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐν μακάρων νήσοις. *Ac cur non exiſtimandi beati, quos merito quis Aſſeſſores dixerit Diis Infernalibus, ut obtinerent ibi eundem ordinem cum viris egregiis, qui ipſos præceſſerant, in Beatorum Inſulis?*

Tertii vero generis *Paredri* erant illi *Dæmones* qui hominibus (uti famoſum iſtud Socratis *Dæmonium*) ſemper aderant: qui *Genii* erant apud Latinos; ac de quibus in prima hujus operis, parte ſatis large locutus fui. Erant autem illi hominibus appoſiti tum *Boni* tum *Mali*; Boni qui Dii ipſo-

rum

rum essent *Averrunci*, depulsores seu prohibitores, (ut sic loquar) morborum aliorumque infortuniorum, adeoque & ἀλεξίκακοι. ad *Bonos* certe referrem illos, de quibus Diodorus Siculus (Bibliothecæ lib. 1.) Πρός τε τὸν Ὄσιριν καὶ τοὺς κάτω παρέδρους, *Osiridis*, scilicet, si bene conjicio, namque apud Martianum Capellam, libro 2. & *Sol*, & *Serapis*, & *Mithra*, & *Dis*, & *Typho*, & *Attis*, & *Ammon*, & *Adonis*, unum idemque Numen sunt.

Quarti generis erant illi *Dæmones Paredri*, sive *Assessores*, qui sese a Magis ac Sagis sinebant evocari ab Inferno, illisque ut famuli aut servi, non tantum ignota, imo & futura indicabant; verum & aliis, ipsorum jussu, mala & infortunia omnis generis (uti stultum Superstitione vulgus & olim sibi persuaderi patiebatur, quinetiam & adhuc patitur) inferebant, mentes hominum (non solum corpora) turbabant, summa mala atque insanista immittebant, pluraque alia hominibus inferebant; atque adeo mali erat.

Huc certe spectant illa Justini, qui in Apologia secunda, ubi de aliis Magicis (prætensis) operationibus locutus ita pergit: Καὶ οἱ λεγόμενοι παρὰ τοῖς μάγοις ὀνειροπομποὶ καὶ πάρεδροι, καὶ τὰ γινόμενα ὑπὸ τῶν ταῦτα εἰδότων, πεισάτωσαν ὑμᾶς ὅτι καὶ μετὰ θάνατον ἐν αἰσθήσει εἰσὶν αἱ ψυχαί. καὶ οἱ ψυχαῖς ἀποθανόντων λαμβανόμενοι καὶ ῥιπτούμενοι ἄνθρωποι, οὓς δαιμονολήπτους καὶ μαινομένους καλοῦσι πάντες, &c. *Et qui a Magis vocantur Oneiropompi* (quasi dicas, *Somniorum immissores*) *& Paredri* (*Assessores*) *& quæ a rerum istarum peritis aguntur, animas sensum etiam post mortem retinere, vobis fidem faciant. Atque item illi qui a demortuorum animis* (*seu Manibus*) *corripiuntur, atque humi abjiciuntur homines; quos a Dæmonibus correptos, seu arreptitios & furentes, nominant omnes.*

Huc spectant & illa Tertulliani (Apolog. c. 23.) *Si & Somnia* [Magi] *immittunt, habentes semel invitatorum Angelorum & Dæmonum* ASSISTENTEM *sibi* POTE-

STA-

STATEM: uti & illa Rufini (lib. 2. hist. Eccl.) *Utens adminiculo assistentis sibi & adhærentis Dæmoniacæ virtutis, quam* πάρεδρον *vocant.*

Notatu valde dignus iste locus est Nicetæ Choniatæ (libro 4.) de Aarone quodam Mago: Ἑάλω δὲ καὶ βίβλον Σολομώντειον ἀνελίττων, ἥτις ἀναπτυσσομένη τε καὶ διεξιομένη, κατὰ λεγεῶνας συλλέγει καὶ παρίστησι τὰ δαιμόνια, συχνάκις ἀναπυνθανόμενα, ἐφ᾽ ὅτῳ προσκέκληνται· καὶ τὸ ἐπιταττόμενον ἐπισπεύδοντα περατοῦν, καὶ προθύμως δρῶντα τὸ κελευόμενον. *Est & librum Salomoneum* [de quo & alibi me tale quid legisse memini] *evolvere deprehensus: qui cum legebatur, Legiones Dæmonum adducebat, subinde interrogantium, cur accersiti essent, ac jussa alacriter exsequentium.* Ut & quæ idem quoque de *Sicyditis* Præstigiis narrat, quibus ille mirabilia multa perpetrabat; inter alia κατὰ φάλαγγας ἐπισυνιστᾶν τοὺς δαίμονας, οὓς ἂν ἐκπλῆξαι βούλοιτο. *Et totas Dæmonum cohortes iis immittens, quos volebat exterritos.* Nec minus illa quæ paulo ante attulerat de *Sclero* Mago: *cum scilicet cum nubilem quandam Virginem a qua contemnebatur, adamaret, ac manifeste solicitaret, per lenam* [διὰ προαγωγοῦ τινὸς γυναικὸς] *ei malum Persicum misisse: quo puella in sinum recepto, amore & libidine insaniens, ab illo corrupta fuit.* Neque solum per ejusmodi (prætensas supernaturali modo) factas Dæmonum præstigias, *Amores* & *Morbos* & alia mala plurima, hominibus immittebant; verum & ipsos *Dæmones*: unde illi fiebant κάτοχοι sive *Obsessi*. Qui si per ejusmodi *Dæmones* morbis vel insultibus Epilepticis (quales superstitiosi inter Ethnicos appellabant quoque δαιμονολήπτους), vel ejusdem naturæ malis vexarentur, *Dæmones Catabolici* in causa erant, iis immissi vel obsidentes.

Hinc certè Irenæus, de Hæreticis ipsorumque prætensis Miraculis: *Nec enim cæcis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes Dæmones effugare, præter eos qui ab ipsis immittuntur.*

Qui igitur ſic immittebantur aliis, ut inde illi *Arreptitii* fierent & *Energumeni* (ut tales, vel pro talibus habiti, a Chriſtianis nominabantur) *Catabolici* dicti fuere: quod quoque Pollux (lib. 1. cap. 18.) περὶ μαντείων, καὶ μαντικῶν τόπων καὶ ἀνδρῶν, ſatis clare, meo judicio, indicat, dum ait: τάδε ὀνόματα τοῦ πράγματος κατοχή, κάτοδος θεοῦ, καταβολή, κατοχή, ἐπιθειασμὸς, ἐπίπνοια, βακχεία, κίνησις ἐκ θεοῦ, κατάληψις, ἐνθουσιασμὸς; quod ejuſmodi homines ſæpius raptarentur quaſi, ſubito dejicerentur, ac ſolo affligerentur. Adde quod & apud veteres Medicos (Hippocratem & Galenum) καταβολὴ πυρετοῦ, & καταβολὶς πυρετοῦ, *impetus* & *inſultus* ſive acceſſiones Paroxyſmorum febrilium denotent: quos ut ipſi optime noverant, ac deſcripſerunt, ſic ex adverſo κατοχὰς, ἐνθουσιασμοὺς & βακχείας, &c. damnabant ac ridebant: uti infra ex Hippocrate clare patefiet.

Dum ſic parumper extra oleas vagari Lectori meo videor, hæc paucula tamen non addere nequeo: quod ea Veterum Chriſtianorum ſuperſtitioſas opiniones ex Judaiſmo hauſtas quoque magis detegant. Juſtinus nempe, loco ſuperius adducto, mirum mihi genus *Catabolicorum* profert; *demortuorum* ſc. *Animas*, quibus Arreptitios vult fuiſſe obſeſſos. ita enim (ut verba ejus hîc repetam) loquitur: καὶ οἱ ψυχαῖς ἀποθανόντων λαμβανόμενοι καὶ ῥιπτούμενοι ἄνθρωποι, οὓς δαιμονολήπτους καὶ μαινομένους καλοῦσι πάντες. *Atque illi homines qui demortuorum animis corripiuntur atque humi abjiciuntur, quos a Dæmonibus correptos, & arreptitios, & furentes nominant omnes.*

Hauſerit ne hanc opinionem Juſtinus ex Flavio Joſepho, an vero ex aliis, plane neſcio. Is interim, ubi (lib. 6. Belli Judaici) de radice Baara loquitur, ita de ipſius viribus narrat, ſeu potius nugatur: Τὰ γὰρ καλούμενα δαιμόνια, ταῦτα δὲ πονηρῶν ἐστιν ἀνθρώπων πνεύματα, τοῖς ζῶσιν εἰσδυόμενα καὶ κτείνοντα τοὺς βοηθείας μὴ τυγχάνοντας, ἄυτη ταχέως ἐξελαύνει, κἂν προσενεχθῇ μόνον τοῖς νοσοῦσι. *Quæ enim Dæmonia appellantur (hæc ſunt* *ma-*

malorum hominum Spiritus, qui in vivorum corpora irrepunt, & occidunt illos qui nullo fruuntur auxilio) illa [hæc Radix] celeriter expellit; licet solum naribus ægrotorum adhibeatur.

Non suffecit tamen hoc nonnullis, inter posteriores Justino, Christianis: ut qui non solas improborum demortuorum animas in *Diabolos* vel *Dæmonas* malos transmutatos voluere: verum & innocuorum puerorum animas in PAREDROS per *artes Magicas* i. e. Diabolorum ope, transformatas credidere.

Patet hoc ex Scriptore illo, qui, sub nomine Clementis Romani, *Recognitionum* Auctor est; is enim, libro 2. *Simonem Magum* ita de se loquentem introducit: *Pueri incorrupti & violenter necati animam, juramentis ineffabilibus evocatam, adsistere mihi feci: & per ipsam fit omne quod jubeo.*

Vide hîc quæso, mi Lector quousque superstitiosa credulitas sese abripi patiatur! Verum tempus est, ut redeam, ad Pseudoprophetas.

Quæ de *Priscilla* & *Maximilla*, de *Montano* ipsarum patrono, aliisque pluribus *Pseudoprophetis* habet Eusebius (lib. 5. cap. 14. 15 & 16. Historiæ Ecclesiasticæ) ut & alii inter Ecclesiæ primitivæ Scriptores, apud ipsos legat harum rerum curiosus lector: ut & quæ de *Apollonio Thyanæo*, quasi ex ore *Damidis* (huic Apollonio prætensi comitis perpetui) commentus fuit temere audax Sophista Philostratus. Namque istam Historiam plane esse fabulosam, confictam mendaciisque omnimodis adornatam, statim a limine, cuivis nasum habenti, abunde notescit. Unde permirum mihi videtur, Petrum Molinæum (in Vate suo) hujus Apollonii prætensa Miracula, pro mirandis revera factis, adeoque & pro rebus revera gestis, nobis velle obtrudere: sicut & stupeo plane eundem doctissimum virum Imposturas Alexandri Pseudomantis, a Luciano accurate detectas, pro Sathanæ Miraculis ha-

bere: cum clarissime ostendat hic Lucianus, in ipsis nihil fuisse super-aut præternaturale.

Quæ de *Montani*, asseclarumque ipsius præstigiis narrat Petrus Cuneus (lib. 3. cap 7.) de Republica, Hebræorum hæc sequentia sunt: *Montani delirium olim hoc fuit, quod ille obtrudere mortalibus nitebatur, uti fraudibus suis nubem objiceret,* Maximillam *enim &* Priscam *mulierculas insanas ac Bacchantes, velut in scenam adduxit, quæ in illo mimo partes secundas tractarent. Furere, & incompositis motibus agitari, eorum est, quorum os rabidum fatigat impurus genius, domatque corda & fingit premendo. Etsi* [NB] *hujusmodi homines sane omnibus seculis pauciores fuere, quam vulgo creditum est. Dolus plerumque & Impostura fuit. Facile sub persona furor simulatur: facilius quidem profectò quam mens sana. Vatibus* [NB] *Delphicis quæstui erant animi hominum superstitione capti. Habebant per omnem Græciam Emissarios suos, qui res & fortunas cujusque discerent, mox consulti respondebant cuique convenientia. Inerant tamen dictis latebræ, & poterat eventibus interpretatio aptari. Marcus Tullius cum disputat, cur jam pridem Pythii Apollinis cessaverint Oracula, causam adfert* Verissimam, *quia minus esse creduli homines cæpissent. Nam quod vetustate extinctum vim loci dicant, nihil esse, cum nulla vetustas vim Divinam conficiat: ac Demosthenem vero, ante 300. annos recte illud dixisse,* Pythium φιλιππίζειν. *Non pluris fuerunt Ammonis Responsa, Prænestina sortes, & alia de hoc genere. Atque in eundem ordinem igitur adscribimus* Montani *insanas fæminas. Fuere hæreticis nimium usitatæ ejusmodi artes. Qui opinionum fingunt portenta, nunquam illis bene procedit inceptum, nisi advocetur ex Machina Deus. Arrianorum dux* Valens, *postquam persuaserat Constantio, fuisse sibi cum Angelo sermonem, altius dehinc semet extulit, principisque abusus simplicitate ad sua libita est.*

Mi-

Mirandam ſane hiſtoriam *Pſeudoprophetiſſæ* cujuſdam habemus in *Firmiliani* ad Cyprianum Epiſtola, quæ eſt ſeptuageſima quinta inter Cyprianicas, his verbis ab ipſo deſcriptam: *In hac autem perturbatione conſtitutis fidelibus, & huc atque illuc perſecutionis metu fugientibus, & Patrias ſedes relinquentibus, atque in alias partes regionum tranſeuntibus (erat enim tranſeundi facultas, eò quod, perſecutio illa, non per totum mundum, ſed localis fuiſſet) emerſit iſtic ſubito quædam mulier, quæ in eſtaſi conſtituta, Propheten ſe præferret, & quaſi Sancto Spiritu plena ſic ageret. Ita enim* PRINCIPALIUM DÆMONIORUM IMPETU FEREBATUR, *ut per longum tempus ſollicitaret & deciperet Fraternitatem, ac Mirabilia quædam & portentoſa perficiens, & facere ſe terram moveri polliceretur. Non quod Dæmoni tanta eſſet poteſtas, ut terram movere, aut elementum concutere, juſſu valeret; ſed quod nonnunquam Spiritus nequam præſciens & intelligens terræ motum futurum id ſe facturum eſſe ſimularet, quod futurum videbat. Quibus mendaciis & jactationibus ſubegerat mentes ſingulorum, ut ſibi obedirent; & quodcunque præciperet & diceret ſequerentur; faceret quoque mulierem illam crudâ hyeme nudis pedibus per aſperas nives ire, nec vexari in aliquo, aut lædi illâ diſcurſione: diceret etiam ſe in Judæam & Hieroſolymam feſtinare, fingens tanquam inde veniſſet. Hic & unum de Presbyteris Ruſticum, item & alium Diaconum fefellit, ut eidem mulieri commiſcerentur, quod paulò poſt detectum eſt. Nam ſubito apparuit illi unus de Exorciſtis vir probatus, & circa religioſam diſciplinam bene ſemper converſatus, qui exhortatione quoque fratrum plurimorum, qui & ipſi fortes & laudabiles in fide aderant, excitatus, exerit ſe contra illum Spiritum nequam revincendum; qui ſubtili fallacia etiam hoc paulo ante prædixerat, venturum quendam averſum & tentatorem infidelem. Tamen ille Exorciſta inſpiratus Dei gra-*

tiâ fortiter restitit, & esse illum nequissimum Spiritum, qui prius Sanctus putabatur, ostendit. Atqui illa mulier, quæ prius per præstigias ac fallacias Dæmonis, multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cætera quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est; ut & Invocatione [NB] *non contemptibili, Sanctificare se panem, & Eucharistiam facere simularet, & Sacrificium Domino, sine Sacramento solitæ prædicationis, offerret; baptizaret quoque multos, usitata & legitima verba interrogationis usurpans, ut nihil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur. Quid igitur de hujus baptismo dicemus, quo nequissimus* Dæmon per Mulierem baptizavit? *Nunquid & hoc Stephanus & qui illi consentiunt comprobant? Maxime cui nec Symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima & Ecclesiastica defuit? Potest credi aut remissio peccatorum data, aut lavacri Salutis regeneratio ritè perfecta, ubi omnia quamvis ad imaginem veritatis, tamen* per Dæmonem gesta sunt? *Nisi si & Dæmonem in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti gratiam baptismi dedisse contendunt, qui hæreticorum baptisma defendunt. Apud quos sine dubio idem error est, Dæmonum fallacia ipsa est; quando apud illos omninò Spiritus Sanctus non est.*

Quæ ad hæc verba notari possent, sunt I°. *Diabolum* hic perpetrare *Miracula*, quorum perficiendi potestas Soli Deo Omnipotenti propria est: *Solus enim ille est* [Psalm. LXXII, 18.] *qui facit Miracula;* ac qui honorem & gloriam, circa talia æque quam alia, sibi ut surripiat aliqua creaturarum, minime patitur. Ast quod 2. longe magis quis miretur est, *Diabolum* & *Eucharistiam* & *Baptismum administrasse;* ac quidem rite & secundum regulas Ecclesiæ Catholicæ, adhibitis justis atque Orthodoxis precationibus, & adhibita insuper formulâ, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. En quo discordia cives deduxit Miseros!* eo enim posito

(te-

(temerario nimis ac falso) fundamento; *hæreticos a malo Dæmone obsessos teneri* [sicut inde quoque in ipsorum Anabaptismo & *Exorcismus* & *Insufflatio*, & alia his similia, observabantur] argutatur seu potius nugatur, cum aliis, hic noster Firmilianus, ipsum *Diabolum Baptismos & Eucharistias inter Christianos administrare;* per illos nempe qui ab ipso δαιμονολήπτοι, vel *Obsessi* sunt. O impotentem animi in dissentientes motum! Itane; ne Hæretici non rebaptizandi videantur, necesse est illos Dæmone Obsessos teneri; ac per tales non solum Diabolum; sed & per alios (qui Heterodoxias crimine non laborant, sed Magiæ) Sacerdotem vel Presbyterum, ac quidem Orthodoxum plane, in Ecclesia agere Christiana!

Non ulterius progrediar in enumerandis *Pseudoprophetis*, qui plures multo hisce jam allatis extiterunt: nisi quod unicam adhuc cæteris superaddam Historiam, quam de Basilacio quodam, hoc modo nobis narrat Nicetas Choniates: *Igitur ad Radæstum maritimam urbem profectus maximum & nomini suo respondens Resurrectionis festum & Pascha mysticum immolat & comedit: ibique* BASILACIUM *convenit, inusitatæ vitæ hominem, eamque opinionem apud omnes consecutum, quasi futura prævideret atque prædiceret. Unde maxima hominum frequentia ad eum, ut olim ad Hammonis & Amphiarai Oraculum confluebat. Cæterum nihil* [NB] *veri & perspicui de rebus futuris loquebatur, sed verba confusa inter se dissidentia & perplexa fundebat: & quamvis sæpe ridicula quædam admisceret, tamen turba Pastorum, Agricolarum & remigum ad se attrahebat. Nam mulierum ad se venientium mammis exploratis, & talis contrectatis, obscura promebat Oracula, &* [NB] *ad plerasque quæstiones nihil respondebat, & suas Divinationes discursationibus & insanis gestibus peragebat. Adstabant ei quoque cognatæ aniculæ, vecordes & insanæ, quæ Consultoribus explicabant,*

bant, quid isti Basilacii *gestus rerum futurarum designarent; & taciturnitatem ut Sapientem Orationem interpretabantur. Is igitur homo, ut dixi, Vates vulgo habebatur, & futura prædicere putabatur: a mulierculis præsertim quibus turpes quæstiones, & deformes vestium implexiones pro ludo & joco cordi erant, Cordatis vero hominibus ineptus histrio & vecors silicernium videbatur. Erant etiam qui eum Pythonico Spiritu esse præditum haud absurde conjectarent: quorum ego judiciis maximè assentior. Imperatorem, neque ut tantâ potentiâ præditum excepit; neque salutationi ejus, quæ erat, Salve pater Basilaci, respondit; neque tacito nutu capitis gratias egit: sed huc atque illuc instar pulli equini aut hominis furiosi saltans, accedentibus maledixit, Constantino Mesopotamitano imprimis, qui tum Isaacio familiarissimus erat: nec ipsi denique Imperatori parcens. Vix tandem inquietis illis agitationibus omissis, scipione quem manibus gestabat imaginis Imperatoris, quæ in ejus Oratoriæ cellæ pariete depicta erat, oculis erasis, etiam pileum de capite illius auferre studebat. Quæ cum fecisset, Imperator, eo ut deliro despecto, recessit. Populus vero qui ea viderat, nihil boni ominabatur. Ut vero etiam eventum non in totum ab illis signis abhorrere constitit; cujusque opinio de Basilacio confirmata est; quæ, ut dixi, anceps prius, & in plerisque dubia, fuerat.*

CAP.

CAP. V.

De Falsis Gentilium Prophetis & Prophetiis, ipsorumque Phratriis ac Familiis; de ipsorum Scriptis, χρησμοῖς *sive* λογίοις, *vel Oraculis, Sortibus ac pluribus ejusmodi farinæ prædictionibus. De Agyrtis, Circulatoribus seu Circumforaneis, Fanaticis aliisque prætensis Vatibus, deque illorum libellis Divinatoriis; de ipsorum denique imposturis ac Mendaciis; quibus gaudebant quandoque & Magnates & Principes, modo talia ipsis in Republica commodius regenda, vel aliter, inservire possent.*

FAlsam Prophetiam Falsosque Prophetas dudum ante Israelitarum in Palæstinam adventum, inter Gentes in abusu fuisse ostendunt clare hæc verba Mosis Deut. XVIII, 14. כי הגוים האלה אשר אתה יורש אותם אל מעננים ואל הקסמים ישמעו: *Nam Gentes istæ quarum possidebis terram Augures & Divinos audiunt.* Quæ verba a me curatius explicantur ubi de Divinationum generibus in Vet. Testamento memoratis ago.

Si vero quis nosse velit, quam multi Vates seu Pseudoprophetæ etiam inter cæteras mundi Gentes successive versati, superstitiosos inter ipsos homines semper ac pene ubique deceperint; legat Herodotum, Pausaniam, Plutarchum, reliquosque tam Græcos quam Latinos scriptores; inter quos Clemens Alexandrinus 1. Stromat. longum ipsorum catalogum concinnat. Inveniet enim apud ipsos præter *Sibyllas*

(de quarum numero tanta, licet infructuosa, dissensio inter antiquos, & contentio inter hujus præteretique ævi eruditos, est) etiam plures *Druidas* fœminas Vates. & ex Viris tres numero *Bacides*, ac *Mystades*, quorum tota Φρατρία seu Societas erat: sic & *Jamidas* ac *Clystiadas* Vates, uti & *Galeotas* Vates in Sicilia, pluresque alios, quorum tota aut Collegia, aut familiæ, erant.

Faciunt huc sane quæ Pausanias habet, lib. 10. sive in Phocicis: ubi cum post recensitas Sibyllas, Phaënnida ac Peleadas (in Dodone) inter vates numeravit, porrò addit: Χρησμολόγους δὲ ἄνδρας Κύπριον τε Εὔκλοον, καὶ Ἀθηναῖον Μουσαῖον τὸν Ἀντιοφήμου, καὶ Λύκον τὸν Πανδίονος, τούτους τε γενέσθαι καὶ ἐκ Βοιωτίας Βάκιν φασὶ κατάσχετον ἄνδρα ἐκ Νυμφῶν. τούτων πλὴν Λύκου τῶν ἄλλων ἐπελεξάμην τοὺς χρησμούς.

Inter viros autem Vates Euclus Cyprius, Atheniensis Musæus Antiophem filius, Lycus Pandionis, & ex Bæotia Bacis [tres tamen numero Bacides ab aliis numerantur] *quem Nympharum instinctu divinasse credunt. Horum* [NB] *omnium Vaticinia, præter Lyci, perlegi.* Ediderunt ac Tradiderunt igitur multi horum vatum Vaticinia sua perscripta aut ab aliis describenda: quod ex nonnullis quoque fragmentis, sive veris sive suppostitiis, apud scriptores antiquos inveniendis ulterius liquet.

Horum Vaticinia, ut plerumque ac pene semper χρησμοὶ apud Græcos appellantur, sic quoque non minus λόγια; quæ ambæ voces Oracula (uti ex sequentibus patebit; atque ex hisce Hesychii satis clarum est, Λόγια θέσφατα, μαντεύματα, προφητεύματα, φῆμαι, χρησμοί) significant. Unde & Porphyrius libro suo de Oraculis titulum dederat, περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας. Hinc etiam (quod notandum est, eo quod & verba sacra Scripturæ, inde Majorem emphasin acquirant) τὰ λόγια ζῶντα Act. VII, 38. non sunt vertenda simpliciter (uti in versione Vulgata habetur) *Verba Vitæ*, vel, ut

ut alii, *Sermonem Vitæ;* verum *Oracula Vitæ:* quæ scilicet Mosi a Deo tradebantur in monte Sinai ac deserto. Quod ita quoque observandum est, circa Verba Apostoli Pauli, ubi de Judæis testatur, quod ipsis ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ; ac circa verba Hebr. V, 12. τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ. Denique & circa Apostoli Petri [I. Petri IV, 11.] hæc verba. Ἐι τὶς λαλεῖ ὡς λόγια τοῦ Θεοῦ. Quæ vertenda sunt non, quod Vulgata habet, *ut Sermones Dei*, verum *ut Oracula Dei*, aut *Oracula Divina.* unde qui *Eloquia Dei* hic vertunt longe propius ad sensum Apostoli accedunt. Sed hæc solum in transitu: nunc enim istam rem non agimus; quare ad Ethnicos Vates revertor.

Horum Vatum χρησμοὶ vel λόγια, sive singulorum, sive plurium ex hisce simul in unum collecta, Libellisque Divinatoriis (ut sic loquar) conscripta, ab hominibus, qui sese ut horum Interpretes gerebant, lucri inde captandi gratia (licet sæpius sub magis specioso prætextu) conservabantur ac circumferebantur; ut inde cujuscunque conditionis hominibus, modo satis essent superstitiosi, futura præcinerent, Deorumque prætensam mentem explicarent; sive ab aliis consulerentur, sive ipsi sponte sese hominibus oggererent.

Vocabantur hi impostores χρησμολόγοι & χρησμῳδοὶ, quasi *Oraculorum enarratores, &c.* ac si sic vagabundi per civitates, per vicos ac fora, lucri captandi gratia circumvagarentur, ἀγύρται; unde Suidas, qui in Lexico, id inter alia reddit μάντις, statim addit: ὡς Ἀπίων ἐν ἐπιγράμματι· κειράμενος γονίμην τις ἀπὸ φλέβα μητρὸς ἀγύρτης [qui homines & aliter μητραγύρται appellantur] καὶ αὖθις δόλιον ἀγύρτην, ὃς ἐν τοῖς κέρδεσιν μόνον δέδορκε. καὶ αὖτις· ἦ γὰρ αὐτὸς ἀγύρτης τῷ ὄντι καὶ φιλομαντευτής. item Ἀγύρτης [ὁ ἀλαζὼν καὶ ἀπατεὼν, post Eustathium; uti & cum Hesychio, Ἀγυρτικὰ] χυδαῖα ψεύσματα. idem quoque Suidas alibi: ἐμέμφετο αὐτοῦ τὸ περὶ τὰς μαντείας ἐπτοημένον, καὶ βουλόμενον ἀεὶ τοῖς ἀγύρταις ἐπιτρέπειν τὰ οἰκεῖα πράγματα. *Vi-*

tio ipsi vertebant, quod cum stupore hæreret circa Divinationes; ac quod semper IMPOSTORIBUS CIRCUMFORANEIS *rem Familiarem committeret.*

Hisce Suidæ verbis addamus verba Plutarchi, quæ majoris hic ponderis sunt ac simul declarant, quanam in æstimatione atque auctoritate hi Impostores apud prudentiores fuerint. Πλείστης μέντοι ποιητικῆς ἐνέπλησεν ἀδοξίας τὸ ἀγυρτικὸν καὶ ἀγοραῖον καὶ περὶ τὰ Μητρῷα καὶ Σεράπεια βωμόλοχον καὶ πλανόμενον γένος, οἱ μὲν αὐτόθεν, οἱ δὲ κατὰ κλῆρον, ἔκ τινων γραμματείων χρησμοὺς περαίνοντες οἰκέταις καὶ γυναίοις ὑπὸ τῶν μέτρων ἀγομένας μάλιστα καὶ τοῦ ποιητικοῦ τῶν ὀνομάτων· ὅθεν οὐχ ἥκιστα ποιητικὴ δοκοῦσα κοινὴν ἐμπαρέχειν ἑαυτὴν ἀπατεῶσι καὶ γόησιν ἀνθρώποις καὶ ψευδομάντεσιν, ἐξέπεσε τῆς ἀληθείας καὶ τῆς τρίποδος. *Maximam Poesi infamiam paraverunt Circumforanei illi, & Circulatores, & Scurræ magnæ Matris Deorum, ac Serapidis vagi: quorum alii ex tempore* [vel potius *Ex propria persona*] *alii sorte quadam ex quibusdam libellis, Oracula dabant servis & mulierculis, quas maximè numeri & nomina Poëtica moverent. Quæ non minima fuit causa, cur Poëtica, tanquam communem se quæ videretur præbere Impostoribus & Præstigiatoribus ac Falsis Vatibus, veritate & Tripode arceretur.* Uti & illa quæ in vita Ciceronis de Lentulo tradit: Τοῦτον ὄντα τῇ φύσει τοιοῦτον, κεκινημένον ὑπὸ τοῦ Κατιλίνα, προσδιέφθειραν ἐλπίσι κεναῖς ψευδομάντεις καὶ γόητες, ἔπη πεπλασμένα καὶ χρησμοὺς ᾄδοντες, ὡς ἐκ τῶν Σιβυλλείων, προδηλοῦντας εἱμαρμένους εἶναι τῇ Ῥώμῃ Κορνηλίους τρεῖς μονάρχους, ὧν δύο μὲν ἤδη πεπληρωκέναι τὸ χρεὼν Κίνναν τε καὶ Σύλλαν, τρίτῳ δὲ λοιπῷ Κορνηλίῳ ἐκείνῳ φέροντα τὴν μοναρχίαν ἥκειν τὸν δαίμονα, καὶ δεῖν πάντως δέχεσθαι. *Tali hunc ingenio, & a Catilinâ incensum,* VANI *insuper* VATES & PRÆSTIGIATORES *spe dementaverant; carmina* [NB] *conficta &* [*seu potius vel*] ORACULA *canentes;* QUASI *ex libris* SIBYLLINIS [non illis nempe quæ Romæ tam anxia sub custodia servabantur, sed quæ vulgo dispersa erant] *prænuntiantes, in*

fato

fato esse, &c. Cujusmodi impostor erat ille Onomacritus φρησμολόγος Atheniensis, qui a Laso manifeste convictus fuit, Oraculis Musæi alia sese conficta, inseruisse, ac pro Musæi Oraculis falso venditasse: quare & ab Hipparcho Urbe Athenis ejectus fuit, uti Herodotus lib. 7. narrat.

Videmus igitur præter *Astrologos*, *Vicanos Haruspices*, νεκρομάντεις, ὑδρομάντεις reliquamque *Hariolorum turbam*, falsos ejusmodi Vates, pene semper atque ubique exstitisse, qui aut ex propriâ (quasi hujus Dei Deæve instinctu, motu aut mandato ipsi acti) aut ex aliorum persona, sive carmine aut versibus, sive prosa oratione (ut plurimum tamen carmine) Vaticinia ederent Superstitiosis. Illi autem, qui aliorum quasi Divinitus actorum *Oracula* λόγια, χρησμὸς, vel *Sortes* decantabant proprie erant χρησμολόγοι; eo quod undecunque colligerent; aut ab aliis sic collecta *Oracula* (sive illa ex χρηστηρίοις vel aliter, a Dîs ipsis, Jove, Apolline, Latona aliisve, edita essent; seu prolata ab hominibus, qui veri Vates & Deorum motu acti perhibebantur; *Sibyllis*, scilicet, *Bacidibus*, *Orpheo*, *Lino*, *Musæo*, *Amphilyto*, *Euclo*, *Lyco* aliisve) superstiosæ ac simplici plebeculæ, (quandoque & magnatibus uti dictum) decantabant: eorumque Explanatores atque Interpretes sese gerebant.

Exempla perquam festiva habemus apud Aristophanem; quæ propterea huic inserere operi haud gravabor; neque existimo illa Lectori tædio fore: eo quod jucunde admodum rem nobis propositam explicent.

Audiamus igitur I°. quæ habet in Comœdia cui ὄρνιθες titulum fecit; ubi lucrandi causâ, ac nidore Sacrificii captus, hoc modo accedit Sortilegus, ac recedere tandem plagis onustus cogitur:

Χρησμολόγος] . . . . μὴ κατάρξῃς τοῦ τράγου
Πει] Σὺ δ' εἶ τίς; Χρη] ὅς τις; χρησμολόγος. Πει] οἴμωζέ νυν.
Χρη] Ὦ δαιμόνιε τὰ θεῖα μὴ φαύλως φέρε.
Ὡς ἔστι Βάκιδος χρησμὸς ἄντικρυς λέγων
Εἰς τὰς νεφελοκοκκυγίας. Πει] κἄπειτα πῶς
Ταῦτ' οὐκ ἐχρησμολόγεις σὺ, πρὶν ἐμὲ τὴν πόλιν
Τήνδ' οἰκίσαι; Χρη.] τὸ θεῖον ἐνεπόδιζέ με.
Πει] Ἀλλ' οὐδὲν οἷον ἔστ' ἀκοῦσαι τῶν ἐπῶν.
Χρη] Ἀλλ' ὅταν οἰκήσωσι λύκοι πολιαί τε κορῶναι
Ἐν ταὐτῷ τὸ μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος.
Πει] Τί οὖν προσήκει δῆτ' ἐμοὶ Κορινθίων;
Χρη] Ἠνίξαθ' ὁ Βάκις τοῦτο πρὸς τὸν ἀέρα.
Πρῶτον Πανδώρῃ θῦσαι λευκότριχα κριὸν,
Ὃς δέ κ' ἐμῶν ἐπέων ἔλθῃ πρώτιστα προφήτης
Τῷ δόμεν ἱμάτιον καθαρὸν καὶ καινὰ πέδιλα
Πει] Ἔνεστι καὶ τὰ πέδιλα; Χρη] λαβὲ τὸ βυβλίον.
Καὶ φιάλην δοῦναι, καὶ σπλάγχνων χεῖρ' ἐπιπλῆσαι.
Πει] Καὶ σπλάγχνων διδόν' ἔνεστι; Χρη] λαβὲ τὸ βυβλίον.
Κἂν μὲν θέσπιε κοῦρε ποιῇς ταῦθ' ὡς ἐπιτέλλω,
Αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι. αἰ δέ κε μὴ δῷς,
Οὐκ ἔσει οὐ τρυγὼν· οὐδ' αἰετός· οὐ δρυκολάπτης.
Πει] Καὶ ταῦτ' ἔνεστ' ἐνταῦθα; Χρη] λαβὲ τὸ βυβλίον·
Πει] Οὐδὲν ἄρ' ὅμοιός ἐσθ' ὁ χρησμὸς τουτῳΐ,
Ὃν ἐγὼ παρὰ τ' Ἀπόλλωνος ἐξεγραψάμην
Αὐτὰρ ἐπὴν ἄνθρωπος ἰὼν ἄκλητος ἀλαζὼν
Λυπῇ θύοντας καὶ σπλαγχνεύειν ἐπιθυμῇ.
Δὴ τότε χρὴ τύπτειν αὐτὸν πλευρῶν τὸ μεταξύ.
Χρη] Οὐδὲν λέγειν οἶμαί σε. Πει] λαβὲ τὸ βυβλίον.
Καὶ φείδου μηδὲν, μηδ' αἰετοῦ ἐν νεφέλῃσι.
Μήτ' ἢν Λάμπων ᾖ. μήτ' ἢν ὁ μέγας Διοπείθης.
Χρη] Καὶ ταῦτ' ἔνεστ' ἐνταῦθα; Πει] λαβὲ τὸ βυβλίον.
Οὐκ εἶ θύραζ' ἐς κόρακας; Χρη] οἴμοι δείλαιος.
Πει] Οὐκοῦν ἑτέρωσε χρησμολογήσεις ἐκτρέχων;

Fa-

Fatidicus] . . . . *Ne incipias Hirco*
Pi.] *Tu autem quis es? Fa*] *Quis? Fatidicus. Pi.*] *plores nunc*
Fa.] *O miser, Divina ne parvipendas.*
Quoniam Bacidis Oraculum est, quod ea loquitur
Quæ ad Nephelacoccygiam pertinent. Pi] *At quomodo*
Hæc non Vaticinabaris tu antequam ego hanc
Urbem condidi? Fa.] *Dii impediebant me.*
Pi.] *Nil impedit tamen quominus istos versus audiamus.*
Fa.] *Sed quando lupi & canæ cornices habitabunt*
Simul locum qui medius inter Corinthum & Sicyonem-
Pi.] *Verum quid est Corinthiorum quod ad me spectat?*
Fa.] *Ænigmatice dixit hoc Bacis ad aerem,*
Primum Pandoræ [terræ] Sacrificare album pelle arietem
At qui meorum verborum venerit primum Propheta
Huic dare candidam vestem, & nova calceamenta.
Pi.] *Insunt & calceamenta? Fa.*] *Accipe Librum*
Et phialam dare, & visceribus manum implere.
Pi.] *Etiam & Viscera dare inest? Fa.*] *Accipe Librum*
Et siquidem, divine fili, facis hæc sicut jubeo
Aquila in nubibus fies; sin autem non dabis,
Non eris nec Turtur nec Aquila, nec Drycolaptus
Pi.] *Et ista ibi insunt? Fa.*] *accipe Librum.*
Pi.] *Nullomodo igitur simile est istud Oraculum huic*
Quod ego ab Apolline acceptum exscripsi.
Sed quando homo veniens non invitatus, verum impostor,
Molestet Sacrificantes, & capere viscera cupiat,
Jam tum opportet verberare ipsum laterum in medio
Fa.] *Nihil dicere puto te. Pi.*] *accipe Librum.*
Ac nihil parcas, neque Aquilæ in nubibus
Neque si fuerit Lampo, neque si magnus ille Diopeithes.
Fa.] *Et ista ibi insunt? Pi.*] *accipe Librum.*
An Non vadis foras in malam rem? Fa.] *Hei mihi miser!*
Pi.] *Annon igitur abibis alio Vaticinaturus?*

Eodem plane modo ejuſmodi *Scurras* deridet in Comœdia ſua, quæ *Pax* appellatur, idem Ariſtophanes:

θε. Ταυτὶ δέδραται. τίθεσο τὼ μηρὼ λαβών.
Ἐγὼ δ' ἐπὶ σπλάγχν' εἶμι καὶ θυλήματα.
τρ. Ἐμοὶ μελήσει ταῦτά γ'. ἀλλ' ἥκειν ἐχρῆν.
θε. Ἰδοὺ πάρειμι. μῶν ἐπισχεῖν σοι δοκῶ;
τρ. Ὄπτα καλῶς νυν αὐτά. καὶ γὰρ οὑτοσὶ
Προσέρχεται δάφνῃ τις ἐστεφανωμένος.
Τίς ἄρα ποτ' ἐστίν; θε.] ὡς ἀλαζὼν φαίνεται.
Μάντις τις ἐστιν; τρ.] οὐ μὰ Δί. ἀλλ' Ἱεροκλέης;
θε. Αὐτός γε πού 'σθ' ὁ χρησμολόγος οὑξ Ὠρεοῦ.
Τί ποτ' ἄρα λέξει; τρ.] δῆλος ἐσθ' οὗτός γ' ὅτι
Ἐναντιώσεταί τι ταῖς διαλλαγαῖς.
θε. Οὐκ ἀλλὰ κατὰ τὴν κνῖσαν εἰσελήλυθεν.
τρ. Μὴ νῦν ὁρᾶν δοκῶμεν αὐτόν. θε.] εὖ λέγεις.
ιε. Τίς ἡ θυσία ποθ' αὑτηὶ; καὶ τῷ θεῶν;
τρ. Ὄπτα σὺ σιγῇ, κἄπαγ' ἀπὸ τῆς ὀσφύος.
ιε. Ὅτῳ δὲ θύετ' οὐ φράζεθ'; τρ.] ἡ κέρκος ποιεῖ
Καλῶς. θε.] καλῶς δῆτ' ὦ πότνι' εἰρήνη φίλη.
ιε. Ἄγε νῦν ἀπάρχου κᾆτα δὸς τὰ πράγματα.
τρ. Ὀπτᾶν ἄμεινον πρῶτον. ιε.] ἀλλὰ ταυταγὶ
Ἤδη 'στὶν ὀπτά. τρ.] πολλὰ πράττεις ὅστις εἶ.
Κατάτεμνε. ποῦ τράπεζα; τὴν σπονδὴν φέρε.
ιε. Ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται. τρ.] μεμνήμεθα.
ιε. Ἀλλ' οἶσθ' ὃ δρᾶσον; θε.] ἢν φράσῃς. τρ.] μὴ διαλέγου
Νῷν μηδέν. εἰρήνῃ γὰρ ἱερὰ θύομεν.
ιε. Ὦ μέλεοι θνητοὶ καὶ νήπιοι. τρ.] ἐς κεφαλὴν σοί.
ιε. Οἵτινες ἀφραδίῃσι θεῶν νόον οὐκ ἀΐοντες
Συνθήκας πεποίησθ' ἄνδρες χαροποῖσι πιθήκοις.
θε. Αἰβοῖ. τρ.] τί γελᾷς. θε.] ἥσθην χαροποῖσι πιθήκοις.
ιε. Καὶ κέπφοι τρήρωνες, ἀλωπεκιδεῦσι πέποιθε.
Ὧν δόλιαι ψυχαί, δόλιαι φρένες. τρ.] εἴθε σου εἶναι
Ὤφελεν ὦ 'λαζὼν οὑτωσὶ θερμὸς ὁ πλεύμων.

ἱε. Εἰ γὰρ μὴ νύμφαι γε θεαὶ βάκιν ἐξαπάτασκον
Μηδὲ βάκις θνητούς, μήδ᾽ αὖ νύμφαι βάκιν αὐτόν,
τρ. Ἐξώλης ἀπόλοι᾽ εἰ μὴ παύσαιο βακίζων.
ἱε. Οὔπω θέσφατον ἦν εἰρήνης δέσμ᾽ ἀναλῦσαι·
Ἀλλὰ τόδε πρῶτον τρ.] τοῖς ἁλσί γε πάσσε ταυτί.
ἱε. Οὐ γάρ πω τοῦτ᾽ ἐστὶ φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν
Φυλόπιδος λῆξαι, πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ.
Ὡς ἡ σφονδύλη φεύγουσα πονηρότατον βδεῖ.
Χ᾽ ἡ κώδων ἀκαλανθὶς ἐπειγομένη τυφλὰ τίκτει.
Τουτάκις οὔπω χρῆν τὴν εἰρήνην πεποιῆσθαι.
τρ. Ἀλλὰ τί χρῆν ἡμᾶς; οὐ παύσασθαι πολεμοῦντας;
Ἢ διακαυνιάσαι, πότεροι κλαυσούμεθα μεῖζον;
Ἐξὸν σπεισαμένοις κοινῇ, τῆς Ἑλλάδος ἄρχειν.
ἱε. Οὔποτε ποιήσεις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν.
τρ. Οὔποτε δειπνήσεις ἐπὶ τοῦ λοιποῦ γ᾽ ἐν πρυτανείῳ
Οὐδ᾽ ἐπὶ τῷ πραχθέντι ποιήσεις ὕστερον οὐδέν.
ἱε. Οὐδέποτ᾽ ἂν θείης λεῖον τὸν τραχὺν ἐχῖνον.
τρ. Ἆρα φενακίζων ποτ᾽ Ἀθηναίους ἐπιπαύσει;
ἱε. Ποῖον γὰρ κατὰ χρησμὸν ἐκαύσατε μῆρα θεοῖσιν;
τρ. Ὥσπερ κάλλιστον δή που πεποίηκεν Ὅμηρος.
Ὡς οἱ μὲν νέφος ἐχθρὸν ἀπωσάμενοι πολέμοιο,
Εἰρήνην εἵλοντο, καὶ ἱδρύσανθ᾽ ἱερείῳ.
Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ᾽ ἐκάη, καὶ σπλάγχν᾽ ἐπάσαντο,
Ἔσπενδον δεπάεσσιν. ἐγὼ δ᾽ ὁδὸν ἡγεμόνευον.
Χρησμολόγῳ δ᾽ οὐδεὶς ἐδίδου κώθωνα φαεινόν.
ἱε. Οὐ μετέχω τούτων, οὐ γὰρ ταῦτ᾽ εἶπε Σίβυλλα.
τρ. Ἀλλ᾽ ὁ σοφός τοι νὴ Δί᾽ Ὅμηρος, δεξιὸν εἶπεν.
Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.
ἱε. Φράζεο δή. μή πώς σε δόλῳ φρένας ἐξαπατήσας
Ἰκτῖνος μάρψῃ. τρ. | τουτὶ μέντοι σὺ φυλάττου.
Ὡς οὗτος φοβερὸς τοῖς σπλάγχνοις ἐστὶν ὁ χρησμός.
Ἔγχει δὴ σπονδήν. καὶ τῶν σπλάγχνων φέρε δευρί.

ἱε. Ἀλλ' εἰ ταῦτα δοκεῖ, κἀγὼ 'μαυτῷ βαλανεύσω.
τρ. Σπονδή. σπονδή.
ἱε. Ἔγχει δὴ κἀμοί, καὶ σπλάγχνων μοῖραν ὄρεξον.
τρ. Ἀλλ' οὔπω τοῦτ' ἐστὶ φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν.
Ἀλλὰ τόδε πρότερον σπένδειν ἡμᾶς. σὲ δ' ἀπελθεῖν.
Ὦ πότνι' εἰρήνη, παράμεινον τὸν βίον ἡμῖν.
ἱε. Πρόσφερε τὴν γλῶτταν. τρ. σὺ δὲ τὴν σαυτοῦ γ' ἀπένεγκε.
ἱε. Σπονδή. τρ. καὶ ταυτὶ μετὰ τῆς σπονδῆς λαβὲ θᾶττον.
ἱε. Οὐδεὶς δώσει μοι τῶν σπλάγχνων; τρ. οὐ γὰρ οἷόν τε
Ἡμῖν πρὶν διδόναι πρὶν καὶ λύκος οἶν ὑμεναιοῖ.
ἱε. Ναὶ πρὸς τῶν γονάτων. τρ. ἄλλως ὦ τᾶν ἱκετεύεις.
Οὐ γὰρ ποιήσεις λεῖον τὸν τραχὺν ἐχῖνον.
Ἄγε δὴ θεαταὶ δεῦρο συσπλαγχνεύετε,
Μετὰ νῷν. ἱε. τί δ' ἔγωγε; τρ. τὴν Σίβυλλαν ἔσθιε.
ἱε. Οὔτοι μὰ τὴν γῆν ταῦτα κατέδεσθον μόνο.
Ἀλλ'. ἁρπάσομαι σφῷν αὐτά. κεῖται δ' ἐν μέσῳ.
τρ. Παῖε, παῖε τὸν Βάκιν. ἱε. μαρτύρομαι
τρ. Κἀγώγ' ὅτι τένθης εἶ καὶ ἀλαζὼν ἀνήρ.
Παῖ' αὐτὸν ἐπέχων τῷ ξύλῳ τὸν ἀλαζόνα.
θε. Σὺ μὲν οὖν. ἐγὼ δὲ τουτονὶ τῶν κῳδίων
Ἃ λάμβαν' αὐτὸς ἐξαπατῶν ἐκβολβιῶ.
Οὐκ καταβαλεῖς τὰ κῴδι' ὦ θυηπόλε;
ἱε. Ἤκουσας ὁ κόραξ οἷος ἦλθ' ἐξ ὠρεοῦ;
θε. Οὐκ ἀποπετήσει θᾶττον εἰς Ἐλύμνιον;

Fa.] *Hæc ſunt peracta: crura jam curans cape:*
Nam viſo ad exta, diiſque pollutum paro.
Tr.] *Curabitur: ſed ventum opportuit ſtatim.*
Fa.] *Mox venio & adſum: num ſtrigans videor tibi?*
Tr.] *Nunc illa rite aſſare cures. neſcio*
Quis iſte lauro qui coronatus venit.
Quis ille tandem eſt? Fa.] *quam videtur arrogans!*
Vatum puto eſſe. Fr.] *Non is eſt, ſed Hierocles.*
Fa.] *Sortilegus ille forſan eſt ex Oreo:*

Quid

Quid volt ſibi ergo? Fr.] apparet infeſtum bonis
Sentire contra ſancta pacis fœdera.
Fa.] *Minime: ſed illum nidor iſte perculit.*
Tr.] *Fingamus hunc nos non videre. Fa.] Rectè ais.*
Hi.] *Quæ ſacra ſunt hæc? cui Deo ſit victima?*
Tr.] *Tu tacitus aſſans dimove a luſtralibus.*
Hi.] *Dicturin' eſtis cui liceris? Tr.] En, bene eſt,*
De pene. Fa.] Amica diva Pax multum bene!
Hi.] *Nunc ergo polluce, atque proficias dato.*
Tr.] *Inſtare præſtat arſui prius. Hi.] Sed hæc*
Satis aſſa. Fr.] multa, quiſquis es, ſatagis nimis.
Age proſecato. Ubi ara? Libamenta fer.
Hi.] *Linguam ſeorſim incidite. Tr.] memores mones.*
Hi.] *Scin quid tu agas? Fa.] Si dixeris. Tr.] Verbum cave*
Faxis modo unum: ſacra nam Paci damus.
Hi.] *O miſeros ſtultoſque homines. Tr.] hoc deprecor in te.*
Hi.] *Qui Divôm ignari mentis (ſocordia tanta eſt)*
Terrificis cum ſimiolis ſic fœdus initis.
Fa.] *Papæ! Tr.] Quid rides? Fa.] de ſimiolis metuendis.*
Hi.] *Volpibus atque leve voltis confidere mergi.*
Mens animi quibus alta dolis pectuſque. Tr.] Utinam tu
Tam caldo pulmone ſuas jactator inanis.
Hi.] *Namque Bacin Nymphæ niſi decepere docentes,*
Nec Bacis ipſe homines, ſi nec Nymphæ Bacin ipſum.
Tr.] *Dii te eradicent, niſi deſinis uſque Baciſſans.*
Hi.] *Nondum erat in fatis diſſolvi vincula Pacis,*
Hoc tamen inprimis. Tr.] decet hæc ſale ſpargere primum.
Hi.] *Nondum etiam ut fiat bellorum miſſio amicum eſt*
Diis ſuperis: prius ante lupo quam nupſerit agna.
Ut malè olet fugiens & viſſit putida blatta,
Ut generat cæcos properans arguta acalanthis [canis:]
Tempora ſic nondum Pacis matura fuerunt.
Tr.] *Quid faceremus enim, non finem imponere bellis?*

 An

An sortiri utri nostrum graviora dolerent?
Imperium in Græcos fædus cum spondeat istud?
Hi.] *At nunquam rectâ efficies incedere cancrum.*
Tr.] *Non te postidea victus manet in Prytanéo:*
Nec facies posthac, Bello quæ stante solebas.
Hi.] *Non facies unquam ut levis fiet asper echinus.*
Hi.] *Quo freti Oraclo, divorum incenditis aras?*
Tr.] *Quod vates faciens pulchrè respondit Homerus*
Sic inimica illi bellorum nube fugata
Pacem acceperunt, & supposuere bidenti:
Ac tandem tostis strebulis, extisque comesis,
Libarunt pateras læti, præeunte viam me:
Sed nullum vati memini præbere culignam.
Hi.] *Hæc ego non capio, nec enim est effata Sibylla.*
Tr.] *At sapiens quondam ritè hoc prædixit Homerus:*
Exsors ille domus, pauperque extorris & exlex
Quem bellum civile juvat crudele, nefandum.
Hi.] *Aspice sis ne quid per fraudem frausus in extis*
Subripiat milvus. Tr.] quin hæc tua cautio sola est:
Nempe istuc metuunt Oraculum viscera. Verum.
Infunde hic libamen, & exta hic providus infer.
Hi.] *Si placet hoc vobis, mihi ero meus ipse minister.*
Tr.] *Liba, liba.*
Hi.] *Funde etiam nobis, extorum & porrice partem.*
Tr.] *At nondum superis placet immortalibus istuc;*
Sed libare prius nos expedit: ipse facesse.
O Dea Pax tecum da posse extendere vitam.
Hi.] *Cedo sis linguam. Tr.] Ipse tuam refer atque remitte.*
Hi.] *Libamen. Tr.] Sed & hæc citò cum libamine suone.*
Hi.] *Nemone exta mihi? Tr.] Nulla id ratione queamus,*
Ante lupus quam connubio sibi junxerit agnam.
Hi.] *At supplex oro. Tr.] Frustra oras supplice voce:*
Non facias etenim ut levis fiet asper echinus.

Agi-

Agite ergo qui spectatis huc adeste vos,
Unà exta edemus. Hi.] *Nil ne ego?* Tr. *Sibyllam ut lubet.*
Hi.] *Haud, Ecere, ista soli edetis in simul:*
Sed rapiam & ipse; quippe quæ in medio jacent.
Tr.] *Feri, feri Bacin.* Hi.] *Hominum testor fidem.*
Tr.] *At ego quod es lurco atque vanus arrogans.*
Juste arrogantem reprimens istum feri.
Fa.] *Potes quidem istuc: ast ego hunc quas accipit*
Deceptor ille ebulbitabo pellibus.
Pellesne haruspex hasce admissurus es?
Hi.] *Audin' quis ille Corvus est ex Oreo?*
Fa.] *Non avolabit ocyus in Elymium?*

Hoc genus hominum quoque sponte sese oggerebat, ubi aut factiones ac divisiones in Regnis aut Rebuspublicis exortæ erant, aut externa bella jam jam instabant aut metuebantur: aut denique ubi novus Reipublicæ alicujus status, novusque rerum ordo sese aperire videbatur. Horum exempla videmus tam ex Plutarcho modo adducta, quam ex Thucidide, qui de instanti bello Peloponnesiaco loquens; inter alia ait: Καὶ πολλὰ μὲν λόγια ἐλέγετο, πολλὰ δὲ χρησμολόγοι ᾖδον, ἔντε τοῖς μέλλουσι πολεμήσειν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσιν. *Multa quoque Oracula efferebantur, ac multa Vates, tam in iis civitatibus, quæ bellum erant gesturæ, quam in aliis.* Atque in eodem libro secundo: Χρησμολόγοι τε ᾖδον χρησμοὺς παντοίους, ὧν ἠκροᾶτο ὡς ἕκαστος ὥρμητο. *Vates quoque multifaria Vaticinia canebant: quæ quisque audiebat* (atque interpretabatur) *ut animo erat affectus.*

Hinc etiam jam adepto imperium Juliano, (differente ita A. Marcellino) *quisque cum imprædite liceret, scientiam Vaticinandi professus, juxta imperitus & docilis, sine fine vel præstitutis ordinibus, Oraculorum permittebatur scitari Res-*

ponsa & Extispicia, nonnunquam futura pandentia: Oscinumque & Auguriorum, & Omnium fides, si reperiri usquam posset affecta varietate quærebatur.

Sic circa expeditionem Atheniensium in Siciliam (testante id Plutarcho in Niciæ vita) λέγεται πολλὰ καὶ παρὰ τῶν ἱερέων ἐναντιοῦσθαι πρὸς τὴν στρατείαν· ἀλλ' ἑτέρους ἔχων μάντεις ὁ Ἀλκιβιάδης ἐκ δή τινων Λογίων προὔφερε παλαιῶν μέγα κλέος τῶν Ἀθηναίων ἀπὸ Σικελίας ἔσεσθαι. *Multa dira etiam a Sacerdotibus adversus susceptam expeditionem memorantur obnuntiata. Sed alios habuit Alcibiades Vates; atque ex vetustis quibusdam* [*Oraculis*] *Vaticiniis Magnum decus prænuntiavit. Athenienses ex Sicilia deportaturos.*

Inter hujusmodi Vates *etiam posterioribus ævis* non deerant (ut jam aliquomodo ex antedictis liquet) unquam nebulones, qui non ex Antiquorum Vatum Oraculis, sed quasi Deo pleni, Divinove instinctu, aliis seu versa seu prorsa Oratione futurorum edebant Vaticinia, aut alias Deorum Monita hominibus annuntiare se prætendebant. Namque uti inter Græcos Præter Lucurgum, & Amphiltum aliosque [Sibyllas, Bacides, cæterosque jam superius memoratos] etiam ipse Numa Rex Romanorum (inspirante quasi Dea Egeriâ) Scipio Africanus, Sertorius ac Sylla Numinum revelationes prætendebant: & C. Marius secum in expeditiones ducebat Martham quandam mulierem Syram, quæ ipsi Vates erat, narrante id hoc modo Plutarcho, cujus verba mihi digna videntur ut huc, e Marii vita afferantur: Ταῦτ' ἀκούων ὁ Μάριος ἥδετο, καὶ κατεπράυνεν αὐτοὺς, ὡς οὐκ ἐκείνοις ἀπιστῶν, ἀλλ' ἔκ τινων λογίων τον τῆς νίκης ἅμα καιρὸν καὶ τόπον ἐκδεχόμενος. Καὶ γάρ τινα Σύραν γυναῖκα, Μάρθαν ὄνομα μαντεύεσθαι λεγομένην, ἐν φορείῳ καταχειμένην σεμνῶς περιήγετο, καὶ θυσίας ἔθυεν ἐκείνης κελευούσης· ἣν πρότερον μὲν ἀπήλασεν ἡ σύγκλητος ἐντυχεῖν ὑπὲρ τούτων βουλομένην, καὶ τὰ μέλλοντα προθεσπίζουσαν· ἐπεὶ δὲ πρὸς τὰς γυναῖκας εἰσιοῦσα διάπειραν ἐδίδου, καὶ μάλιστα τὴν Μαρίου, ἡ παρακα-θί-

θίζουσα παρὰ τοὺς πόδας τῶν μονομάχων, ἐπιτυχῶς προηγόρευε τὸν μέλλοντα νικᾶν, ἀναπεμφθεῖσα πρὸς Μάριον ὑπ' ἐκείνης, ἐθαυμάζετο· καὶ τὰ πολλὰ μὲν ἐν φορείῳ παρεκομίζετο, πρὸς δὲ τὰς θυσίας κατήει φοινικίδα διπλῆν ἐμπεπορπημένη, καὶ λόγχην ἀναδεδεμένην ταινίαις καὶ στεφανώμασι φέρουσα. τοῦτο μὲν οὖν τὸ δρᾶμα πολλοῖς ἀμφισβήτησιν παρεῖχεν, εἴτε πεπεισμένος ὡς ἀληθῶς, εἴτε πλαττόμενος καὶ συνυποκρινόμενος ἐπιδείκνυται τὴν ἄνθρωπον. *Ea audienti Mario gratia erant: qui leniebat eos, quasi non diffideret ipsis, sed ex Oraculis quibusdam victoriæ pariter tempus ac locum captaret. Namque mulierem quandam Syram, Martham nomine, quæ* [NB] *ferebatur edere Vaticinia, in lecticâ decumbentem, magna circumducebat veneratione, & Sacra illius monitu faciebat. Quam Senatus pridem, quum de his differere vellet, & prænuntiaret venientia, repulerat. Verum postquam cum fœminis congressa documentum dedit sui, præsertim ad pedes uxoris Marii assidens eamque affata, qui esset ex gladiatoribus victoriam laturus, prædixisset, ab eâ ad Marium missa, in honore habebatur apud eum, ac lectica fere vehebatur. Ad rem Divinam puniceo Amictu duplici fibulato hastam vittis redimitam & coronamentis ferens procedebat. At hæc quidem fabula adduxit indubitationem complures, vere ne fidem ei Marius haberet, an serviens ex composito huic fabulæ ostentaret eam mulierem.* Hæc de muliere ista Syrâ Plutarchus.

At non minus digna, licet paulò prolixiora, sunt ea quæ Diodorus Siculus (lib. 34. dudum deperdito, sed ex cujus fragmentis illa vertit Henr. Stephanus) plutibus ac majoribus cum circumstantiis quam Florus (lib. 3. cap. V.) narrat de *Euneo* homine itidem Syro; atque insigni præstigiatore, Servilis belli per Siciliam incentore. Quamebrem hanc historiam non ingratam fore Lectori mihi confido neque inutilem. Versio autem hujus fragmenti ab H. Stephano facta (cujus ipsa Græca verba nobis desunt) hæc sequens: *Itaque opportunum tempus nacti, in unum convenientes de defe-*

ctio-

ctione ſermones inter ſe conferre ſolebant : donec tandem verba ad rem contulerunt. Erat enim Servus quidam Syrus in urbe Apamea natus (Cujus dominus Antigenes vocabatur, eratque Enna ortus) vir Magicis incantationibus & circulatoriis captionibus ac præſtigiis deditus. Hic ſe futura prædicere inſtinctu afflatuque Deorum ipſi in ſomnis apparentium ſimulabat : multiſque per eam quâ utebatur hac in parte ſolertiam ac dexteritatem imponebat. Ab his autem primordiis longius progreſſus, non ſolum ex ſomniorum viſis futura prænuntiabat, ſed & vigil cernere ſe Deos & ex iis res futuras audire fingebat. Quum autem in multis Vaticinationibus mendax comperiretur, interim tamen caſu eventus quarundam rerum vere prædictionibus ejus reſponderent ; & falſa quidem ejus Vaticinia nemo coargueret, vera autem cum applauſu diligenter notarentur, hominum opinio de eo indies augebatur. Poſtremo artificium excogitavit, quo flammam ex ore cum quodam fanatico furore emittebat, & cum flamma ſimul Vaticina verba Phœbadum in morem fundebat. Ignem enim in nucem aut aliquid hujuſmodi utrimque perforatum, ſimulque Materiam quæ illum alere poſſet imponebat : deinde ori indens & afflans, modo ſcintillas, modo flammam accendebat. Hic ante defectionem jactare conſueverat, apparentem ſibi in ſomnis Syriam Deam dignitatem regiam polliceri. Et hoc non aliis ſolum ſed & ſuo ipſius Domino aſſidue dictabat. Quum autem riſu res hæc exciperetur, Antigenes ex hiſcis prodigioſis mendaciis voluptatem capiens, in conviviis ad quæ invitatus erat, Eunum (ita enim hic præſtigiator vocabatur) aſſeclam habebat, eumque ibi ſuper ſuo regno interrogabat, & quomodo erga unumquemque eorum qui in cœtu illo erant gerere ſe decreviſſet. Quum autem ille ita iis reſponderet, ut in ſuis ſermonibus minime vacillaret, polliceretúrque fore ut dominos ſuos leniter clementerque acciperet, mera denique monſtra illis ſuper aliis variis rebus narrare pergeret : omnibus

con-

convivis risum movebat. Ex quibus nonnulli ferculorum portiones non pœnitendas ablatas e mensa ei porrigebant, atque inter porrigendum hortabantur, ut regnum adeptus accepti ab ipsis beneficii memor esset. Sed enim quæ prodigiosa esse videbatur vaniloquentia minime vanum nacta est tandem exitum, regni adeptionem. Quod tamen ipsi tandem exitio fuit, uti ulterius istud fragmentum legenti patescit.

De muliere quoque Vate exemplum habemus apud Dionem, lib. 55. sub finem; cui ipse Augustus fidem adhibere simulabat: verba Dionis sunt: Καὶ τὰ τῆς πανηγύρεως τῆς μεγάλης ηὔξατο, ὅτι γυνή τις εἰς τὸν βραχίονα γράμματα ἄττα ἐντεμοῦσα, ἐθείασέ τινα. ᾔδει το μὲν γὰρ ὅτι οὐκ ἐκ θεοῦ κατέχετο, ἀλλ' ἐκ παρασκευῆς αὐτὸ ἐπεποιήκει. ἐπειδὴ δὲ τὸ πλῆθος ἄλλως τε καὶ διὰ τοὺς πολέμους, τόν τε λιμὸν, ὃς καὶ τότε αὖθις συνέβη, δεινῶς ἐταράττετο, πιστεύειν τε καὶ αὐτὸς τοῖς λεχθεῖσιν ἐπλάττετο, καὶ πάνθ' ὅσα παραμυθήσεσθαι τὸν ὅμιλον ἤμελλεν, ὡς καὶ ἀναγκαῖα ἔπραττε. *Ludosque magnos* [Augustus] *Vovit, quum mulier quædam, literis aliquibus* [*ab ipsa*] *in brachium suum incisis, quasi divino afflatu mota, quædam Vaticinia edidisset. Quam quum satis ipse sciret non Numine correptam, sed ex composito id agere; tamen perturbato vehementer ob bella, ac famem quæ rursus ingruerat, populo; se quoque fidem ejus dictis adhibere simulavit, omniaque quæ ad consolandam plebem facerent, necessaria putans, egit.*

De *Velleda* Germanorum Fatidica, *quæ ipsa fundebat Oracula, dum delectus aliquis e propinquis. Consulta Responsaque, ut internuntius Numinis portabat*; Videatur Tacitus lib. 4. Historiarum. Plura hujusmodi exempla afferri possent: sed hæc abunde suffecerint; ne nimium tædium Lectoribus meis creare velle videar.

Verum enim vero sicut hujusmodi χρησμολόγοι pene ubique (si qua daretur occasio) aures mentesve magis minusve superstitiosorum obturbabant; sic homines plurimi huic super-

ſtioni nimium addicti homines privati atque Idiotæ ejuſmodi *libellos Fœtidicos* , ſive *Oraculorum* , undecunque ſæpe corraſorum *collectanea* , ſibi domi conſervabant , iiſque quacunque forte data , vel ſibi ita viſa , occaſione utebantur, eaque, uti *Oracula* e χρηστηρίοις ſeu *templis fatidicis* reddita, conſulebant : ita ut , in quibuſvis incidentibus dubiis aut difficultatibus , ipſis plane pro Oraculis divinitus datis haberentur: atque hinc illa Sibyllina atque alia Fatidica , per totam Græciam , Aſiam &c. diſperſa. Atque erant quidem vel ſolius alicujus , vel plurium prætenſarum *Sibyllarum* ſimul ; vel unius pluriumve *Bacidum ;* vel ſola *Muſæi* , *Orphei* , *Melampodis*, *Amphilyti* aliorumve in unum collecta ; vel denique ſimul & *Sibyllæ* & *Bacidis* alicujus , & aliorum (etiam *Apollinis* , *Jovis*, ex Templis Fatidicis deſcripta ac congregata. Quorum quo plura quis poſſideret eo feliciorem ſeſe exiſtimabat; ut qui eo facilius futurorum præſcius foret , ſi de iis anxietas incideret.

Apparet hoc tam ex nunc plus ſemel adducto Ariſtophane , quam Feneſtellâ (apud Lactantium ,) Tacito, Suetonio aliiſque Scriptoribus tam Græcis quam Latinis. Sic enim apud Ariſtophanem *Demoſthenes* ac *Nicias* (in Equitibus Comœdiâ) furantur χρησμοὺς *Cleonis*. Ibi enim Demoſthenes: Τοὺς χρησμοὺς ταχὺ κλέψας ἔνεγκε τοῦ Παφλαγόνος ἔνδοθεν,

Ἕως καθεύδει. . . . . . *celeriter furtim aufer Oracula Paphlagonis ex domo , dum adhuc dormit* , & cætera ibi melius legenda.

Sic quoque poſtea in eâdem Comœdia Cleon :

Κλ.] Μὴ δῆτα πῶ γε ὦ δέσποτ᾽ ἀντιβολῶ σ᾽ ἐγὼ
Πρὶν ἄν γε τῶν χρησμῶν ἀκούσῃς τῶν ἐμῶν.
Ἀλ.] Καὶ τῶν ἐμῶν νυν. Κλ.] ἀλλ᾽ ἐὰν τούτῳ πίθῃ
Μόλγον γενέσθαι δεῖ σε Ἀλ.] κἄν γε τουτῳΐ,
Ψωλὸν γενέσθαι δεῖ σε μέχρι τοῦ μυρρίνου.

Κλ

Κλ.] Ἀλλ' οἵ γ' ἐμοὶ λέγουσιν ὡς ἄρξαι σε δεῖ
Χώρας ἁπάσης, ἐστεφανωμένον ῥόδοις.
Ἀλ.] Οἱ μοὶ δὲ αὖ λέγουσιν, ὡς ἁλουργίδα
Ἔχων καταπαστὸν καὶ στεφάνην, ἐφ' ἅρματος
Χρυσοῦ διώξεις σμικύθην, καὶ κύριον.
Κλ.] Καὶ μὴν ἔνεγκ' αὐτοὺς ἰών. ἵν' οὑτοσὶ
Αὐτῶν ἀκούσῃ. Ἀλ.] πάνυ γε. Δη.] καὶ σὺ δὴ φέρε.
Κλ.] Ἰδού. Ἀλ.] ἰδού. Δη.] νὴ τὸν Δί' οὐδὲν κωλύει.

Cl.] *Istuc ne faxis mi Domine, te obsecro,*
Antequam audiveris mea Oracula
Al.] *Et tu nunc mea.* Cl.] *At si huic obtemperes*
Peculatorem opportet te fieri. Al.] *Et si huic*
Herniosum te fieri opportet usque ad caput.
Cl.] *Atque mea [Oracula] dicunt, quod opporteat*
Te imperio totius terræ poteri
Rosis coronatum. Al.] *Mea vicissim dicunt,*
Quod tu trabeatus ac serto micans
In aureo curru sequeris Smicytam
Et Dominum. Cl.] *Quin abis & huc affers tua*
Oracula, ut populus ista audiat. Al.] *Admodum.*
Po.] *Et tu feras tua.* Cl.] *Ecce in promptu sunt mea.*
Al.] *Ecce & mea.* Po.] *Per Jovem jam nihil est in mora.*

Sic, post intermedium Chorum, iterum:

Κλ.] Ἰδού. θέασαι κοὐχ ἅπαντας ἐκφέρω
Ἀλ.] Οἴμ' ὡς χεσείω, κοὐχ ἅπαντας ἐκφέρω.
Δη.] Ταυτὶ τί ἐστιν; Κλ.] Λόγια. Δη.] Ταῦτα; Κλ.] ἐθαύμασας;
Καὶ νὴ Δί' ἔτι γ' ἐμοῦ 'στὶ κιβωτὸς πλέα.
Αλ.] Ἐμοὶ δ' ὑπερῷον, καὶ ξυνοικία δύω
Δη.] Φέρ' ἴδω. τίνος γάρ εἰσιν οἱ χρησμοί ποτε;
Κλ.] Οὑμοὶ μέν εἰσι Βάκιδος. Δη.] οἱ δὲ σοὶ τίνος;
Αλ.] Γλάνιδος ἀδελφοῦ τοῦ Βάκιδος γεραιτέρου.
Δη.] Οἱ σοὶ δὲ περὶ τοῦ; &c.

Cl.] *En vide sis* [Oracula mea] *nec omnia quidem effero.*

Al.] *Heu! quam cacaturio! neque ego effero omnia.*

Po.] *Quæ ac qualia hæc sunt? Cl.*] *Oracula.*

Po.] *Omnia? Cl.*] *Idne miraris?*

Quin imò, per Jovem! mihi adhuc arca iis referta domi.

Al.] *Et mihi cænaculum & duo domicilia.*

Po.] *Sine videam, cujus demum sint hæc* [*tua*] *Oracula.*

Cl.] *Mea quidem sunt Bacidis. Po.*] *Cujus vero sunt tua?*

Al.] *Glanidis, qui Bacidis frater major fuit.*

Po.] *At tua, de qua reloquuntur? &c.*

CAP. VI.

De prætensis Romanorum, Græcorumque, Sibyllinis *atque, ista occasione de* Rhetris Lacedæmoniorum: *inter quas &* Sibyllina Romanorum *comparatio, (tum ratione historiæ, tum aliarum circumstatiarum) instituitur: unde & ulterior* Sibyllinorum *historia. De* Fanaticis *interim adhuc nonnulla, &* Sortilegis. *De* Canonizatione novorum Sibyllinorum *apud Romanos. De novis, ac* quasi per Insomnia Divina, *additis. De* Sibyllistis, *tam inter Gentiles quam inter Christianos. De diversis admodum primorum Christianorum, circa Auctorem* Sibyllinorum, *similiumque*

que Vaticiniorum (Deusne an Diabolus fuerit) sententiis.

UT autem per ejusmodi imposturas ludebatur quoque in Græciâ & Asia minori stultum & superstitionibus nimis addictum vulgus; sic ex adverso libri illi apud prudentiores, hominesve alicujus judicii & experientiæ, in nullo honore aut prætio erant.

Nam quamvis ipse Plato Sibyllas ut Fatidicas laudare videatur, minime tamen laudat ista *Carmina* quæ ipsarum nominibus conficta ac supposita fuerant, quæque ubique pene, æque ut *Mopsi*, ut *Lini*, ut *Orphei*, ut denique aliorum plurimorum, vulgi manibus terebantur; dum interim Magnates aut Principes, qui Reipublicæ causâ Divina *Oracula* se velle consulere perhibebant, vel ad *Oraculum Delphicum*, vel, *Dodonæum* vel *Ammonis*, vel aliud quoddam ex celeberrimis fama & auctoritate, proficiscebantur, aut sibi domi, sive in proprio Regno vel Republica, sua *publica* (ac quasi *domestica*) consulebant μαντεῖα.

Sic Thebani Oraculum suum *Apollinis Ismenii*, sic alii quoque (ut alibi noto) sua sibi propria habebant χρηστήρια; ac sic Lacedæmonii suas *Rhetras* (ῥήτρας) seu *Sententias* vel *Monita Divina*; quæ pro *Oraculis ab Apolline Delphico datis*, aut Lycurgo Divinitus inspiratis, vel traditis demum a *Pythiis*, qui ex nomine Auctoritate Regis utriusque Delphos *Apollinem*, seu *Pythiam* consultum ibant, habebantur.

Lycurgus enim, ut Legibus suis jam faciendis Divinam conciliaret Auctoritatem, primum *Delphos est profectus. consultoque Deo & Sacris peractis, regressus domum est cum celebrato illo, Oraculo, quo Diis charum eum, & Deum potius quam hominem, Vates appelavit: rectamque Reipublicæ insti-*

stitutionem petenti, concedere, & annuere respondit Deum, &c. Quam artem & alii Reges Imperatores ac Duces (uti ex Numæ, ex Marii, ex Sertorii aliorumque exemplis patet) didicerunt:

Ut autem ulterius ipsius Leges Divinam obtinerent Auctoritatem, eas *Rhetras* vocavit, quasi a Deo Sancitas & *Oracula.* Sic namque in vita Lycurgi (ex quo modo adducta quoque habeo) loquitur: Τὰ μὲν οὖν τοιαῦτα νομοθετήματα Ῥήτρας ὀνόμασεν, ὡς παρὰ τοῦ θεοῦ νομιζόμενα, καὶ χρησμοὺς ὄντα. *Eas Leges* RHETRAS *vocavit, quasi a Deo Sancitæ atque adeo Oracula essent.*

Ut verò eo magis stabiles ac perpetuas eas redderet Juramento obstringebat populum; sub extremum vitæ tempus, ut Legibus suis tamdiu firmiter inhæreret, donec Delphis ipse a Deo Responsum super illis reportasset. Quo profectus, ut ibi, ad Oraculum Sacris Apollini factis, consuluit eum, satisne Leges recte, ut feliciter & cum vertute viveret civitas sua, essent latæ; Responsumque a Deo accepit *præclare Leges latas esse, Et civitatem, quousque Lycurgi Legibus viveret, permansuram clarissimam; Sortes* [τὸ μάντευμα] *descriptas Spartam misit*, &c. quæ Plutarchus, super hac re de ipso narrat.

Nec voluit istas *Rhetras* in vulgus ullo modo publicari, aut Scriptis ullibi publice prostare: sed (ut Romani quidem Leges suas XII. Tabularum publicabant; verum *Sibyllina* sua, cæteraque super sacris faciendis, &c. Divina effata, in Augurum, Pontificum aliorumque Sacerdotalium Collegiorum libris Sacris, occultata servabant) ita hæ semper sub Regum custodia servarentur, curavit. Sic enim Herodotus (lib. VI.) de Regibus loquitur: Τὰς δὲ μαντηΐας τὰς γενομένας τούτους φυλάσσειν, συνειδέναι δὲ τοὺς Πυθίους.

Namque ut hæ Lycurgi *Rhetræ* sub Custodia Regum erant, ita & omnia *Oracula Delphis petita*, ad ipsos defere-

rebantur, ipsique illorum manebant [quod æque apud priscos Romanos obtinebat] Interpretes : nisi quod, cum *duo* essent *Reges*, utrique liceret sibi eligere *duos Pythios*. qui inde istud nomen nacti fuere, quod *Regum nomine* ac *mandato*, si ita necessitas urgere ipsis videretur, *Delphos consultum Pythiam mitterentur* [quod & τῶν θεώρων atque ἀρχιθεώρων apud alios Græcos minus erat] Responsaque Divina (ita prætensa) ad Reges referent. Ita enim de ipsis idem loquitur Herodotus : Οἱ δὲ Πύθιοι, εἰσὶ θεοπρόποι εἰς Δελφοὺς, σιτεόμενοι μετὰ τῶν βασιλέων τὰ δημόσια. *Sunt autem Pythii, qui Delphos ad consulenda Oracula mittuntur, quique publicè cum Regibus vescuntur.* Sic, ut (σύσκηνοι a Xenophonte hinc appellati) Regibus cum domi tum militiæ semper præsentes adessent, ac conscii quidem horum negotiorum essent ac Ministri, Reges vero Domini.

Reges autem tali modi hic se gessisse, uti apud Romanos *Senatum*, ac *Cæsares* postea, circa *Oracula Sibyllina*, patet ex eo ; quod cum *Cæsares* Romanorum simul Summi essent Pontifices, ita Xenophon de *Regibus Spartanis* testetur, eos fuisse ἱερεῖς μὲν τὰ περὶ τοὺς θεοὺς, στρατηγοὺς δὲ, τὰ περὶ τοὺς ἀνθρώπους, *Rerum Divinarum respectu Sacerdotes, humanarum vero, Imperatores* quod clarius exprimit his verbis : Ἔθηκε γὰρ θύειν μὲν τὸν βασιλέα περὶ τῆς πόλεως τὰ δημόσια ἅπαντα, ὡς ἀπὸ τοῦ θεοῦ ὄντα, καὶ στρατιὰν ὅποι ἂν ἡ πόλις ἐκπέμπῃ, ἡγεῖσθαι. *Sanxit igitur, ut Rex pro Salute civitatis rem Divinam in omnibus Sacris publicis faceret ; veluti qui esset a Deo (ad id) constitutus. Idem quocunque militum copias mitteret, Ducis ut munere fungeretur.*

Quod & alii Gentiles, ab antiquissimis temporibus, observasse, tum alii, tum breviter admodum, magnus ille *Hugo Grotius* ostendit (in eximio isto opere *de Imperio Summarum Potestatum circa Sacra*) his verbis : *Neque alius mos antiquitus cæteris gentibus, sive natura suadente, sive majorum*

rum

rum exemplo : ex qua origine & ritus Sacrificandi vetustissimis gentibus pene eosdem fuisse apparet. Hinc Cicero, Omnino apud veteres qui rerum potiebantur, iidem Auguria tenebant : ut enim sapere, sic Divinare, regale ducebant. Hinc Virgilius : REX ANIUS, REX IDEM HOMINUM, PHOEBIQUE SACERDOS. *Et passim apud eundem Poëtam, ut & apud Homerum Heroës, hoc est Principes, Sacrificant. Apud Æthiopes Reges fuisse Sacerdotes narrat Diodorus, apud Ægyptios Plutarchus, apud Spartiatas Herodotus, apud Athenienses & Plerasque Græcorum civitates Plato. Romanos idem secutos Halicarnassæus & Livius nos docent. Unde etiam Regno sublato mansit Rex Sacrorum* [huc usque summa brevitate Grotius] & mutatâ denique in Monarchiam Republica, *Cæsares :* uti abunde ex Inscriptionibus, numismatis, aliisque antiquis monumentis ac Scriptoribus vulgo notum est.

Ex illis vero, quæ supra *de Pythiis* attuli, patet, eos idem munus obiisse, quod obibant apud Romanos primum *Duumviri cum duobus Ministris suis publicis*, ac postea (cum jam Plebs Romana Nobilibus circa id negotium non amplius fideret) *Decemviri*, partim ex Nobilibus, partim ex plebe electi; tandemque XV. *viri :* quorum numerus tractu temporis in tantum excrevit, ut ad LX. *viros* numero (retento tamen XV. *virûm* nomine) adauctus fuerit.

Elucet inde quoque, quod sicut Spartæ *Pythii*, qui Regibus semper aderant, atque ex præcipuis auctoritate civibus erant, & a Rege, vel Regibus, consultum Oracula mittebantur, ad Regem, vel Reges, (ut ad Summos Pontifices, summosque Magistratus, minime verò ad Populum) Responsa referre debebant; ut illi ipsorum ita Interpretes essent : ac *Rhetræ* sub eorum custodiâ ac potestate essent; atque ita quidem ut illas tuto fingere ac refingere, vel adaugere pro lubitu ipsis liceret, si id in rem publicam, vel proprium

ipso-

ipſorum commodum facere videretur: liquet inde, dico, Romanos quoque hæc Spartanorum inventa fuiſſe imitatos; ut ſic Oracula publica (uti & Summa Sacerdotia) in ſua haberent poteſtate, plebemque ita commodius regere valerent. Namque ut *Pythii* ex præcipuis Regum Aſſeſſoribus, Conſiliariis, & Miniſtris, adeoque & Principibus in Republica viris, erant; ſic & *Duumviri* primum, ac poſt XV.*viri* ex Nobiliſſimis ac maximis in Republica viris (quique alia Sacerdotia ac Summa munera jam obibant, vel obierant, ac ipſi membra Senatus eſſent, vel a Cæſarum nutibus dependebant) eligebantur. Qui XV.*viri* quoque prætenſa ſua, ex *Sibyllinis* hauſta *Reſponſa* vel Oracula, minime ad populum, verum ad Senatum, ut veros ipſorum ac ſummos Interpretes, referebant, ipſiuſque arbitrio quæ ac qualia publicanda videbantur relinquebant.

Rhetras autem, ad lubitum Lacedæmoniorum Regum, mutatas & adauctas fuiſſe, cum interim prætenderent ac pertenderent, atque Auctoritate ſuâ evincerent (ſi forte tale quid ad plebem penetraverat) id Divina ex Auctoritate factum fuiſſe, oſtendit ſatis hoc unicum exemplum, quod in Lycurgi vita nobis ſic affert Plutarchus. Τοῦ δὲ πλήθους ἀθροισθέντος εἰπεῖν μὲν οὐδενὶ γνώμην τῶν ἄλλων ὑφεῖτο, τὴν δ' ὑπὸ τῶν γερόντων καὶ τῶν βασιλέων προτεθεῖσαν ἐπικρίναι κύριος ἦν ὁ δῆμος. ὕστερον μέντοι τῶν πολλῶν ἀφαιρέσει καὶ προσθέσει τὰς γνώμας διαστρεφόντων, καὶ παραβιαζομένων, Πολύδωρος καὶ Θεόπομπος οἱ βασιλεῖς τάδε τῇ ῥήτρᾳ παρενέγραψαν. αἰ δὲ σκολιὰν ὁ δᾶμος ἔροιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας εἶμεν. τοῦτ' ἐστι μὴ κυροῦν, ἀλλ' ὅλως ἀφίστασθαι καὶ διαλύειν τὸν δῆμον, ὡς ἐκτρέποντα καὶ μεταποιοῦντα τὴν γνώμην παρὰ τὸ βέλτιστον. ἔπεισαν δὲ καὶ αὐτοὶ τὴν πόλιν ὡς τοῦ θεοῦ ταῦτα προστάσσοντες· ὥς που Τυρταῖος ἐπιμέμνηται διὰ τούτων,

Φοίβου ἀκούσαντες Πυθωνόθεν, οἱ τάδε νικᾶν
Μαντείας τε θεοῦ καὶ τελέειν τ' ἔπεα.
Ἄρχειν μὲν βουλῆς θεοτιμήτους βασιλῆας,

῞Οισι μέλει Σπάρτας ἱμερόεσσα πόλις,
Πρεσβύτας τε γέροντας, ἔπειτα δὲ δημότας ἄνδρας,
Εὐθείαις ῥήτραις ἀνταπαμειβομένους.

In plebis concilio nemini rogationem ferre de ulla re permissum fuit: sed quam Senatus ac Reges promulgassent, jus populo erat comprobandi. Post quum plebs detrahendo & adjiciendo, perverterent & adulterarent decreta, Polydorus & Theopompus Reges, adscripserunt hæc Rhetræ [quam super hac re Plutarchus paulo superius adduxerat] QUÆ PRAVE POPULUS ROGASSIT, EA SENATUI REGIBUSQUE RETRACTANDI JUS ESTO. *Id non est ratum facere, sed prorsus summovere & ablegare populum, quasi invertentem & depravantem rogationem. Id* [NB] *illi induxerunt civitatem, ut crederent hoc Deum jussisse, ut his versibus memorat Tyrtæus:*

Eximias Sortes atque hæc Oracula vobis,
Vincere si est animus, Phœbus Apollo dedit:
Urbis consilio Sacros Reges moderari,
Quos dulcis Spartæ sollicitudo tenet.
Majoresque senes natu, populumque frequentem,
Hinc latas Leges sciscere si placeat.

Cruserius, certe, qui hæc ita transtulit, minime cepit, uti judico, mentem & acumen postremi versus in hoc Tyrtæi carmine;

Εὐθείαις ῥήτραις ἀνταπαμειβομένους.

Namque exprimit, licet indirecte, per εὐθείας ῥήτρας, ejusmodi *Rhetras*, quæ, ut Reges populo persuadebant, immutatæ quidem ac correctæ, verum Divinitus, vel ex Dei (sive Apollinis, sive alterius cujusdam) voluntare ac monitu, vel mandato, mutatæ vel correctæ fuerant: quibusque igitur assensum præbere populus, atque eo contentus esse, debebat. Quod itidem sic locum habuit inter Romanos, quibus necesse erat, ut Senatûs circa hæc interpretamentis

ac-

acquiescerent: ac quos Libros ille in locum deperditorum substituisset, istos, ut ejusdem veritatis atque Auctoritatis, amplecterentur.

Quis interim, talibus perpensis, amplius dubitet, *Tarquinium*, sive *Priscum*, sive *Superbum* [nam de hac re, uti & de numero Librorum divenditorum, adhuc sub judice lis est] vel demum alios, quicunque demum fuerint, sub nomine hujus illiusve *Tarquinii*, hos *Libros* (si ulli re verâ fuerint) confinxisse, ac famam illam, seu fabulam, de Anu istâ hos *Libros* venditante, sparsisse; æque ac Lycurgus id *de Rhetris* suis fecerat; atque alii post ipsum Reges continuarant, ac fabulam ulterius (sicut & ipsas *Rhetras*) adornarant? Id enim semper fabulosis accidit, ut, quo longius temporis spatium percurrant, eo magis undecunque adaugeantur: quod exemplis (quæ se sponte pene ubique produnt) demonstrare minime necessarium duco.

Unde autem hi *Libri Sibyllini*, post incendia diversa ac ruinas Capitolii, denuò corrasi fuerint, docent nos partim *Fenestella*, partim *Varro*, partim alii. Ex *Fenestella* hæc sequentia affert Lactantius, lib. I. cap. 6. de Falsa Religione: *Si quidem Fenestella diligentissimus scriptor de XV.viris dicens, ait restituto Capitolio retulisse ad Senatum C. Curionem Cos. ut legati Erythras mitterentur, qui* CARMINA SIBYLLÆ *conquisita Romam deportarent: itaque missos esse P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium; qui descriptos* A PRIVATIS [quod indicat, illa ibi Templis non fuisse servata, verum vulgaria admodum fuisse] *versus circa mille, Romam deportarunt.*

Non negare velim, ibi aut alibi quoque, in Templis, *fatidica* quædam *Carmina* fuisse servata: per quæ *Fanatici* Templorum Ministri, qui *Sortilegi* sic simul erant, *Sortes legerent*, & superstitiosis eventum aliquem sciscitantibus futura prædicere sustinebant: Hucque referri posse *Libros Sibyl-*

byllinos; cum Prudentius, in Apotheosi, canat: . . . *non ſpumat anhelus Fata Sibyllinis Fanaticus edita Libris.* At quis oſtendat ibi Prudentium ad Libros iſtos, digitum intendiſſe, qui tam anxie a XV.*viris* ſervabantur; cum hi nunquam *Fanatici* appellati fuerint, nec *Carmina Sibyllina* ad futura prædicenda unquam populo cecinerint: aut hæc, a Feneſtella memorata, ullis ex Templis eruta fuiſſe; cum a Privatis eorum poſſeſſoribus (ut ſtatim clarius videbimus) illa fuiſſe petita conſtet ac deſcripta?

Certe liquet ſatis, ex præcedentibus, per totam Græciam *Carmina Sibyllina* non majoris Auctoritatis fuiſſe, quam Oracula *Bacidum*, quam *Glanidis*, quam denique multorum aliorum, qui *Vates* vulgò habebantur.

Interim hoc verum eſt (quantumvis *Fanatici*, imprimis *Bellonæ* & *Magnæ Matris*, &c. quales ab Apulejo & Juvenale graphicè deſcribuntur, urbes oppida ac vicos circumcurſitarent, ut ſtultum vulgus, ac præcipue quidem mulieres, emungerent) hoc, dico, tamen verum eſt, eos quammaxime ſe ad Templa, ut illorum Antiſtites, Cuſtodes, ac Vates, ac dicatos illorum Templorum Miniſterio, ſtitiſſe. Quò alludere mihi videtur Juvenalis, Sat. 2. hiſce . . . *& crine Senex Fanaticus albo Sacrorum Antiſtes.*

Hic namque, ut in Deorum præſentia, ſuis nugis ac mendaciis majorem fidem conciliare ſe poſſe videbantur: imprimis ſi confictum aliquod Miraculum ibi intercurrere poſſet, *Et moviſſe caput viſa eſſet argentea ſerpens.*

Firmant hæc de *Fanaticis* (quos Arnobius, lib. I. *nunquam non Vanos* vocat) Inſcriptiones, tam illa, quæ apud Gruterum pag. 654. reperitur, quam hæ ſequentes quæ apud eundem pag. 312 & 313. habentur: quarum prima eſt;

D. M.

D. M.
L. CORNELIO. JANUARIO
FANATICO. AB. ISIS. SERAPIS
AB. ÆDEM. BELLONÆ, &c.

Secunda vero hæc,

Q. CÆCILIO. APOLLINARI
FANATICO. DE. ÆDE. BELLONÆ. PULVIN
CUJUS. MONITO. HASTA. IN ÆDE
BELLONÆ. IN. LUCO. DICATA. EST, &c.

Aut in Templis igitur, ut plurimum, aut circa Templa ac loca Templis dicata, versabantur: quod & patere videtur ex hac sequenti Inscriptione, quam Reinesius pag. 761. affert.

D. M.
SEVERUS. FANAT. EX. VICO
BELLONÆ. CONJUGI. SUÆ, &c.

Sic & *Sortilegi* non solum per Fora, per Theatra, per Circos, per Vicos ac per Trivias circumvagabantur; verum & in Templis & circa Templa (in quibus & *Sortes legebant*, & aliter Vaticinabantur) plurimum versabantur; cum vel sæpe iidem cum modo dictis *Fanaticis* essent, vel plane ejusdem farinæ ac commatis scurræ. Hoc ostendere videtur illa Inscriptio, quam exhibet nobis hoc modo, in Miscellaneis Eruditæ Antiquitatis, eruditissimus J. Sponius;

C. STIMMINIUS
HERACLA
SORTILEGUS
AB. VENERE
ERUCINA, &c.

Quamquam vero *versus Fatidici* ex Templis per *Antistites*, per *Fanaticos* & *Sortilegos* admodum frequenter prodirent: non tamen aut ex hoc loco, aut ex aliis alicubi, de *Sibyllinis* constat. At confirmat illud, de privatis, quoque Dionysius Halicarnassæus (lib. I.) ubi ita habet: Οἱ δὲ νῦν ὄντες ἐκ πολλῶν εἰσι σύμφοροι τῶν τόπων, οἱ μὲν ἐκ τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πόλεων κομισθέντες, οἱ δ᾽ ἐξ Ἐρυθρῶν τῶν ἐν Ἀσίᾳ, κατὰ δόγμα βουλῆς ἀποσταλέντων πρεσβευτῶν, ἐπὶ τὴν ἐπιγραφὴν, οἱ δ᾽ ἐξ ἄλλων πόλεων, καὶ παρ᾽ ἀνδρῶν ἰδιωτῶν μεταγραφέντες, ἐν οἷς εὑρίσκονταί τινες ἐμπεποιημένοι τοῖς Σιβυλλείοις· ἐλέγχονται δὲ ταῖς καλουμέναις ἀκροστιχίσι. *Oracula vero quæ nunc extant ex variis locis sunt comportata, alia ex Italicis urbibus allata, alia ex Erythris Asiaticis, ex S. C. missis Legatis, qui eorum exemplar describerent, alia ex aliis urbibus, & a privatis hominibus transcripta. in quibus quædam supposititia, & carminibus Sibyllinis inserta reperiuntur: quæ deprehenduntur ex iis quæ Acrostichides appellantur.*

Hæc testatur Dionysius, qui Augusti sub imperio, jam finito contra Antonium civili bello, [anno 29. ante Christum natum] Romam venerat; atque ita ante novam ipsorum ab Augusto factam descriptionem (de qua Dionem statim audiemus loquentem:) cum ista collectio, quæ a Lactantio (seu potius Fenestella) ac Dionysio memoratur; jam 75. annos ante Salvatoris nostri. J. Christi nativitatem confecta fuerit (Cn. Octavio, & Cn. Scribonio Coss.) cum jam ante annos septem (L. Cornelio Scipione Asiatico & C. Norbano Flacco Coss.) conflagrasset.

De hâc Librorum Sibyllinorum collectione ac discretione eadem ac plura affirmat Tiberius (apud Tacitum lib. VI. c. 12.) utpote *post exustum Civili Bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas Colonias, Carminibus Sibullæ*, UNA SEU PLURES FUERE, *datoque Sacerdotibus* [XV. *viris*] *negotio, quantum* [NB] *humana ope potuissent, vera discernere.*

Dis-

Discernebantur igitur hæc *Sibyllina* undecunque (ex Græcia, ex Asia, ex Africa, ex Sicilia, imò & ex Græcorum per Italiam Coloniis) corrasa; Vera nimirum & genuina a falsis aut Spuriis & suppositiis. At quomodo? Quantum humana ope fieri posset.

Itane XV.*viri*, qui forsan ne per totam quidem vitam (Sacerdotiive istius munus administratum) hos prætensos Libros, ante eam Capitolii exustionem, inspexerant (id enim perrarò fiebat, nec nisi in Reipublicæ summis angustiis, tumultibus, &c.) jam recens, per istas Regiones reperta *Carmina* rite conferre poterant, cum istis qui jam ante septennium incendio perierant; ut sic aptum criterium, ac Lapidem Lydium quasi, adhibere hìc possent?

Sed hic, mi Lector, erat speciosus prætextus; & huic fundamento veritatem auctoritatemque horum novorum Librorum superædificabant: ac quod non pro lubitu possent, illa ex quibus decerpta fuerant, penitus aut statim abolere; illorum vim ita infringere nitebantur, ut solorum sic electorum ac probatorum auctoritas, qualicunque demum modo, constare videretur.

Verum enim verò quia & retinerentur plurima, pene ubique terrarum a privatis, aliaque subinde nova istis, ut fieri solet, succrescererent; atque inde *multa vana* [ut Tiberii, apud Tacitum, verbis utar] *sub nomine celebri vulgarentur, Augustus sanxit (quod a majoribus quoque decretum erat) quem intra diem*, quæ prætendebantur, post Octavii ac Scribonii Consulatum, de novo alicubi (ut talia) fuisse reperta, *ad Prætorem Urbanum deferrentur, neque* [NB] *habere privatim liceret.*

Hoc vero edictum emanavit, A°. 12. post natum J. Christum, cum per Lepidi mortem jam Pontificatum adeptus fuerat, vel potius sibi assumpserat. Qua occasione usus, uti & quod, sicut prætendebatur (sive ab ipso Augusto, jam

Pon-

Pontifice Maximo, ſive a XV.*viris* ipſius inſtinctu) Libri hi Sibyllini vetuſtate eſſent corrupti, ac non amplius a XV. *viris* commode legi poſſent, mandavit ut illa deſcriberentur: ut Dion Caſſius nos, lib. 54. docet; qui ita hæc narrat. Καὶ τὰ ἔπη τὰ Σιβύλλεια ἐξίτηλα ὑπὸ τοῦ χρόνου γεγονότα, τοὺς ἱερέας αὐτοχειρίᾳ ἐκγράψασθαι ἐκέλευσεν, ἵνα μηδεὶς ἕτερος αὐτὰ ἀναλέξηται. *Et quia jam vetuſtate Libri Sibyllini exoleſcebant* XV. *viris* [namque hi per ἱερέας, non Pontifices, exprimuntur] *negotium dedit, ut ſua manu eos deſcriberent: ne quis* [NB] *alius eos legeret.*

Neque eo contentus fuit: ſed ut iſtos Libros eo melius in propriâ ſuâ haberet poteſtate, illos ex Capitolio in Apollinis Palatini templum transferri curavit. Ita enim de hac re loquitur Suetonius in ipſius vita, cap. 31. *Poſtquam verò Pontificatum Maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre ſuſtinuerat, mortuo demum ſuſcepit; Quidquid Fatidicorum librorum Græci,* [NB] *Latinique* [Marcii Vatis, ſcilicet, aliorumque] *generis nullis vel parum idoneis auctoribus* VULGO FEREBATUR, *ſupra duo millia* CONTRACTA UNDIQUE, *cremavit; ac ſolos retinuit* SIBYLLINOS: *hos quoque, delectu habito: condiditque duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi.*

Quæ hîc conſideranda veniunt ſunt, *Majores* illos a Tiberio nominatos, & *Auguſtum* poſt iſtos, ſat bene prævidiſſe, ſe iſto Oraculo minus commodè poſſe carere; nec de novo id ita reſtaurare, ac (quod tota res erat) ſartum tectumque ipſius Auctoritatem poſſe conſervare; niſi circa iſtud negotium ſpecioſis admodum uterentur prætextibus: nec, demum, id melius fieri poſſe, quam ſi omnia alia carmina *Fatidica*, cujuſcunque generis, imprimis vero, quæ *Sibyllinorum* nomine veniebant, privatorum e manibus excuterent: unde omni vi ac conatu id indirecte perficere nitebantur.

I°. Igitur obtentui erat, ut sic Vera ac Genuina a falsis & suppositititiis accurate ac certo discriminarentur; ne a Nothis ac Spuriis Reipublicæ aliquid detrimenti accideret.

II°. Ut periculum sic vitaretur, ne *multa falsa futilia* ac *Vana*, amplius subinde consingerentur; & simplicioribus per talia imponeretur: III°. ut sic verorum Majestas atque Auctoritas sarta ac tecta, in bonum Reipublicæ, conservarentur.

Hinc enim *Augustus* (quod conficta ac suppositititia, quotidie magis magisque succrescerent) eo prætextu usus fuit; quod Libri isti jam longo temporis tractu, vetustate essent corrupti, nec amplius commode a XV *viris* inspici, vel legi, possent. Quasi vero per 87. annos (ab Octavii ac Scribanii Consulatu ad *Augustum*) istud Libris illis accidisset, quod ante id tempus, ne quidem per 340. annorum spatium perpessi fuerant: quum isto posteriori temporis tractu non minori cura quam ante servati fuissent.

Verum in tantum huic commento defuit successus, ut *Tiberio* (Marco Junio Silano, & Lucio Norbano Coss. ac 19. post Christum natum annis) necesse esset novam istorum facere discretionem: quod factum D. Cassius hoc modo narrt: Λόγιον δέ τι ὡς καὶ Σιβύλλειον. ἄλλως μὲν οὐδὲν τῷ τῆς πόλεως χρόνῳ προσῆκον, πρὸς δὲ τὰ παρόντα ᾀδόμενον, οὐχ ἥκιστα σφᾶς ἐκίνει. ἔλεγε γὰρ ὅτι

Τρὶς δὲ τριηκοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
Ῥωμαίους ἔμφλλος ὀλεῖ στάσις, ἁ Συβαρεῖτις
Ἀφροσύνη.

Ὁ οὖν Τιβέριος ταῦτα τὰ ἔπη ὡς καὶ ψευδῆ ὄντα διέβαλλε, καὶ τὰ βιβλία πάντα τὰ μαντείαν τινὰ ἔχοντα κατησκέψατο· καὶ τὰ μὲν ὡς οὐδενὸς ἄξια ἀπέκρινε, τὰ δὲ ἐνέκρινε. *Neque parum movit animos hominum* [in magna illa consternatione, quam Dion ibi, libro 57. describit] *Oraculum quoddam, quasi Sibyllinum esset, decantatum; nihil, quidem ad ista Urbis tempora pertinens,*

nens, ſed ad tum præſentem (ejus) ſtatum inquietum ac turbidum accommodatum. dicebat enim,

Aſt ter tercentum revolutis protinus annis
Roma inteſtino perdetur ſeditione,
Luxus & exitium Sybariticus afferet urbi.

Hoc Carmen Tiberius ut falſum criminatus, omnes Libros, qui Vaticiniorum aliquid continerent inſpxeit; & ex iis alios ceu nullius prætii, reprobavit; alios in probatorum numerum recepit.

Non obſtante poſtremo iſto cenſu, *eodem Carmine* quo irritaverant *Tiberium*, vexabant denuò *Neronem*, (teſte eodem D. Caſſio lib. 62.) ob urbis illud famoſum incendium, quod permulti, ipſo auctore accidiſſe volebant. At cum ille populi conſolandi (ac ſedandi) cauſâ, *hos verſus nuſquam* (inter prætenſa legitima ac verè *Sibyllina*) *repertos eſſe diceret;* mutatâ ſententiâ, aliud Oraculum, velut etiam Sibyllinum exiſtens, canebant:

Ἔσχατος Αἰνεαδῶν μητροκτόνος ἡγημονεύσει.
Ultimus Æneadum regnabit matricida.

Ex quibus ſatis patere videretur, nec tum temporis adhuc ejuſmodi prætenſa *Sibyllina* communi vulgo in totum fuiſſe ſubſtracta; verum inter privatos hîc alibique, magis minuſve occulte, dilituiſſe; atque hinc jam modo allatos verſus prodiiſſe: niſi quis exiſtimare velit temporum progreſſu, & ob revolutiones, bella, tyrannides, aliaque ſimilia, multa ejuſmodi *Oracula* fuiſſe conficta ac, quaſi ex veteri penu, producta: quod de hiſce in *Tiberium* ac *Neronem* confictis, cuilibet lubens concedam.

Non præter rem mihi videtur, hîc nonnulla ſuperaddere de *Canonizatione* (ut hoc Chriſtianorum vocabulo rebus Ethnicis applicem) *Librorum Sibyllinorum*, ſi quis novos, præter illos, qui jam a Tarquinii tempore religioſe ſervabantur, repertos eſſe perhiberet. Quam *Canonizationem*, in

ſe-

sequentibus Taciti verbis descriptam videmus: *Relatum inde ad Patres a Quintiliano Tribuno plebis de libro Sibyllæ, quem Caninius Gallus Quindecimvir inter ceteros ejusdem Vatis, & eâ de re Senatusconsultum postulaverat. quo per discessionem facto, misit literas Cæsar, modicè tribunum increpans, ignarum antiqui moris ob juventam: Gallo exprobrabat, quod scientiæ cæremoniarumque vetus, incerto auctore, ante sententiam Collegii, non ut assolet, lecto per Magistros æstimatoque Carmine, apud infrequentem Senatum egisset. Simul commonefecit; quia multa vana* SUB NOMINE CELEBRI *vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad Prætorem Urbanum deferrentur, neque habere privatim liceret. Quod a majoribus quoque decretum erat, post exustum civili bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio Erythris, per Africam etiam & Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibullæ, una seu plures fuere; datoque Sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Igitur tunc quoque notioni Quindecimvirum is liber subjicitur.*

Quæ circa hoc negotium peccaverat Caninius Gallus erat. I°. Quod *Tribuno*, qui *Librum*, seu *Carmen*, ei obtulerat, non injunxerat, ut id deferret ad *Prætorem Urbanum*; qui illud sic acceptum iterum tradere debebat *Collegio Quindecimvirum*: cui istius examen competebat. II°. Quod illis, Collegis suis, præteritis, solus id *Senatui*, ac quidem *infrequenti* obtulisset, ab eoque ita *Consecrationem*, vel (liceat mihi hîc ita loqui) *Canonizationem postulasset, vel ut inter ceteros ejusdem Vatis reciperetur*. III°. Quod de tanti ponderis re apud infrequentem egisset Senatum.

Etenim, si quis, *Liber* aut *Carmen* aliquod, quod ejusmodi nomen aut titulum præferebat, repertum alicubi esset: ille, cui tale quid obvenerat, nullo modo id apud se privatim (sive sibi soli, sive & aliis) retinere poterat: sed tradere id tenebatur, intra certum diem, *Prætori Urbano*; ut sic statim

ſub Summi Magiſtratus poteſtate eſſet. Qui Prætor, facto prius examine, e cujus quorumve manibus, vel ſcriniis, venerat; ubi aut quomodo primum fuerat repertum; an ex his vel illis adytis erutum, vel ex Sepulcro quodam, vel Spelunca, vel loco alio, alias Sacrato, ut inde auctoritatem aliquam probabilem accepiſſe videretur, atque adeo ulteriori examine dignum eſſet: poſt, dico, hæc aut alia ſimilia huc facientia, id deferre tenebatur ad XV. viros, ut ibi ulteriori ac debito examini ſubjiceretur: ac quidem primum *Collegii XV. virum Magiſtris.*

Notandum hic, in tranſitu, eſt, cujuſcunque demum generis *Collegiis*, apud Romanos [Namque & Græci in Collegiis ſuis, prout illa diverſa ab invicem erant, habebant ſuos Ἀρχιερέας, Ἀρχιβάκχους, Ἀρχιγάλλους, Ἀρχιβουκόλους Ἀρχιθεώρους, alioſque] ſuos fuiſſe *Magiſtros*, qui primi, vel primarii ſaltem eſſent (dignitate & munere) cæterorum Collegarum. Atque imprimis id obtinebat *in Collegiis Sacerdotalibus*, non ſolum Maſculini verum & fœminini ſexus; ut patet ex Inſcriptionibus & libris; ubi & *Veſtalium*, & aliarum Collegiatarum *Primæ*, *Maximæ*, & *Magiſtræ* reperiuntur. Sic erant (uti rurſus ad viros revertar) *Magiſtri Collegii Fratrum Arevalium, Ordinis Sacerdotum Dei Solis invicti Mythræ, Saliorum, Ægeriæ Deæ, Genii Cæſaris, Larium Auguſtalium* & plurium Numinum aliorum.

Horum *Magiſtrorum* munus aut annuum erat, aut quinquennale (aliiſve annorum ſpatiis vel numero comprehenſum) vel denique plane perpetuum. Erantque illi vel unici Collegio ſuo præpoſiti, vel plures quandoque ſimul: uti id in *Collegio XV. virum* locum habebat; & in Pontificum Collegio (forſan & in pluribus aliis) ubi hi Magiſtri *Pontificum Majorum*, reliqui *Pontificum Minorum* nomine veniebant.

Plures autem numero uni huic Collegio XV. *virum*, uti
&

& aliis præter illud, fuiſſe, tum ex Tacito tum aliunde ſatis liquet. Sic namque ex. gr. reperimus apud Suetonium, Caligulam; cum ſe *Jovem Latiarem* haberi ac coli, ut talem, vellet, Sacerdotium ſibi peculiare inſtituiſſe: cujus *Sacerdotii Magiſteria*, (non Magiſterii) *ditiſſimus quiſque & ambitione & licitatione maxima vicibus comparabant.* Ad iſtud interim Collegium, præter ditiſſimos eligebat, *& Cæſoniam*, propriam uxorem, & *Claudium* (ſapientem illum, poſt Caji necem Imperatorem) denique ſemetipſum: imo & *equum ſuum* (ne quid ad ſummum huic inſaniæ deeſſe videretur. Verum an equus ille Sacerdos (quem & Conſulem ſe facturum promiſerat) unquam iſtius Collegii *Magiſter* fuerit, muneraque *Venationes*, ſcilicet, & *ſcenicos ludos* ediderit, impenſaſque illas immenſas perſolverit, nuſquam, fateor, invenire potui: cum nemo Hiſtoricorum, ſuper tali ſtoliditate plura ſcriptis ſuis addere ſuſtinuerit.

Magiſtrorum igitur (ut denuo in viam revertar) examini ac judicio tale *Carmen* ſubjiciebatur: per quos, primum *lecto* illo *æſtimatoque*, id demum reliquorum XV. virorum, adeoque & *totius* jam *Collegii examen ac judicium* ſubire debebit, ut ſic lata ſuper eo Collegii Sententiâ, quâ (ſi tanti id æſtimaverant) pro vero ac genuino *Carmine* iſtud agnoſcebant, ulterior *Canonizatio* accederet. Quapropter & (3°.) de eo apud *Senatum* agere debebat ac poſcere ab illo, ut *inter cæteros ejuſdem Vatis libros reciperetur*: ut ita *Senatus* auditâ ſuper ea re Collegii Sententiâ, facto Senatus conſulto, ſtatueret reprobandumve an approbandum foret; ac ſic ultimam manum *Canonizationi* imponeret.

Neque aliter quam apud frequentem admodum Senatum de iſto negotio agi debebat: ne temere nimis ac præcipitanter, minuſque circumſpectè ſuper ea re actum videretur: ſed e contra Senatus conſultum eo Majoris ponderis ab omnibus debite haberetur.

Notandum denique, ista Auctoritate, qua primum *Reges*, post vero *Senatus*, circa hanc rem usi fuerant; illâ postremum *Cæsares* (post mutatam Rempublicam) usos fuisse: ut qui, per Pontificatum maximum sibi assumptum, supremi Rerum Divinarum Arbitri essent. Quod sicut I°. in Augusto, ita & in Tiberio, in Nerone & in aliis videmus.

Hinc quoque ipsa *Lectio*, sive *inspectio Librorum*, uti *sub Regum Imperio* a *Rege*, *sub Imperio Senatus ac Consulum* a *Senatu*, ita *sub Cæsarum imperio* a *Cæsaribus* mandata fuit, quod, ex Aurelio Victore, de *Claudio* ex Am. Marcellino, de *Juliano*, & ex Fl. Vopisco, de *Aureliano*, Cæsaribus liquet.

Notari hic quoque, in transitu, potest, Scriptores Veteres valde inter se discrepare, non tantum in eo, an *Tarquinio Prisco* an vero *T. Superbo* CARMINA illa vetustissima divendita sint; verum & *quot Libros* anus attulerit, quot numero combusserit, atque an plures restiterint, an unicus tantum superstes manserit, indeque in Oraculum Reipublicæ assumptus sit. Dionysius Halicarnassæus, A. Gellius & alii, de novem allatis ac venditatis, ac de sex eorum combustis loquuntur: Suidas, Valerius Maximus, ac Plinius (quem hic majoris facio) de tribus allatis ac venditatis, ac de unico tantum superstite ac divendito affirmant. Ac Plinius quidem ita (lib. XIII. c. 13.) exserte loquitur: *Inter omnes convenit, Sibyllam ad Tarquinium superbum tres Libros attulisse, ex quibus igni duo cremati* [ab anu istâ], *tertius cum Capitolio Syllanis temporibus*.

Unde facile inducor, ut credam, *Librorum*, non *Libri*, nomen potissimum obtinuisse per novam istam collectionem, post vetera *Carmina* incendio deperdita J. Silano ac L. Norbano Coss. Si non potius jam anterioribus temporibus ex ista causa id contigerit, quod Tarquinius rex *sua somnia, quasi Divinitus data*, iis superaddiderit.

Cer-

Certe Dionysius, ubi de supplicio Vestalium stupri convictarum loquitur, ait: Δοκεῖ . . . ὁ Ταρκύνιος ἐξευρεῖν πρῶτος, εἴτε κατὰ λογισμὸν, εἴτε ὡς οἴονταί τινες, ὀνείροις πειθόμενος, ἃ μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν ἐν τοῖς Σιβυλλείοις εὑρεθῆναι χρησμοῖς οἱ τῶν ἱερῶν ἐξηγηταὶ λέγουσιν. *Tarquinius videtur invenisse primus, qui sive* CERTO CONSILIO, *sive, ut quidam opinantur, insomniis monotus, id instituit: quæ (insomnia) post illius obitum inter Sibyllina Oracula reperta dicunt Sacrorum enarratores.*

Ita ut hic *Tarquinius* (ac forsam alii post ipsum) ita se gesserit, sicut *Lycurgus* aliique post eum *Reges Lacedæmoniorum* circa *Rhetras*, addendo, mutando, &c. unde firmatur, tam apud Romanos, quam apud Spartanos, eadem artificia, easdemque imposturas, circa *Oracula* ipsorum publica locum habuisse.

Ex illis quæ modo dicta sunt apparet, *Carmina* ista quæ ut *Sibyllina* a Justino Martyre, Clemente Alexandrino, Lactantio, aliisque Scriptoribus tam Græcis (sive Ethnici illi fuerint sive Christiani) quam Latinis, adducuntur; non ex aliis fontibus quam horum dictorum privatorum hominum, ea sibi aut curiose aut superstitiose conservantium, fluxisse. Nisi in quantum quoque a primorum seculorum, inter Christianos, hæreticis, similibusque Impostoribus conficta, Lactantio, aliisque talium nimis incaute avidis, obtrusa sunt. Atque ex horum numero mihi certo certius sunt illæ ἀκροστιχίδες: quarum ulteriorem historiam forsam alibi fusius pertractabo.

Non interim desunt homines, ut hoc quoque notem, qui & sibi imaginantur, & aliis serio (quamvis ridiculè satis) persuadere conantur; Virgilio ad istos Libros, qui sub tam arcta XV. *virum* custodia erant, accessum patuisse, eumque ex illis *Eclogam quartam* adornasse: aliisque pluribus licitum fuisse, ut *Carmina hæc Sibyllina* sibi describerent; quinetiam & aliis hominibus ostenderent, atque ita divulgarent; solis Christianis ab eorum Lectione exclusis. quum tamen

omnes

omnes Romani, præter paucos XV.*viros*, plane ignorarent quid in illis contineretur; nec adhuc certo constet an tales Libri, uti a Romanis perhibebatur, unquam fuerint in rerum natura: neque magis certe quam quæ de *Palladio*, de *Ancilibus* aliisque Romanorum arcanis ac Mysteriis, Scriptores veteres tradiderunt, vel potius fabulosè nugati sunt, aliquid affirmari queat: quod quoque paradoxon forsan alibi magis firmabo.

Primorum tamen seculorum Christianismi Scriptores (ac præcipue quidem Græci) qui, præter ullam necessitatem, ostendere nitebantur, etiam Ethnicorum Vates de Christo Jesu prophetasse, omnia pene *quæ sub nomine celebri*, sive *Cumeæ*, sive *Delphicæ*, sive *Sameæ*, sive *Erythææ*, sive quocunque alio conficto nomine, *Vana* tamen, vulgabantur, avide arripiebant, atque inde argumenta pro Religione Christiana confingebant: dum hinc ab Ethnicis, quibus hæc melius cognita erant, illis *Sibyllistarum* nomen, per deridiculum imponebatur. Quod indicat nobis clare satis Origenes, ubi de Celso ita loquitur: Εἶπε δὲ τινας εἶναι καὶ Σιβυλλιστάς· τάχα παρακούσας τινῶν ἐγκαλούντων τοῖς οἰομένοις προφῆτιν γεγονέναι τὴν Σιβύλλαν, καὶ Σιβυλλιστὰς τοὺς τοιούτους καλεσάντων. *Ait quoque nonnullos* [inter Christianos] *esse Sibyllistas: fortasse quod audierit ea a nonnullis, qui criminabantur illos, qui opinabantur Sibyllam Prophetidem.* Cujus κόμματος & existimationis fuerint isti Sibyllistæ, quamvis & Magnates quandoque Superstitiosi circa ipsorum prædictiones insanirent, ostendunt hæc Plutarchi verba, quibus illos eodem ordine habet ac dignatione cum Chaldæis ac Vicinis Haruspicibus similisque farinæ Vatibus: Ὀκτάβιον δὲ Χαλδαῖοι καὶ θύται τινες καὶ Σιβυλλισταὶ πείσαντες, ἐν Ῥώμῃ κατέσχον, ὡς εὖ γενησομένων. *Octavium Chaldæi quidam & Haruspices & Sibyllistæ persuadentes, quasi omnia ex sententia essent cessura Romæ detinuerunt.* Hæc quidem in Fabii Maximi vita: sequentia vero habet

in

in Cicerone; quibus modo allata explicantur: Τοιούτον, κεκινημένον ὑπὸ τοῦ Καλλίνα, προσδιέφθειραν ἐλπίσι κεναῖς ψευδομάντεις καὶ γόητες, ἔπη πεπλασμένα καὶ χρησμοὺς ᾄδοντες, ὡς ἐκ τῶν Σιβυλλείων, &c. *Tali hunc ingenio & a Catilina incensum, vani insuper Vates & præstigiatores spe dementaverant inani, carmina conficta & Sortes canentes, & quasi ex Libris Sibyllinis,* prænuntiantes, in fatis esse, &c.

Quomodo autem ejusmodi Scurræ temporibus turbulentis suas prædictiones ingerebant; sive per *Bacidis* (vel *Bacidum*) sive per *Glanidis* sive per *Apollinis Pythii*, sive denique per *Sibyllinarum* pro lubitu conficta *Oracula*, ex Aristophane jam præcedenti capite ostendi, latiusque, si necesse foret, ostendi posset. Inde enim apud Scholiasten Aristophanis (ad *Equites*, Comœdiam) τὸ Σιβυλλιᾶν denotat χρησμῶν ἐρᾶν καὶ ἐπιθυμεῖν, καὶ χρησμοῖς ἥδεσθαι; uti & μανικῶς ἔχειν, & χρησμοὺς φαντάζεσθαι.

Inter hujusmodi Christianos primas partes certe obtinebant *Græci* (nisi quod talia Carmina, apud Lactantium pene utramque paginam faciant) uti Justinus, Clemens Alexandrinus, aliique plures: inter quos Clemens, Stromateon libro sexto hoc modo de ipsis loquitur: Ἐπεὶ οὖν καθάπερ Ἰουδαίους σώζεσθαι ἐβούλετο ὁ Θεὸς, τοὺς Προφήτας διδοὺς οὕτως καὶ Ἑλλήνων τοὺς δοκιμωτάτους, οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ Προφήτας ἀναστήσας, ὡς οἷοί τε ἦσαν δέχεσθαι τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ εὐεργεσίαν, τῶν χυδαίων ἀνθρώπων διέκρινε· δηλώσει πρὸς τῷ Πέτρου κηρύγματι ὁ Ἀπόστολος λέγων Παῦλος· Λάβετε καὶ τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους· ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα Θεὸν, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. καὶ τὸν Ὑστάσπην λαβόντες ἀνάγνωτε· καὶ εὑρήσετε πολλῷ τηλαυγέστερον καὶ σαφέστερον γεγραμμένον τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ καθὼς παράταξιν ποιήσωσι τῷ Χριστῷ πολλοὶ βασιλεῖς μισοῦντες αὐτὸν, καὶ τοὺς φοροῦντας τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τῶν ὑπομονὴν, καὶ τὴν παρουσίαν αὐτοῦ. εἶτα ἐνὶ λόγῳ πυνθάνεται ἡμῶν· ὅλος δὲ ὁ κόσμος καὶ τὰ ἐν τῷ κόσμῳ τίνος, οὐχὶ τοῦ Θεοῦ; *Quemadmodum uti Judæos servare Deus voluit, ipsis (in id) Prophetas dedit; sic quoque*

præcipuos Græcorum, ipsisque familiares (vernaculâ) *linguâ Prophetas exitavit, prout poterant Dei istud beneficium recipere; eosque a communi vulgo discrevit: id ultra Petri prædicationem* [quasi & ille de Sibyllis locutus fuerit] *idem declarabit Sanctus Paulus, dicens: Librosque Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo unum Deum significet, & ea quæ sunt futura: & Hystaspen sumite, & legite; & invenietis Dei Filium multo clarius & apertius esse scriptum: & quemadmodum adversus Christum multi Reges instituent aciem, qui eum habent odio, & eos qui nomen ejus gestant, & ejus fideles, & ejus tolerantiam & adventum. Deinde compendio interrogat nos: Nonne totus mundus & omnia quæ sunt in mundo, Dei sunt?*

Videmus ex hisce, merito *Clementem* hunc inter illos *Sibyllistas* esse numerandum (ut duplicis generis erant) qui talia conficta nugamenta, modo aliquid ipsis pro Religione Christiana facere viderentur, deperibant.

Excitavit igitur Deus ex Græcis, ac quidem ex Græcorum præcipuis, *Prophetas;* ut ipsis Salutem æternam per *Jesum Christum*, &c. prædicerent: & tales, quos & Petrus & Paulus, summi viri atque Antesignani inter Apostolos, in scriptis suis (ipsorum verbis adductis) allegarunt. Interim scripta illa Apostolica, quæ talia memorarunt, jam deperdita sunt, ut neque unquam in Canonem fuerant recepta; imò nec tam magnificæ Græcorum de Christo Prophetiæ, quas tanta cum pompa affert hic Clemens: quum tamen omnes Hebræorum Prophetiæ (quæ ad Canonem pertinent) Divinâ mediante providentiâ, conservatæ adhucdum sint.

Et tamen isti Prophetæ Græcorum (similiumque) erant ex præcipuis istius Gentis, ac probatissimis, ac domi satis notis, ut prætendit bonus hic noster Clemens: quanquam omnes hujusmodi homines, & cordatioribus Græcis, & aliis quoque Gentilibus, essent οὐδ᾽ ἐν λόγῳ οὐδ᾽ ἐν ἀριθμῷ, ac pro scur-

ſcurris & nebulonibus haberentur; *aut inertibus aut inſanis* (uti Ennius loquitur) *aut quibus egeſtas imperat.*

Juſtinus verò hîc forte Gordium ſolverit nodum: quod nempe ex malorum Dæmonum fraude contigerit: ut qui (uſque ad ipſius ſaltem tempus) fruſtra licet, talia Chriſtianorum oculis ſubripere annilus fuerit: ac quidem tam fruſtra, ut hujus Juſtini tempore ab omnibus Chriſtianis, ac pene ſolis, legerentur.

Juſtinus enim ille non veretur hæc ſequentia aſſerere: Κατ' ἐνέργειαν δὲ τῶν φαύλων δαιμόνων, θάνατος ὡρίσθη κατὰ τῶν τὰς Ὑςάσπου καὶ Σιβύλλης, ἢ τῶν Προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων, ὅπως διὰ τοῦ φόβου ἀποςρέψωσιν ἐντυγχάνοντας τοὺς ἀνθρώπους τῶν καλῶν γνῶσιν λαβεῖν, αὐτοῖς δὲ δουλεύοντας κατέχωσιν. ὅπερ εἰς τέλος οὐκ ἴσχυσαν πρᾶξαι· ἀφόβως μὲν γὰρ οὐ μόνον ἐντυγχάνομεν αὐταῖς, ἀλλὰ καὶ ὑμῖν, ὡς ὁρᾶτε, εἰς ἐπίσκεψιν φέρομεν, ἐπιςάμενοι πᾶσιν εὐάρεςα φανήσεσθαι· κἂν ὀλίγους δὲ πείσωμεν; τὰ μέγιςα κερδήσοντες ἐσόμεθα. *Operâ autem & inſtinctu malorum Dæmonum mortis ſupplicium adverſus librorum Hydaſpis aut Sibyllæ aut Prophetarum lectores conſtitutum eſt: ut per timorem homines ab illis; quo minus ſcripta ea legentes rerum bonarum notitiam percipiant, ſed in ſervitute eorum retineantur, abſterreantur. Quod certe quidem efficere, & ad finem ſuum perducere, nequiverunt. Non enim abſque timore tantum hujuſmodi ſcripta legimus, verum etiam vobis ad inſpiciendum, quæ in eis traduntur, ut videtis, offerimus; grata acceptaque omnibus fore ſcientes,* &c.

Vide hîc jam Ethnicos (nec mireris mi Lector) Chriſtianorum beneficio *Sibyllina* legentes. At parum abeſt, quin hîc bono noſtro Juſtino illud Theocriteum accinam,

. . . . . . πᾶ τὰς φρένας ἐπεπότασαι;

At non ſolam *Sibyllam* (*Sibyllaſve*) ex Divini Spiritûs inſtinctu & motu, de Chriſto fuiſſe Vaticinatam; verum & *Acmonem* & *Mercurium* [prætenſum illum *Triſmegiſtum*] de

 Deo

Deo ac rectâ religione, eodem ſpiritu agitatos, fuiſſe locutos, idem ille Juſtinus (dum coronidem Cohortationi, ad Gentes imponit) affirmat: Ἐι τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες μὴ προτιμοτέραν ἡγεῖσθε τῆς ὑμῶν αὐτῶν σωτηρίας τὴν περὶ τῶν μὴ ὄντων θεῶν ψευδῆ φαντασίαν, πείσθητε, ὥσπερ ἔφην, τῇ ἀρχαιοτάτῃ καὶ σφόδρα παλαιᾷ Σιβύλλῃ, ἧς τὰς βίβλους ἐν πάσῃ οἰκουμένῃ σώζεσθαι συμβαίνει, περὶ μὲν τῶν λεγομένων θεῶν, ὡς μὴ ὄντων, ἀπό τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας διὰ χρησμῶν ὑμᾶς διδασκούσῃ· περὶ δὲ τῆς τοῦ Σωτῆρος ὑμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μελλούσης ἔσεσθαι παρουσίας, καὶ περὶ πάντων τῶν ὑπ' αὐτοῦ γίνεσθαι μελλόντων, σαφῶς καὶ φανερῶς προαναφωνούσῃ· ἔσται γὰρ ὑμῖν ἀναγκαῖον προγύμνασμα ἡ τούτων γνῶσις τῆς τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν προφητείας. εἰ δέ τις οἴοιτο παρὰ τῶν πρεσβυτάτων παρ' αὐτοῖς ὀνομασθέντων φιλοσόφων τὸν περὶ Θεοῦ μεμαθηκέναι λόγον, Ἄκμονός τε καὶ Ἑρμοῦ ἀκουέτω. Ἄκμωνος μὲν ἐν τοῖς περὶ αὐτοῦ λόγοις πάγκρυφον τὸν Θεὸν ὀνομάζοντος· Ἑρμοῦ δὲ σαφῶς καὶ φανερῶς λέγοντος, Θεὸν νοῆσαι μέν ἐστι χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον, ᾧ καὶ νοῆσαι δυνατόν. πανταχόθεν τοίνυν εἰδέναι προσήκει, ὅτι οὐδαμῶς ἑτέρως περὶ Θεοῦ ἢ τῆς ὀρθῆς θεοσεβείας μανθάνειν οἷόν τε, ἢ παρὰ τῶν προφητῶν μόνον τῶν διὰ τῆς θείας ἐπιπνοίας διδασκόντων ὑμᾶς. *Itaque viri Græci, ſi falſam de iis, qui non ſunt Dii imaginationem ſalute veſtra antiquiorem non habetis, credite, ſicut dixi, antiquiſſimæ & priſcæ admodum Sibyllæ, cujus libri in univerſo extant Orbe, de iis qui dicuntur, non ſunt autem, Diis, mirifico quodam præpotentis numinis afflatu Oraculis vobis datis docenti: de futuro autem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti adventu, ac de rebus ab eo gerendis, liquido & aperte vaticinanti. Harum namque rerum cognitio pernéceſſaria fuerit, Sacrorum virorum prædictiones antecedens præmeditatio. Deinde ſi quis opinetur ab antiquiſſimis, ſicuti apud vos nominati fuerant, Philoſophis, de Deo diſcendam eſſe rationem,* Acmonem *is, &* Mercurium *audiat: illum quidem in libris de eo ſuis,* Deum prorsus occultum *nominantem: hunc verò clarè & manifeſtè dicentem: Deum intelligentiâ comprehendere difficile eſt; eloqui autem impoſſibile,*

bile, ei quoque cui intelligentia eum nosse possibile. Undequoque ergo, & modis omnibus scire convenit, nullo plane pacto aliter aut aliunde de Deo, vel de recta Religione disci quicquam posse, quam a PROPHETIS *solis, qui Divina Inspiratione vos docent.*

Apud Lactantium (qui nusquam, uti dixi *Sibyllina* non affert) & *Mercurius* & *Hystaspes* permagnæ auctoritatis sunt. Et tamen vult ille (sicut clare ex lib. VII. cap. 8. patet) *ex instinctu Dæmonum* & hos, & cæteros Vates Ethnicos, talia ac tanta cecinisse. Hæc enim ipsius verba sunt: *Hæc ita futura esse, cum Prophetæ omnes ex Dei Spiritu, tum etiam Vates* [NB] *ex instinctu Dæmonum cecinerunt. Hystaspes, enim, quem superius nominavi, descriptâ iniquitate hujus seculi postremi, pios ac fideles a nocentibus segregatos, ait, cum fletu & gemitu extensuros esse ad cælum manus, & imploraturos fidem Jovis: Jovem respecturum ad terram, & auditurum voces hominum, atque impios extincturum. Quæ omnia vera sunt præter unum, quod Jovem dixit illa facturum, quæ Deus faciet. Sed & id,* NON SINE DÆMONUM FRAUDE, *subtractum est, missum iri a Patre Filium Dei, qui deletis omnibus malis, pios liberet. Quod Hermes tamen non dissimulavit. In eo enim libro, qui* λόγος τέλειος *inscribitur, &c.* (ac post pauca sit interjecta) *Sibyllæ quoque non aliter fore ostendunt, quam ut Dei Filius a Patre mittatur,* &c.

Hystaspes, igitur, sive *Hydaspes*, *Mercurius* (sive *Hermes*) ac *Sibyllæ* (si hic Clementi ac Justino fides adhibenda) scripserunt; imò potius *Divina Oracula* cecinerunt de Christo Salvatore nostro, de ipsius Adventu, Miraculis, Doctrina, Morte, Resurrectione, &c. tam clare atque aperte, quasi accurate narrent Historiam jam gestam ac minime inter Homines ignotam: Prophetæ vero Judæorum (homines verè ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι, quippe ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερό-

ρόμενοι) tam obscure de hisce rebus locuti sunt, ut (comparatis utrisque, fideque æquali iis adhibita) merito dubites an hi posteriores tantis Divini luminis (seu Spiritûs) radiis unquam, quam ipsi Gentiles illuminati fuerint: & annon *Mysterium* illud vere Sacrum, de quo Sanctus Apostolus Paulus (Ephes. c. 3. v. 5. & 6.) testatur, *quod id nullis aliis seculis declaratum sit hominum generi, uti suo tempore factum erat Sanctis Dei Apostolis ac Prophetis, Divina Inspiratione;* jam multis, ante, seculis (nesciente id tali ac tanto viro, quamvis Spiritus Sancti pleno) Gentibus, per ipsorum *Vates*, liquido ac manifestè declaratum fuerit.

Ab altera parte, Lactantius, Ambrosius, Augustinus & alii (quantumvis alias prætensa ejusmodi vaticinia pro Religione Christiana, præter ullam necessitatem, in partes vocent) per *Malorum Dæmonum* virtutem & Inspirationes Gentilium *Vates* (*Sibyllas*, &c.) talia prædixisse affirmant.

Ac de Lactantio jam vidimus: quæ Ambrosius habet (vel qui ipsius nomine venit quandoque, Hilarius) commentario in I. Epistolam ad Corinthios; cap. II. sunt hæc sequentia: *Spiritus mundi hic est, per quem arripiuntur Fanatici, qui sine Deo sunt. Est enim inter mundanos Spiritus potior: unde solet conjecturis quæ mundi sunt Divinare, quem Pythonem appellant. Hic est qui per verisimilia fallit: hic est* [NB] *qui per* Sibyllam *locutus est, sensum nostrorum secutus, locum volens inter Cœlestes habere.* Quæ certe indicant Dæmones per *Sibyllam* fuisse locutos, non *Deum.*

Neque obscure idem innuit Hieronymus: dum lib. XIII. cap. 15. contra Faustum Manichæum, in hunc modum disserit. *Sibylla porrò vel Sibyllæ, & Orpheus, & nescio quis Homerus* [vide quosnam qualesque Vates hîc simul conjungat!] *& si qui alii Vates vel Theologi, vel Sapientes vel Philosophi Gentium, de Filio Dei, aut de Patre Deo, vera prædixisse, vel* [NB] *dixisse, perhibentur: valet quidem*

ali-

aliquid ad paganorum vanitatem revincendam; non tamen ad istorum auctoritatem amplectendam: cum illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos congentiles populos, idola & Dæmonia colenda partim suadere ausi sunt, partim prohibere non ausi sunt.

Adjungamus hisce Aur. Augustinum: qui eleganter ac jocose libri 3. cap. 17. de Civitate Dei, & *Sibyllarum* fidem elevat, & Deorum vires ac Miracula ridet, hoc modo: *Quid illa itidem ingens pestilentia, quandiu sævivit, quam multos peremit! Quæ cum in annum alium gravius tenderet, frustra præsente Æsculapio, aditum est ad libros Sibyllinos. In quo genere Oraculorum sicut Cicero in* [secundo] *libro de Divinatione commemorat, magis Interpretibus, ut possunt sive volunt dubia conjectantibus, credi solet. tunc ergo dictum est eam esse causam pestilentiæ, quod plurimas ædes sacras multi occupatas privatim tenerent. Sic interim a magno imperitiæ vel desidiæ crimine Æsculapius liberatus est. Unde autem a multis ædes illæ fuerant occupatæ nemine prohibente, nisi quia tantæ numinum turbæ diu frustra fuerat supplicatum, atque ita paulatim loca deserebantur a cultoribus, ut tanquam vacua sine ullius offensione possent humanis saltem usibus vendicari? Nam quæ tunc velut ad sedandam pestilentiam diligenter repetita fuerunt atque reparata, nisi postea eodem modo neglecta atque usurpata latitarent, non utique magnæ peritiæ Varronis tribueretur, quod scribens de ædibus sacris tam multa ignorata comemorat. Sed tunc interim elegans non pestilentiæ depulsio, sed Deorum excusatio procurata est.*

Ut autem observamus, ita hos Latinos Patres fuisse locutos; sic videmus, ex adverso. nullam *Sibyllarum* mentionem fieri apud Tertullianum aut Cyprianum aut Minucium, qui illis longe priores fuerant. Unde non obscure patet vel ipsis *Sibyllas* fuisse ignotas, vel nullius auctoritatis; adeoque

que indignas visas, ut ipsarum nomina, nedum Vaticinia (quamvis optima data occasione) scriptis suis inserent; dum interim Græci, credulitatis plena gens. ipsas has *Sibyllas* (uti & *Hermem*, & *Hydaspem*, & alios fere innumeros.) pene ubique decantarent, & Lactantium inter Græcos admodum versatum, Græcisque in hac re nimis superstitiosè addictum, eo facillime pertraherent.

Inter priores Latinos tamen Arnobius *Sibyllæ* meminit, hoc modo: *Si quo tempore Sibylla præsaga Oracula illa depromens fundebat*, VI, UT DICITIS, APOLLINIS, *ab impiis esset cæsa atque interempta latronibus; nunquid Apollo diceretur in ea esse occisus? Si Bacis, Helenus, Martius, aliique similiter Vates hariolantes, essent vita ac luce privati?* &c. Quibus nihil in *Sibylla* ut Divinum approbat; longe minus ullos *Libros Sibyllinos;* quod quam clare ostendunt illa verba, *vi, ut dicitis, Apollinis*; verum cæteris Græcorum Latinorumque Hariolis illas annumerat.

Neque immeritò sane; quum Scriptores longe magis antiqui, etiam ipse *Plato* [quem *Divinum* appellare semper solent, in Republica Literaria *Pedarii Senatores*, qui veterum verbis ac sententiis sine judicio accedunt; quosque Gellii tempore *Pedaneos* vocabant, nos vocabulo magis Barbaro *Pedantes* appellamus] *&* *Bacidem*, & *Sibyllam*, & *Amphilytum Athenienſem*, & *Diotimam mulierem;* præterque illos & *Pythiam*, & *Dodonides*, & quoscunque demum, ὅσοι μαντικῇ χρώμενοι, (sive Vates & Hariolos) uno eodemque ordine & loco habeat.

Cui *Platoni* subjungendus venit *Aristoteles;* qui in eo tamen ei contrarius est, quod Divinationem nulli furori Divino adscribat; sed *naturali* Vaticinatium *intemperiei*, *Melancholicæ*, scilicet, & *Maniacæ*. Ita enim (Problem. XXX. Quæst. I.) loquitur: Πολλοὶ δὲ καὶ διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ νοεροῦ τόπου τὴν θερμότητα ταύτην, νοσήμασιν ἁλίσκονται μανικοῖς, ἢ ἐνθου-

σιαστι-

σιαστικοῖς. ὅθεν Σίβυλλαι καὶ Βάκιδες, καὶ ἔνθεοι γίνονται πάντες, ὅταν μὴ νοσήματι γένωνται, ἀλλὰ φυσικῇ κράσει. *Multi etiam propterea, quod ille calor* [ex mixtione melancholica] *ſedi mentis in vicino eſt, morbis veſaniæ (ſeu maniacis) implicantur, aut inſtinctu Lymphatico inferveſcunt. Ex quo Sibyllæ efficiuntur & Bacides, & omnes qui Divino Spiraculo inſtigari creduntur; cum ſcilicet, id non morbo, ſed naturali intemperie contingat.*

In *Cicerone* admodum miror, plurimos eruditos minime animadvertere, cum illa quæ diſſerit in primo libro *de Divinatione*, proferre ex ſententia, ac ſub perſona, Quintii fratris, qui ibi *Divinationibus*, uti ex inſtinctu, motu ac revelatione factis, patrocinatur; ac cui demum libro ſecundo, ex propria perſona ac ſententia reſpondet, Quintiumque fratrem refutat. Ex quo multorum eruditorum immani errore fit, ut Ciceronem pro Divinationibus, ut Divinitus inſpiratis, diſputantem adducant; cum tamen ille quammaxime omnia Divinationum genera, uti & Oracula, redarguere, ac falſitatis non tantum, verum & impoſturæ convincere conetur, ac revera convincat.

Quæ in contrarium ille diſputat, aliis in locis ſatis copioſe a me afferuntur. Quæ ex perſona Quintii de Vatibus in genere affert, ſunt, inter alia, hæc ſequentia: *Carent arte ii qui non ratione aut conjectura obſervatis ac notatis ſignis, ſed concitatione quadam animi, aut ſoluto liberoque motu futura præſentiunt. Quod & ſomniantibus ſæpe contingit, & nonnunquam Vaticinantibus per furorem, ut* [NB] *Bacchis* [ſeu *Bacis*] *Bæotius, ut Epimenides Cretenſis* [vide hîc & Epimenidem inter Divinos, nec ſolum inter Poëtas, uti id vulgo ad Apoſtoli Pauli verba de *Cretenſibus*, eruditi annotant] *ut Sibylla Erythræa.*

Atque uti ille porrò, in libro ſecundo, *Martium, Publicium*, cæteroſque hujuſmodi *Vates* omnes (nec minus quoque

que *Pythias* ac *Sibyllas*, pro unius ejuſdemque commatis impoſtoribus habet: ſic Strabo quoque, libro XVII, eodem modo, ac Plinius: qui ſicut, libro VII. cap. 33. *Divinitatem* in *Sibyllâ*, in *Martio*, & in *Melampode*, aliquomodo agnoſcere videtur; tamen, libro X. cap. 49. quæ de hoc *Melampode* narrantur, ut fabuloſa & abſurda exſibilat; omneſque Gentilium *Divinationes*, ac *Divinos*, pluribus in locis, aperte ſatis deridet. Quod minime inſolens huic Plinio, tum circa *Magiam*, *Incantationes*, *Auguria*, atque hiſce ſimilia; tum circa multa alia: dum hoc illove loco, ex opinione vulgi locutus, talia approbare videtur, alio verò, ex propria locutus opinione, ea refellit aut exagitat.

Clemens vero Alexandrinus (ut ad hunc denuo redeam) qui, uti paulò ſuperius ex ipſius ibi allatis verbis patet, (at quantum mutatus ab illo!) *Sibyllam* inter *Prophetas*, atque *ab ipſo Apoſtolo Paulo commendatas* ponit; is, ex adverſo, lib. I. ſtrom. cujuſcunque generis Vates quoque eodem ordine habet. *Sibyllaſque* omnes, ut ejuſdem Auctoritatis ac Divinitatis, cæteris prætenſis vatibus ibi enumeratis intermiſcet.

Ex quibus omnibus videmus ſatis ſuperque, omnes Ethnicorum Vates eodem ſpiritu actos fuiſſe; Diabolico quidem, quatenus omne malum a Diabolo eſt: at non magis præter aut ſupernaturali, quam iſti, de quibus Sacra Scriptura ac Maimonides loquuntur.

At quod mireris admodum in hoc dicto Clemente Alexandrino eſt, quod nunc *Sibyllas*, vel *Sibyllam* inter Prophetas numeret, nunc vero illas cum cæteris prætenſis Vatibus conjungens, de omnibus iſtis Vatibus, *atque ita ſimul etiam de Sibyllis* hæc ſequentia pronuntiet. Ἀλλ' οἱ μὲν, κλέπται πάντες καὶ λῃσταὶ ὥς φησιν ἡ γραφὴ, τὰ πλεῖστα ἐκ παρατηρήσεως καὶ ἐξ εἰκότων προειρηκότες, καθάπερ οἱ φυσιογνωμονοῦντες ἰατροί τε καὶ μάντεις· οἱ δὲ καὶ ὑπὸ δαιμόνων κινηθέντες, ἢ ὑδάτων καὶ θυ-

μια·

μιαμάτων καὶ ἀέρος ποιοῦ ἐκταραχθέντες. *Verum isti omnes fures sunt & Latrones, ut Scriptura loquitur, plurima ex observationibus & conjecturis verisimilibus prædicentes; ut Physiognomonici, Medici ac* VATES. *Alii quoque aut a Dæmonibus agatati, aut ex aquarum, aut ex Thymiamatum, aut aeris certo quodam motu perturbati sunt.*

Nunc denique idem ille Clemens (sub initium plane protreptici) prioribus dictis plane dissimilia, imò contraria, proferat. Ἄδυτα τοίνυν ἄθεα μὴ πολυπραγμονεῖτε, τὰ δὲ βαράθρων στόματα, τερατείας ἔμπλεα, ἢ λέβητα Θεσπρώτιον, ἢ τρίποδα Κιρραῖον ἢ Δωδωναῖον χαλκεῖον, γεράνδρυον δὲ, ψάμμοις ἐρήμαις τετιμημένον καὶ τὸ αὐτόθι μαντεῖον, αὐτῇ δρυῒ μεμαρασμένον, μύθοις γεγηρακόσι καταλείψατε. σεσίγηται οὖν ἡ Κασταλίας πηγὴ, καὶ Κολοφῶνος ἄλλη πηγὴ, καὶ τὰ ἄλλα ὁμοίως τέθνηκε νάματα μαντικὰ, καὶ δὴ τοῦ τύφου κενὰ ὄψε μὲν, ὅμως δὲ οὖν, διηλήλεγκται, τοῖς ἰδίοις συνεκρεύσαντα μύθοις. Διήγησαι ἡμῖν καὶ τῆς ἄλλης μαντικῆς, μᾶλλον δὲ μανικῆς τὰ ἄχρηστα χρηστήρια, τὸν Κλάριον, τὸν Πύθιον, τὸν Διδυμέα, τὸν Ἀμφιάρεων, τὸν Ἀμφίλοχον. εἰ δὲ βούλει καὶ τερατοσκόπους καὶ τοὺς ὀνείρων κριτὰς τοὺς ἀνιέρους σὺν αὐτοῖς· στῆσον δὲ ὁμοῦ παρὰ τὸν Πύθιον ἄγων τοὺς ἀλευρομάντεις, καὶ κριθομάντεις, καὶ τοὺς εἰσέτι παρὰ τοῖς πολλοῖς τετιμημένους ἐγγαστριμύθους· ναὶ μὴν ἄδυτα Αἰγυπτίων, καὶ Τυρρηνῶν νεκυομαντεῖαι σκότει παραδεδόσθων· μανικὰ ταῦτα ὡς ἀληθῶς ἀνθρώπων ἀπίστων σοφιστήρια, καὶ πλάνης ἀκράτου κυβευτήρια, συνέμποροι τῆσδε τῆς γοητείας αἶγες ἐπὶ μαντικὴν ἠσκημέναι, καὶ κόρακες ἀνθρώποις χρᾶν ὑπὸ ἀνθρώπων διδασκόμενοι. *Impia ergo Adyta ne investigetis, nec Barathrorum ora præstigiis plena, aut Lebetem Thesprotæum, aut Tripodem Cyrrhæum, aut æs Dodonæum. Gerandryon autem arenis desertis honoratum [Jovis Ammonis templum] & quod illic est Oraculum,* QUOD CUM IPSA QUERCU EMARCUIT, *anilibus fabulis relinquatis. Silentio quidem certe mandatus est Fons Castalius, & alius Fons Colophonis; & alia similiter perierunt fluenta Divinatoria, quæ certe fastu plena serò quidem, tandem*

tamen convicta sunt; ut quæ una cum suis effluxere fabulis. Narra nobis quoque (per me licet) reliqua Vaticinationis, aut furiosæ potius Vanitatis Oracula, Clarium, Pythium, Didymæum, Amphiaraum, Amphilochum: adde, si lubet Prodigiorum Interpretes: adde Augures, profanosque Somniorum conjectores. Quin age sis, ac simul eos coram Pythio statuas, qui Divinationes suas farina hordeove perficiunt, quique a plurimis quoque observantur Ventriloquos. Jam vero & Ægyptiorum Adyta, & Manium apud Heruscos Vaticinationes, in tenebris jaceant. Vesanæ profecto illæ sunt infidelium hominum fallendi artes, & comparatæ ad puram putamque fraudem, quasi aleæ aut sortis officinæ. Ejusdem quoque fascinationis, veluti Negotiationis sociæ, habeantur CAPRÆ *ad Divinandum informatæ, nec non* CORVI *illi, qui ad Responsa hominibus reddenda ab hominibus edocti sunt.*

Vides, mi Lector, ex talibus, quam secure hujus Clementis stare dictis queamus: qui dum uno loco *Sibyllam, Sibyllasve* (nam novem numero, ut tales agnoscit atque enumerat alibi) uti & *Hystaspen*, sive *Hydaspen*, inter *Prophetas* ab Apostolo Paulo commendatos, habet; alio loco eos inter falsos *Vates*, qui aut humana, aut Diabolica impostura, homines seducebant; ac tertio loco cuncta Ethnicorum Oracula, cuncta inter ipsos Divinationum genera, pro imposturis ac præstigiis humanis habet.

CAP.

CAP. VII.

De Isaaci Vossii, celeberrimi viri, Sibyllinis; *quatenus illa a Judæis* Deo instigante ipsorum Mentes conscripta, *atque hinc verè Canonica fuisse, ac postmodum e Canone extrusa perhibet. Unde & examinantur illa quæ de* Apocryphis, *suo more, affirmat: atque ista occasione, de scriptis* Enocho *attributis, &c. agitur.*

At quis non maxime miretur, imò stupeat temerarias vere assertiones, eruditissimi alias atque inde merito Celeberrimi, *Isaaci Vossii:* qui, ut suis patrocinetur *Septuaginta Interpretibus*, absurda super absurda accumulat, contrariæque sibi sententiæ eruditos pro stipitibus, semidoctis & planè indoctis habet & sugillat: dum ipse statuit ac præfracte defendit, Scripta illa, quæ sub nomine *Hystaspis, Mercurii Trismegisti, Zoroastris, Sibyllarum, Orphei, Phocillidæ* ac complurium aliorum (seu Poëtarum, seu Vatum) orbem dudum obambularunt, & verè Canonicas esse, & ut talia ab Apostolo Paulo Christianis suis commendatas; quamvis a posterioribus Judæis (post, ac propter adventum veri Messiæ) denuo ex Canone extrusi fuerint.

Verum, ne aliquid tanto viro falso imputare videamur, nonnulla ipsius verba (quæ edit. Anglicanæ p. 30. &c. Leydensis p. 57. &c. continentur) afferamus satis confidenter ac proterve nimium (absit invidia dictis,) in plurimos summæ eruditionis viros prolata, hoc modo: *sed neque recte ab iisdem Clemens Alexandrinus reprehenditur cum scribit Apostolum Paulum remisisse ad Sibyllas & Hystaspis Vaticinia, & commen-*

dasse eorum lectionem. Frustra quærunt ubinam hoc dixerit Paulus, ac si nihil dixisset aut scripsisset Apostolus, nisi quod indoctis placeat. Sufficiat nobis affirmasse hoc Clementem, virum Sanctum, & cum multis Apostolicis viris conversatum, ut non uno loco de se testatur; Instant tamen & credulitatem Patrum ad simplicitatem usque traducunt, ipsi potius traducendi, quod suam incredulitatem ex inscitiâ ortam prudentiæ & judicii loco obtrudere conentur.

Ut autem hisce respondeatur: *Sufficiat*, ait Celeberrimus Vossius; *affirmasse hoc Clementem virum Sanctum, & cum multis viris Apostolicis conversatum*, &c. Si hæc ratio valere debeat, *Sufficiat & Irenæum virum Sanctum & cum multis viris Apostolicis conversatum, affirmasse plus semel, Dominum nostrum Jes. Christum anno ætatis circiter quinquagesimo crucifixum:* præsertim cum & citet ipse scripturas, ac quæ extant hodie, nec ulli Christiano suspectæ sunt. At quis in hac re hujus Irenæi aut traditioni aut explicationi S. Scripturæ unquam credidit? aut si fuerit talis aliquis tempore Irenæi illius addictus jurare in verba Magistri; quis postea tale quid asserere ausit?

Verùm Hisce non contentus Celeberrimus ille vir, qui ἧλον ἥλῳ κρούει, continueque ac nimis temere, in tractatu de Sibyllinis falsa super falsis, absurdaque super absurdis cumulat, hæc Sibyllarum, sibi perditè adamatarum, scripta, uti & plura alia supposititia, ante Christi adventum in Canonem recepta, ac post illius tempora ex canone rursus detrusa, magno conatu, magnoque molimine contendit. Non afferrem hic pene totum ipsius cap. VII. de libris Apocryphis, nisi multa ad id essent notanda, quæ minus circa hæc versatis fucum facere queunt; tum quod vir ille fuerit vere pereruditus, tum quod tanta cum confidentia illa proponat, contrariæque sententiæ eruditos ubique quasi pro stipitibus ac plane indoctis habeat ac sugillet.

Vult

Vult igitur ille, omnes libros Sacros, antequam a LXX. intetpretibus converterentur, fuisse Apocryphos [i. e. absconditos &c.] quod solis Levitis & Sacerdotibus ad illos pateret aditus. post quæ ipsius modo asserta, ita pergit : *Ita ut libri Apocryphi iidem fuerint qui arcani, inaccessi, Sacri, & quibus merito credatur. Videamus nunc quâ ratione factum sit, ut vocabulum hoc apud Christianos aliam & priori quodammodo contrariam, acceperit significationem; cum scilicet Apocryphi pro spuriis, aut saltem dubiæ fidei, accipiuntur libris. Ergo ne dubitandum quidem existimo, quin sinistra vocis hujus acceptio a Judæis propagata sit ad Christianos. Antequam enim essent Christiani, in recta significatione vox hæc ab ipsis quoque usurpata fuit Judæis. Quomodo autem immutata fuerit significatio, jam dicam. Totis 50. & pluribus annis antequam nasceretur Messias, suis, de Messiâ Vaticiniis universum Judæi terrarum compleverant orbem, ac personabat ubique versus ille :* Ἥξει δ' ἁγνὸς ἄναξ πάσης γῆς σκῆπτρα κρατήσων. *Perstitere in hac spe & exspectatione quandiu Rex Messias non advenisset. Postquam autem ille venit, & non agnoverunt eum, eversisque tandem Jerosolymis spes alius Messiæ paulatim cœpit evanescere, numerusque in verum credentium Messiam indies augeri; fieri aliter non potuit, quin pudore & pœnitentia prioris a se sparsi rumoris affecti fuerint maximâ, adeoque quidem, ut & ipsi quoque, quod eos frustratus esset, maledixerint Messiæ. Tum itaque cœperunt odiosi illis esse Sibyllini, Hystaspis, aliique a Majoribus suis paulo ante conscripti libri, ut pote adventum Christi clarius significantes, quam a Veteribus factum esset Prophetis. Tum quoque execrationi esse cœpit versio LXX. Interpretum, e quâ tanquam e seminario omnes isti novi Prophetæ quasi totidem Messiæ prodiissent præcursores. &c. . . . . . Denique, nequid impietati in Christum deesset, cum publico cautum esset edicto, ne quis legeret Sibyllinos aliosque fatidicos libros*

bros continentes adventum Regis, jam sibi magis quam Romanis odiosi, libenter decreto Senatus paruere, anathemate quoque proscribentes, si qui inter Judæos istos aut haberent aut consulerent libros; & hâc ratione qui antea palam & religiose ab illis legebantur libri, facti sunt Apocryphi, veluti interdicti & a nemine legendi. Tum quoque factum ut arctiori quam antea sese libri sacri constringerentur, omnesque qui Hebraicè non extarent a reliquis separati & pro Apocryphis fuerint habiti, detorta a vero significatu vocis naturâ. . . . . Haud parum utilitatis Christianæ accederet Religioni, si etianim superessent scripta illa Apocrypha, QUÆ VETERIS TESTAMENTI OLIM CONJUNGEBANTUR LIBRIS, CUM ET APPROBATA FUERINT A JUDÆIS *anteqnam essent Christiani*, ET LECTA IN PRIMITIVA ECCLESIA, ET COMMENDATA A PAULO ET APOSTOLIS; *qui & testimonia ex illis petita scriptis suis inseruere. Apud Paulum quidem* COMPLURA OCCURRUNT LOCA EX ILLIS DEPROMPTA: LIBER VERO ENOCHI *citatur in Epistola Judæ, Scio quidem a multis rejici hoc nomine illam Judæ Epistolam: sed si hoc valeat argumentum, rejicenda quoque erit secunda S. Petri Epistola, utpote in qua cap. II. v. 4. legitur Deum in prisco, qui ante Diluvium fuit mundo non pepercisse Angelis peccantibus, sed illos catenis tenebrarum coercitos in tartarum detrusisse, extremo reservandos judicio; quod manifeste ex eodem depromptum est Enochi libro. Integrum Enochi locum vide in Chronico Syncelli. Eadem historia, paribus ferè ac Apostolus verbis, memoratur in Orac. Sibyllinis, lib.* 1. *ubi secundæ antè diluvium ætatis hominum lapsus describitur. Nec tamen propterea sequitur librum hunc ipso antiquiorem diluvio, ab Enocho fuisse conscriptum. Absit ut sic sentiamus; sed verò ita omnino credimus, omnes istos quos diximus libros, vergentibus ad finem Danielis hebdomadis, a Judæis toto orbe dispersis fuisse com-*

compositos, DEO IMPELLENTE IPSORUM MENTES, *ad significandum Gentibus Christi adventum. Infinita itaque illi edidere Volumina partim sub Patriarcharum & Prophetarum suorum nominibus, quales fuere libri qui olim lecti fuere sub nominibus Adami, Enochi, Abrahami, Moysis, Eliæ, Esaiæ & Jeremiæ; partim vero sub nominibus illorum quorum magna apud Gentiles esset existimatio, veluti Hystaspis, Mercurii Trismegisti, Zoroastris, Sibyllarum, Orphei, Phocyllidæ & complurium aliorum. Nec est quod quisquam objiciat in istis libris, multa quoque fuisse superstitiosa & magica, uti ex istis quæ passim supersunt fragmentis facilè potest colligi, ideoque minimè esse verisimile istiusmodi homines clarius de adventu Christi fuisse locutos, quam veteres locuti sint Prophetæ; nam id argumentum non esse satis solidum ex eo constat, quod & Balaamus Magus, & incantator toto Oriente fuerit celeberrimus, qui tamen futura Christi mysteria adeo manifestè prædixit ut nullus propemodum Prophetarum tam apertè de iis sit vaticinatus; uti rectè monet Hieronymus in Epistola ad Oceanum. Sed & illi Magi, qui Christum puerum adoratum venerunt, cum ut ejusdem regionis*, ITA QUOQUE EJUSDEM ARTIS ET PROFESSIONIS FUERINT *ac Balaamus, Chaldæi nempe Harioli, & Balaami, ut verisimiliter Origenes prodit, successores, cum constet successionem Magorum diligentissime observatam fuisse; ecquis,* [NB] *inquam, neget eos clarius & manifestius quam quisquam Prophetarum a Deo inspiratos prævidisse diem, horam & locum nativitatis Domini nostri; & beneficio* STELLÆ A BALAAMO PRÆDICTÆ *deductos Bethlehemum, primos fuisse qui Christum Regem Judæorum salutarint? Verum est itaque, id quod viri docti in sacris observarunt literis, ut nempe quanto propiores Christi temporibus fuere Prophetæ, tanto clarius de eo sint locuti; id ipsum præcipue locum habere in illis, qui vel*

 at-

attigerunt, vel proxime præcessere tempus nativitatis Christi.

Quæ hic præcipue notanda veniunt (namque omnia redarguere minime opus est) sunt I°. perversa ista significatio τοῦ ἀποκρύφου; quæ uti confingit Celeberr. vir, a Judæis ad Christianos transiit; cum hi Judæi post Messiæ adventum, ea scripta quæ ut Prophetica in S. Scripturæ Canonem fuerant recepta, imò ab ipsis Judæis toto orbe dispersis *Deo impellente ipsorum mentes ad significandum Gentibus Christi adventum composuerant*, pro falsis jam ac spuriis haberent atque ex Canone expellerent.

Unde autem habuerit eam historam istasve traditiunculas (mera sane somnia aut cerebri figmenta, nisi forte fuerit ex ejusmodi commatis Apocryphis apud solum Vossium delitentibus) non declarat hic noster Vossius; ac quidem I°. *totis Quinquaginta ac pluribus annis antequam nasceretur Messias, suis de Messiâ Vaticiniis universum complesse Orbem ac versum hunc ubique personuisse* Ἥξει δ᾽ ἁγνὸς ἄναξ πάσης γῆς σκῆπτρα κρατήσων. II°. Ipsis deinde post Christum natum execrationi fuisse versionem 70. Interpretum (sic dictam; namque an fuerit revera, ac quatenus, τῶν 70. alia quæstio est) *e qua tanquam e seminario* (id ita volente nostro Vossio) *omnes isti novi Prophetæ prodiissent tanquam totidem Messiæ præcursores.*

Secundò, non potuit ignorare vir iste inexhaustæ lectionis, neque equidem ignoravit, controversias ac rixas Judæorum excitatas tempore, imò & dudum ante tempora, Justiniani Imperatoris, super Lectione Bibliorum publica in Synagogis; cum hi quidem Judæi pertenderent solum textum Hebraicum esse prælegendum, alii vero versionem τῶν Septuaginta, atque Aquilæ omni vi ac conatu defenderent. Quæ lites ut dirimerentur ipse Imperator intercedens (Novellar. Constit. 146.) constituit, ut æque liceret prælegere textum τῶν 70. quin & Aqui-

quilæ versionem (licet οὐ μετρίαν ἐπί τινων λέξεων ἔχει πρὸς τοὺς ἑβδομήκοντα τὴν διαφωνίαν) imò & cujuscunque linguæ versiones pro diversitate vernacularum linguarum ac Regionum quibus Judæi inhabitarent.

Versio nempe illa prætensa τῶν Septuaginta olim confecta fuerat in gratiam Judæorum, tam Alexandrinorum, quam aliorum Hellenistarum, seu Græcæ nationis aut linguæ; ac semper propugnabatur per ipsos; ac, ne Auctoritas Divina ipsi videretur deesse, hæc gens tam facilis confingendis fabulis, divino instinctu eam factam pertendebat, hinc fabula illa ab Aristea, vel alio sub ejus nomine conficta cui Græcissantes Judæi (imò & inter ipsos ipsi Philo ac Josephus) fidem adhibebant, aut saltem adhiberi videri volebant. Hinc & primi Ecclesiæ scriptores, Justinus (qui primus fuit) Clem. Alexandrinus cæterique, inter quos pene nemo erat, præter Originem atque Hieronymum, qui Hebraicè calleret, avide hanc versionem, imo & hasce fabellas Judaicas, quæ ipsi auctoritatem conciliare videbantur, arripiebant.

Quæ autem de Judæis in hac re discrepantibus dixi confirmantur & ex ipsa Gemara Hierosolymitanâ, tractatu *Sota*, cap. 7. ubi habetur: *Rabbi Levi ibat Cæsaream; cumque audiret (ibi Judæos) legentes lectionem* שמע [Deuteronom. 6.] *Græcè, volebat ipsis id prohibere. Sed R. Jose id animadvertens irascebatur, dicens: qui non potest legere Hebraicè an omnino non leget? imò legat quacunque linguâ, quam intelligit ac novit, & sic officio suo satisfecerit.* Atque hæc tradunt Rabbini, quos ob execrationem 70. Interpretum tam vehementer ubique fere Celeberrimus ille Vossius exagitat. Ne autem aliquis hæc trahat ad *Græcam Versionem Aquilæ* Judæi; audiat Tertullianum: qui de τῶν 70. versione cap. 18. Apologetici inter alia hæc quoque affert: *Sed & Judæi palam*

lam lectitant, *vectigalis libertas* (qua Synagogas frequentare ipsis licebat) *palam aditur*, *Sabbatis omnibus*.

Dissimulat quoque Is. Vossius versionem seu editionem Græcam, quæ τῆ κοινῆς nomine veniebat, & in communiori usu erat; ac de qua hæc testatur Hieronymus ad Suniam & Fretelam: Κοινὴ *autem ista*, *hoc est*, *communis editio*, *ipsa est quæ & Septuaginta*: *sed hoc interest inter utramque*: *quod* κοινῆς *pro locis & temporibus & pro voluntate Scriptorum Veterum corrupta editio est*; *ea autem quæ habetur in* ἑξαπλοῖς, *& quam nos vertimus*, *ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata Septuaginta Interpretum translatio reservatur. Quicquid ergo ab hac discrepat*, *nulli dubium est quin ita & ab Hebræorum authoritate discordet*. Sic quæ idem ad Chromatium, in epistola 107. habet: *Alexandria & Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat authorem*; *Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat*; *mediæ inter has Provinciæ Palestinos codices legunt*, *quos ab Origine elaboratos*, *Eusebius & Pamphilus vulgaverunt*: *totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat*. Denique & hæc sequentia ejus dicta, Micheæ cap. 2. *Interpretatio Septuaginta*, *si tamen 70. est* (*Josephus enim scribit & Hebræi tradunt* [NB] *quinque tantum libros Legis Mosis ab eis translatos & Ptolomæo contraditos*) *tantum discordat in præsenti loco ab Hebraica Veritate*, *ut nec capita possimus ex æquo ponere*, *nec eorum simul sententias explicare*.

Antiquior certe versio librorum V. Mosis videtur; ac magis quoque concordabat Hebraicæ quam cæterorum librorum; quæ tamen satis mature ab aliis, uti videtur, Judæis Alexandrinis aut Hellenistis in usum suarum Synagogarum fuit confecta: ad cujus discordantiam (ut sic loquar) Hieronymus hic respicit. Serior longe videtur fuisse cæterorum librorum versio, quæ tamen ante Christum natum confecta fuit

fuit, unico solo, vel pluribus ad id simul convenientibus Interpretibus, sive eodem, sive diversis, ac (forsan longe) temporibus.

Quæ Versio quum non adeo esset accurata, aut tractu temporis ab exscriptoribus (vel etiam Hæreticis) esset corrupta; ac præcipue quidem illa quæ τῆ κοινῆς nomine veniebat; specioso sub prætextu Aquila Ponticus ex Christiano Judæorum proselytus, Symmachus ex Samaritano Judæus & Theodotio itidem ex Christiano recutitus factus, novas versiones procudebant.

De quibus versionibus ita Hieronymus, præfatione in Jobum: *Quasi non & apud Græcos Aquila, Symmachus & Theodotio vel verbum e verbo, vel sensum e sensu, vel ex utroque commixtum, & medie temperatum genus translationis expresserint: & omnia Veteris Instrumenti volumina Origenes obelis asterisque distinxerit, quos vel additos, vel de Theodotione sumptos translationi antiquæ inseruit, probans defuisse quod additum est.*

An autem solâ fuerit τῆ 70. Versione usa Ecclesiæ, temporibus jam Hieronymum antecedentibus, viderint isti hujus prætensæ 70. versionis patroni, ex his jam allatis; nisi Hieronymum mendacii arguere malint: quod tamen ipse Is. Vossius, quantum scio, non facere ausit.

Carmina certe *Sibyllarum*, uti in Græcia, versabantur omnium manibus (quod & tractu temporis quoque inter Romanos, aliosque populos invalescebat) sic parvi admodum æstimabantur: eo quod scurræ Circumforanei, talia multa *vana sub nomine celebri* vulgarent, parvoque pretio uniusquisque sibi illa comparare posset. Quæ ac qualia Celeb. Vossius plane dissimulat.

Quæ de *edicto prohibente Sibyllinorum Lectionem* affert in plane contrarium sensum detorquet: eò quod nullâ alia de causa prohibitio illa facta atque iterata fuerit, quam ne Auc-

ctoritas evileſceret eorum quæ jam collecta fuerant , aut renovata, poſt exuſtos illos libros , quæ Tarquinio perhibebantur oblati ac divenditi : neve per iſta apud privatos habita Vaticinia, ad factiones &c. moverentur ſubditorum animi : quod tamen plus ſemel contigit ; uti videtur ex exemplo C. Lentuli, atque illo quod accurate admodum a Dione Caſſio deſcribitur; Reductione, ſcilicet , Ptolomæi in Regnum Ægypti.

Quæ igitur de parentibus libenter huic decreto Judæis loquitur, mera ſomnia ipſius ſunt aut figmenta. Uti &, quod *tum arctiori quam antea ſepe libri ſacri conſtringerentur, omneſque qui Hebraice non exſtarent, a reliquis ſeparati & pro Apocryphis fuerint habiti.* Sicut etiam, illa, quæ enumerat poſtea, *Apocrypha Veteris Teſtamenti olim conjuncta fuiſſe libris, approbata a Judæis antequam eſſent Chriſtiani, & lecta in primitiva Eccleſia, & commendata a Paulo & Apoſtolis.*

Mirum ſane, imò permirum, ſi hi libri jam *ante Chriſtum natum in Canonem fuerant recepti Judaicum* , Joſephum dum libros Judæis Canonicos ſive Sacros enumerat , nullius horum novorum Propheticorum meminiſſe : cum de nullis aliis loquuntur quam de iſtis 22. qui adhuc in Canone habentur Judaico. *Ac ſi Lecti ſunt in primitiva Eccleſia, & commendati a Paulo & Apoſtolis :* ipſum Apoſtolum Paulum, dum Athenis (Act. cap.) Aratum Poëtam Ethnicum citat; non provocaſſe ad *Sibyllas :* quod certe cum fructu fuiſſet , ſi verum eſt, quod Voſſius aſſerit, per *illos, alioſque fatidicos Verſus, innumeros, non ex Judæis modo, ſed & ex Gentibus* ad Chriſtianiſmum fuiſſe converſos : at nullos denique Chriſtianorum ſcriptores eorum ut Canonicorum meminiſſe ; aut quod aliquando quidem fuerint a Judæis in Canonem receptos , poſtea vero ab ipſis Judæis inde fuiſſe extruſos , Chriſtianoſque id ſive æquo ſive ini-

quo

quo tulisse : imò & ipsos denuo in id Judæis istis collaborasse; imò ne ullum quidem istius rei, ne minimum quidem, indicium exstare, apud ullum cujuscunque demum seculi scriptorem Christianum aut Judæum.

Condemnandi sic quoque quammaxime sunt Lactantius, Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus, qui & Sibyllarum & Hystaspis & Hermæ Trismegisti & cæterorum fatidicorum scripta pro Diabolicis (sive instinctu Diaboli scriptis) aut meris nugis habent; uti superius ex illorum adductis verbis patet. Verum videntur ista omnia plane ignorasse, quæ de ipsis ut Propheticis affirmat Celeberrimus Vossius. *Nesciverunt illi, quæcunque in Sacris libris de Servatore nostro occurrunt Oracula, similia quoque illis contenta fuisse carminibus, finem regni Judaici, desolationem Templi, eversionem Religionis Gentilium, Instaurationem Templi sed spiritualis, consummationem & conflagrationem mundi, partum insuper Virginis, novam progeniem cœlo delapsam, abolitionem peccatorum primi parentis, aliaque qualia in quarta Ecloga* (id ita explicante Vossio cujus hic verba adduco) *canit Virgilius, secutus Oracula quæ sub nomine Cumeæ Vatis isto passim legebantur tempore.*

Atqui Lactantius Sibyllarum patronus percelebris, libro I. ait: *Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur & habentur, præterquam Cumææ: cujus libri a Romanis occuluntur; nec eos ab ullo nisi a XV.viris inspici fas est.* &c. quibus ostendit cætera prætensa Sibyllina satis tum temporis fuisse vulgata: at Cumææ nemini, præter XV.*viros*, adeunda: quæ tamen mera fabula est.

Præter *Sibyllarum, Hystaspis* & *Hermæ seu Mercurii Trismegisti* Scripta, Celeberrimus Vossius in Prophetarum Canonem includit quoque libros prætensos, atque ipsorum sub nominibus confictos, *Adami, Enochi, Moysis, Eliæ, Jeremiæ, Orphei, Phocyllidæ* & complurium aliorum; *utpote*

ad-

adventum Christi clarius significantes quam a veteribus factum esset Prophetis. Fecerunt nempe id quoque non minus instinctu Divino, *Deo impellente ipsorum mentes ad significandum Gentibus Christi adventum.* Quod si verum sit, cui non mirum ipsos Judæos, dum jam Salvator noster præsens, in carne, aderat, ac Prophetiæ de ipso prælocutæ in medio ipsorum complebantur, Christusque etiam de semet ipso & verbis & Miraculis testabatur, tamen tanta laborasse ablepsia, ut, quæ ipsi (Judæi) jam Gentibus, longe clarius quam unquam Propheta Judæus quispiam fecerat, minime caperent: verum ex Mera ignorantia (vide Luc. XXIII, 34. Act. III, 17. & VII, 60.) Salvatorem illum, non persecuti solum fuerint; verum & cruci affixerint.

Ut autem exemplum det noster celeberrimus Vossius, Enochum ejusque Prophetias adducit in medium. Quamobrem operæ pretium fuerit de Enocho, ejusque prætensi libri Auctoritate in veteri Christianorum Ecclesia, aliquid ex veteribus adjungere; quæ sic nude allata, absque ulla refutatione ulteriori, satis clare indicant quam parvi ponderis, imò quam mali commatis, & liber ipse fuerit, & testimonia ex ipso desumpta nobis esse debeant. Primus ac præcipuus hîc prodeat Tertullianus, qui lib. 1. cap 2 & 3 de cultu feminarum ita loquitur: *Nam & illi qui ea constituerunt, damnati in pænam mortis deputantur: illi scilicet Angeli, qui ad filias hominum de cælo ruerunt, ut hæc quoque ignominia feminis accedat. Nam cum & materias quasdam benè occultas, & artes plerasque non bene revelatas, seculo multo magis imperito prodidissent (siquidem & metallorum operta nudaverant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires provulgaverant & omnem curiositatem usque ad stellarum interpretationem designaverant) proprie & quasi peculiariter feminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt; lumina lapillorum, quibus monilia*

variantur : & circulos ex auro, quibus brachia arctantur : & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur : & illum ipsum nigrum pulverem, quo Oculorum exordia producuntur, &c. ac post nonnulla huic materiæ illustrandæ interjecta! *Scio Scripturam Enoch, quæ hunc ordinem Angelis dedit non recipi a quibusdam; quia nec in Armarium Judaicum admittitur. Opinor, non putaverunt illam ante cataclysmum editam, post eum casum orbis, omnium rerum abolitorem, salvam esse potuisse. Si ista ratio est, recordentur pronepotem ipsius Enoch fuisse superstitem cataclysmi, Noe: qui utique domestico nomine & hæreditaria traditione audierat & meminerat de proavi sui penes Deum gratia; & de omnibus prædicatis ejus : Cum Enoch filio suo Mathusalæ nihil aliud mandaverit, quam ut notitiam eorum posteris traderet. Igitur sine dubio potuit Noe in prædicationis delegatione successisse : vel quia & alias non tacuisset tam de Dei conservatoris sui dispositione, quàm de ipsa domus suæ gloria. Hoc si non tam expedita haberet, illud quoque assertionem scripturæ illius tueretur : proinde potuit abolefactam eam violentia cataclysmi in spiritu rursus reformare : quemadmodum & Hierosolymis Babylonia expugnatione deletis, omne instrumentum Judaicæ literaturæ per Esdram constat restauratum sed cum Enoch eadem scriptura etiam de Domino prædicarit, a nobis quidem omnino nihil rejiciendum est, quod pertinet ad nos. Et legimus omnem scripturam ædificationi habilem divinitus inspirari : a Judæis postea jam videri propterea ejectam, sicut & cætera fere, quæ Christum sonant. Nec utique mirum hoc, si scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi. Eo accedit quod Enoch apud Judam Apostolum testimonium possidet.*

Idem igitur Tertullianus (de Idololatria cap. 4.) *Antecesserat enim hoc prædicens* ENOCH, *omnia elementa, omnem mundi sensum, quæ cælo, quæ mari, quæ terra continentur in Idololatriam versuros Dæmonas; & spiritus de-*

sertorum Angelorum, ut pro Deo adversus Dominum consecrarentur. Omnia igitur colit humanus error, præteripsum omnium creatorem. Eorum imagines, Idola, imaginum consecratio Idololatria. Quidquid Idololatria committit, in artificem quemcunque & cujuscunque Idoli deputetur necesse est. Denique idem ENOCH *simul & cultores Idoli & fabricatores in comminatione prædamnat.* Et rursus: *Juro vobis peccatores, quod in diem sanguinis perditionis pœnitentia parata est, qui servitis lapidibus, & qui imagines facitis aureas & argenteas, & ligneas, & lapideas, & fictiles, & servitis phantasmatibus & Dæmoniis & spiritibus infamibus, & omnibus erroribus non secundum scientiam, nullum ab iis invenietis auxilium.* Quamvis autem mihi satis certum videatur ex S. Scriptura Idololatriam jam ante Diluvium Noachicum in abusu fuisse; tamen minime id hujus personati Enochi Auctoritate firmari velim: multò minus jam ante cataclysmum hunc, Statuas & Imagines, tum aureas tum argenteas, fuisse cultas, aut *Phasmata* adorata.

Irenæus non verba (prætensa) hujus Enochi profert: verum de munere ipsius in hunc modum loquittur: *Sed & Enoch sine circumcisione placens Deo,* CUM ESSET HOMO DEI LEGATIONE AD ANGELOS FUNGEBATUR, *& translatus est, & conservatur usque nunc testis justi Judicii Dei; quoniam Angeli transgressi deciderunt in judicium, homo autem placens, translatus est in salutem.* Videmus hîc singulare quoddam munus huic *Enocho* ab Irenæo tributum; neque solam Legationem ejus ad Angelos transgressores; verum & vice versâ *Enochum* in ipsorum e cœlo dejectorum locum assumptum. Quæ Irenæus noster ex nulla Scriptura Canonica, verum ex hoc illove Apocrypho [nisi Vossius quoque talia vero Canoni inserta voluerit] jam dudum neglecto atque ignorato, deprompsit.

Origenes verò, contra Celsum, asserit, *istius libri non magnam Auctoritatem fuisse in Ecclesia:* eo scilicet quod

dum nonnulli eum reciperent, plurimi e contra rejicerent; ac quidem eousque procederent ii, ut ipsam Judæ Epistolam (teste Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiastico-rum) ea propter ex catalogo seu Canone Scriptorum Sacrorum expungerent.

Quæ Augustinus habet lib. XV. c. 23. de Civitate Dei digna sunt ut huc quoque afferantur, tum propter illa quæ de Enochi Scriptis, quam quæ quoque ibi de Apocryphis (& causa nominis Ἀποκρύφων) habet. *Omittamus igitur earum scripturarum fabulas, quæ Apocryphæ nuncupantur, eo* [NB] *quod earum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima & notissima successione pervenit. In his autem Apocryphis, etsi* [NB hæc contra Tertulliani dicta] *invenitur aliqua veritas, tamen* [NB] *Propter multa falsa nulla est Canonica auctoritas. Scripsisse quidem nonnulla divina Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus, cum hoc in Epistola Canonica Judas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eo canone scripta, qui servabatur in Templo Hebræi populi, succedentium diligentia Sacerdotum; Cur autem hoc? nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei judicata sunt, nec utrum hæc essent quæ ille scripsisset, poterant inveniri, non talibus proferentibus, quia ea per seriem successionis reperirentur rite servasse. Unde illa quæ* [NB] *sub illius nomine proferuntur, & continent istas de Gigantibus* [NB] *fabulas, quod non habuerint homines patres, recte a prudentibus judicantur non ipsius esse credenda.* SICUT MULTA SUB NOMINIBUS ET ALIORUM PROPHETARUM, ET RECENTIORA SUB NOMINIBUS APOSTOLORUM *ab hæreticis proferuntur, quæ omnia sub nomine* APOCRYPHORUM *Auctortiate canonicâ diligenti examinatione remota sunt.* Dignissimus certe locus qui hîc tam integre recitetur: eo quod nonnulla comprehendat quæ, ut If. Vossii effatis plane contraria, ita veritati quam maxime consona

sint, ac lucem huic disquisitioni de scriptis Enochi non contemnendam præbeant.

Quæ statuit hîc Augustinus sunt I°. Apocrypha ideo esse Apocrypha, quod ipsorum origo plane fuerit ignota iis, quibus illa quam maxime nota esse debuerant. Nam quæ de voce ἀπόκρυφον tam audacter affirmat J. Vossius, ac de causis mutatæ hujus vocabuli significationis, nuda solum ipsius asserta, ac cerebri figmenta sunt. Neque hîc ullo modo juvant ipsum illa quæ Suidas, tam in voce Ἐπαφρόδιτος (a Vossio in hunc finem adducta) quam in voce Φερεκύδης affert: eo quod nullo modo ostendat, illa τῶν Φοινίκων ἀπόκρυφα βιβλία, ex Pherecyde notata, cum libris istis quos in Epaphrodito vocat βιβλία σπουδαῖα καὶ ἀνακεχωρηκότα ejusdem fuisse naturæ: cum de hoc ut de summo grammatico, & libris ab eo conscriptis isti disciplinæ conducentibus; de altero ut Philosopho, ac Præceptore Pythagoræ nulloque Magistro unquam uso, verum Phœnicum libros Philosophicos in istum finem sibi comparante, loquatur.

Præterea cunctis notissimum est, unam eandemque vocem non semper aut ubique eandem obtinere significationem; sed verba ac voces valere usu, pro rerum ac temporum ac personarum iis utentium varietate. Figmentum quoque est putidissimum *ejus vocis significationem longe aliam fuisse apud Judæos ante Christum natum, quam post ipsius Nativitatem; eamque ab ipsis Judæis in contrariam fuisse mutatam.*

II°. Statuit, etsi in *Apocryphis invenitur aliqua veritas, multa tamen in ipsis inveniri falsa; atque ista de causa ipsis nullam esse Auctoritatem Canonicam.*

Quod autem istud verissimum sit, a me tam clare ostensum est de Tobiæ, de IV. Ezræ, aliisque Apocryphis libris hodie exstantibus, ut stupor me invadat legentem ejusmodi Celeberrimi Vossii (tanti Judici tamque immensæ lectionis viri) de Apocryphis assertiones. In tantum tamen valent partium studia, ac fervor defendendi quidquid semel defen-

den-

dendum, susceperis. Nec circa Enochi prætensa *scripta* defuere fabularum exempla, uti ex illis quæ de Gigantibus, &c. affert Augustinus, patet.

IIIo. Quod nunquam fuerint in Canone Judaico: cum Vossius absque ullâ hæsitatione affirmet eos antea in Canone Judaico extitisse & palam ac religiose lectos fuisse; post Christum verò natum eos ab ipsis Judæis, quos tandem sequebantur Christiani, *Apocryphos* [in sensu nobis usitato] *factos, veluti interdictos & a nemine legendos.*

Quæ hîc quidem doceri nos a Celeberrimo Vossio oportebat sunt Io. Quando & quomodo primum Canon Judaicus formatus fuerit. Quod tamen conjectare non tam difficile est quam quod IIo. Discere ex ipso opporteret; an nempe ac quales libri, quibusque temporibus, Canoni jam facto accesserint, cujusque, aut quorum, ex auctoritate. Sic enim melius videre possemus, an hic Liber Enochi, an ac quando libri quoque *Hermæ* seu *Pastoris*, uti & *Hermæ* seu *Mercurii Trismegisti*, *Hystaspis*, *Sibyllarum*, cæterique ejusdem farinæ, in eundem Canonem (licet a novitiis Judæis, secundum Vossium tamen Prophetis, quamlibet Hariolis alias aut Magis, aut Magicis artibus deditis) intrusi, inclusi, vel admissi fuerint.

Nam si talia non ex mera Hypothesi affirmaret, melius nobis persuadere valeret, eosdem postmodum ex Canone Judaico denuo fuisse extrusos.

Ac cuinam alias, qui sit alicujus saltem eruditionis & judicii persuadere posset, Hieronymum inter hujus flagitii (hoc enim vere esset, si revera jam antea fuissent, tam Judæis quam primis Christianis, Canonici) auctores fuisse; Augustinum vero aliosque (quibus quod Hebræam linguam non didicerant, eò minus hic ab Judæis imponi potuit) huic conatui minime restitisse, nec silentium solum tenuisse, verum e contra hisce Canonis corruptoribus aperte assensum præbuisse?

Verum optime occurrit ejusmodi horum suppositiorum patronis noster Augustinus; dum (quod clarè ostendi potest) affirmat, tam de libro Enochi, quam de aliis hujusmodi prætensis libris Propheticis, eos *sub* nominibus Prophetarum, & Apostolorum ab Hæreticis fuisse communi mundo obtrusos. Quod quoque, ubi de Canone Scriptorum *Novi fœderis* ago, ulterius ostendo, clariusque multò demonstrare possem; si non hæc per occasionem tantum, verum ex professio agerem.

Considerandum quoque relinquo Lectori, an, salva pietate, de Deo cogitari queat, *ipsum clarius Adventum* &c. *Christi prædixisse, per homines qui, dum tali modo Prophetarent, simul* MULTA SUPERSTITIOSA, *imò* MAGICA SUIS IMMISCERENT; *quod ipso asserente Vossio, ex istis, quæ passim supersint fragmentis, facile potest colligi.*

Hanc absurdissimam tamen opinionem confirmare nititur exemplo *Bileami*, qui, ipso gratis sic affirmante, *Magus* & *Incantator* fuerit *toto Oriente celeberrimus;* quique tamen *adeo manifeste futura Christi Mysteria prædixerit, ut nullus propemodum Prophetarum tam aperte de iis sit Vaticinatus.*

Atqui *Magica* illa etiam ipsis Ethnicis vehementer erant exosa; hincque ut Majestatis crimen objiciebantur Lolliæ Paulinæ [testante id Tacito, libro XII. c. 22.] *interrogati Chaldæi & Magi.* Atque ab Ostorio Sabino filiæ Bareæ Sorani unice crimini morte piando dabatur, quod pecuniam Magis delargita esset. uti & Tarquinius Priscus Statillio Tauro pervertendo *Magicas superstitiones objectabat.;* sicut & *Magi* plus semel edicto Italia pulsi sunt.

Judæi, igitur (ita volente Vossio) *ac quidem dediti Magicis superstitionibus*, quæ Deo Opt. Max. tam vehementer abominationi erant (uti ex S. Scriptura patet) *Deo Impellente horum Magicis deditorum mentes* prophetarunt, confinxeruntque ita, per pias quasi fraudes, Versus *Orphei*, *Phocyllidæ*, *Hystaspis* & *Sibyllarum;* quos *Sibyllarum Versus* post exu-

stum

ſtum Capitolium, Ethnici Romani non ab Ethnicis Græcis aut Aſiaticis, verum ab Judæis Græcis & Aſiaticis, petebant: *quod credat Judæus Apella non ego.*

Romani, ac quidem Sacrorum ii Antiſtites, qui inter ſummos Magiſtratus erant, quærebant apud Judæos ipſis adeo ſemper exoſos Carmina Sibyllina, quibus inſtaurarent Domeſticum, ac quidem publicum ipſorum, χρηστήριον, præter quod nullum aliud Reipublicæ cauſa conſuli permittebabatur: cum tamen inter Ethnicos (uti jam ſuperius oſtenſum fuit) ea pene ubique proſtarent; ac quotidie per hos Ethnicos de novo confingerentur, & pro vetuſtis, ſed inopinanter aut ductu Divino, inventis, ſuperſtitioſis hominibus obtruderentur.

Ejuſmodi Sibyllinis, multa Chriſtianos a ſe conficta immiſcuiſſe, ac pro genuinis ita venditaſſe, aſſirmat quidem Celſus: ſed nemo unquam, inter Gentiles vel Chriſtianos, Judæos hujus culpæ reos fecit. At fuere quidem & inter Ethnicos & inter Chriſtianos, qui ejuſmodi Chriſtianæ ſectæ homines, qui Sibyllas allegabant, ex iiſque quaſi Propheticis Religionem Chriſtianam confirmare conabantur, *Sibylliſtas* appellabant: at nunquam aliquis de Judæis aſſeruit, ipſos ſuam Religionem, adventumve &c. Meſſiæ Gentibus ex Sibyllinis prædixiſſe: multo minus ipſos ejuſmodi Fatidica confinxiſſe. Solus Voſſius id aſſerit factum; ac quidem *Deo impellente ipſorum Mentes.* Ille ſcilicet qui Deus veritatis, oſorque mendacii, imò ipſa Veritas eſt, per Impoſtores (Imò Magos atque Hariolos [NB] teſtante id ipſo Voſſio) ac per falſo ac mendaciter ſuppoſita, imo & partim ſuperſtitioſa ac magica, voluit Gentibus eam venturi Meſſiæ notitiam dare quam *Sancti homines Dei acti ſpiritu Sancto* non potuerant dare ſuis Iſraëlitis Populo Dei ſancto & electo. *Credimus? an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?*

Plurima ſunt præter hæc, quæ in hujus inexhauſtæ lectionis, ac ſummæ eruditionis viro Iſ. Voſſio, at nimium ſuis

ſuis 70. Interpretibus addicto, nimiumque Hebraici textus ac linguæ criminatore, (& admodum injuſtè) falſi atque erroris, nimiæque temeritatis atque audaciæ, ac non melioris notæ quam quæ modo refutata ſunt, notari queant. Verum id hujus loci non eſt: aliàs & quæ plura præter hæc de primo ortu Sibyllinorum, de Interpretatione IV. Eclogæ Vergilianæ, de prohibitione Sibyllinorum de altera Sibylla Erythræa [Athenaide ſcilicet quæ Alexandri tempore vixerit ac Scripſerit] De Alexandrinorum ſuper Rege venturo ſententia, pluribuſque quæ, præter hæc nunc allata, male aut adducuntur aut aſſeruntur, excutere poſſem: ſed nonnullis viderer mortuo velle male (licet id hujus loci eſſet) leoni inſultare: quod facere minime meus ſcopus eſt. Veneror ſane ipſius memoriam, ſummamque & omnigenam admiror eruditionem; quibus merito famam æternam, etiam apud invidos poſſidebit: licet nimio ardore, atque affectu in ſic vulgo dictos 70. Interpretes, ipſius de ætate mundi (cum ſuppoſititio Ariſtea) fundamentum ac fulcrum, a recto veritatis tramite, in devia fuerit abreptus.

Verum hæc de *Sibyllis* hîc ſufficiant; cum & plura dicendi de iis hic locus minime ſit; ac quæ de ipſis dicuntur, ſeu potius fabuloſe narrantur a Scriptoribus antiquis, tam obſcura, confuſa, intricata, tamque abſurda ac fabuloſa ſint; ut, ſive tempora quibus vixerint, ſive quot numero ipſæ fuerint, ſive nomina quibus appellatæ ſint, ſive alias huc maxime facientes circumſtantias perpendas; quo altius in iſta inquiras, eò in majores circa ipſas dubitationes incideris. Quod nullis æque perſuaderi poteſt, quam qui circa hanc materiam diutius fuere verſati, & non ex aliorum præconceptis opinionibus; ſed ex ipſa Antiquitate, abdicatis recentiorum multorum inconſideratis præjudiciis, hæc tenebricoſa, imo & maxime fabuloſa (quamvis nullas unquam fuiſſe Sibyllas, prætenſaſve ejuſmodi Vates, minime aſſerere velim) eruere cordate conati ſunt.

DIS-

DISSERTATIO
TERTIA,
DE
DIVINATIONIBUS IDOLOLATRICIS
In Scriptura Veteris Teſtamenti memoratis.

DISSERTATIO TERTIA, DE DIVINATIONIBUS IDOLOLATRICIS

Sub. Veteri Testamento.

CAPUT I.

De מנחשים *sive* Auguriis *atque* Auguribus *Judæorum Idololatricis*, *ipsorumque origine*, *tam ex Sacra Scriptura*, *quam ex Maimonide & aliis: quibuscum comparantur* Auguria & Augures *Ethnicorum*, (*Græcorum ac Latinorum*;) *uti* & Omina: *circa quæ etiam ostenditur*, *quam plane hîc Christiani Gentiles æmulati fuerint. Ciceronis aliorumque cordatiorum de his* Auguriis, Ominibus *cæterisque horum similibus superstitionibus opiniones*, *atque in contrarium argumenta. De* Auguraculis, *seu* Auguratoriis; *de formulis* Auspicandi, *ritibus* Augurandi, *&c.* Auguriorum, Auspiciorum *atque* Ostentorum *vires in nostra potestate esse. De* Pullariis *&* Auguribus, *ipsorumque dignitate*, *&c. Cujusmodi artes atque*

impostur æ circa istas artes fuerint exercitæ. Cur Judæis vetita Auguria, *& a Mossellano irrisa.*

QUæ tertio mihi tractanda susceperam, sunt illa quæ Deus Opt. Maximus Israëli tum vetavit tum mandavit ratione Divinationum, cæterarumque præstigiarum ac superstitionum ipsis affinium. Consideremus igitur I°. Quid per Mosen Dominus Deus locutus sit Levit cap. XIX. v. 26.

Hebræa verba sunt לא תנחשו ולא תעונו quæ in versione vulgata ita exprimuntur: *Non augurabimini, neque observabitis somnia.* Septuaginta (vulgo dicti) Interpretes ea reddunt. Καὶ οὐκ οἰωνιεῖσθε, οὐδὲ ὀρνιθοσκοπήσεσθε. *Non augurabimini, neque auspicabimini.* Onkelos Paraphrastes illa Chaldaice reddit: לא תנחשין ולא תענון *Non Augurabimini, neque observabitis* [NB] *horas* (ut illa vertuntur in Bibliis polyglottis;) quæ tamen verba eadem sunt cum Hebræis ac Samaritanis, adeoque & pro *Augurari & Omminari & Hariolari* ex quibuscunque pene occurrentibus, sive in via, sive aliter, veniunt.

Judæi autem illud מנחש ita in Siphri explicant: מנחש כגון האומר נפלה פתי מפי נפל מקל מדי עבר נחש מימיני ושיעל אשמאלי וימנע מפניכן לעשות שום וכספרא אמרו לא תנעשו כגון אלו המיחשים בחלדא ובעופות ובכחבים וביוצא בהן ע״ב וכן כגון כה שיאמרו המוני העמים הככלים כיון ששפתי מדרכי שהייתי חולך או צבי הפסיקו או עורב על ראשו או כיון שראיתי דבר פלוני בתהלם היות לאארויח היום או שום מקרא רע יבואהו כל המעשים וכיוצא בהן הרי בכלל לאו זה: *Augur est, qui dicit: excidit bolus meus ex ore meo; baculus manui meo; prætergressus est dextram meam Serpens, & sinistram vulpes; propterea-*

ptereaque abstinet ab omni operis executione. Et in Siphra: Ne Auguremini ita explicant: More illorum qui faciunt conjecturam ex Mustela, ex avibus, ex stellis & similibus; hæc ibi: Ejusdem farinæ est cum fex fatui vulgi inquit: Quod cum a via qua profectus eram reverterer, aut caprea in fine ejus occurrisset, aut corvus crocitans transvolasset caput ejus: aut quia initio hujus diei vidi hoc vel illud, non recreabo me; aut quod aliquid adversi ei contingeret. Hæc, & id genus alia, hoc negativo comprehenduntur. Eundem plane in modum de hisce loquitur R. M. Maimonides. Cap. XI. Sect. 4. libri *de Idololatria*: אין מנחשים כגוים שנאמר לא תנחשו כיצד אלו שאומרים הואיל ונפלה פתי או נפל מקלי מידי איני הולך למקום פלוני היום שאם הלך אין חפצי נעשים הואיל ועבר שועל מימיני איני יוצא מפתח ביתי היום שאם יפגעני אדם רמאי וכן אלו ששומעים צפצוף העוף ואומרים יהיה כך ולא יהיה כך טוב לעשות דבר פלוני ורע לעשות דבר פלוני וכן אלו שאומרים שחוט תרנגול זה שקרא ערבית שחוט תרנגולת שקרא כמו תרנגול וכן המשימים סימנים לעצמן אם יארע לי כך וכך אעשה דבר פלוני ואם לא יארע לי לא אעשה וג׳ *Non captabunt Auguria more Gentilium; quia dicitur: non utemini Auguriis. Augurium autem est, quando quis dicit: Si offa ori exciderit, aut baculus manui, non accedam hodie locum istum: quia si hæc agerem negotia male succederent. Aut si vulpe dextram meam prætergressa, non egrediar foribus domus meæ; ne forsan egresso obviam fiat impostor. Itidem cum attendunt avium cantus, atque inde colligentes ajunt; hoc ita eveniet; istoc facere expedit, illud non item. Similiter cum gallum jubent necari, quia cacillet, aut gallinam ob cantum. Etiam quando aliquod sibi signum statuunt, hoc animo: si istoc evenerit, faciam hoc: sin minus contingat, non faciam; uti fecit Eliezer Servus Abrahami, &c.*

Sic quoque Sect. 5. מי שאמר וג׳. *Dixerit aliquis, ex quo do-*

domum hanc exſtruxi, aut mulierem hanc duxi, aut animal hoc emi, proſpere mihi res ceſſere: quippe opibus auctus. Item interroget quis puerum [NB] *quem verſum didicerit, atque ille referat verſum quempiam* [NB] *ex* BENEDICTIONIBUS; *tum alter ſubjiciat*, BONO SE ID OMINI DUCERE: *tantum ne propterea progrediatur in opere vel ab eo ceſſet; ſed duntaxat pro ſigno habeat rei jam prætеritæ. Sane pacto iſto pro licitis habentur.* Sic denique & R. David Kimchi פישו רזל״ מנחש זה האוכר פתו נפלה מפיו מקלו נפלה מידו בנו קורא לו מאחריו עורב קורא לי צבי הפסיקו נחש מימינו ושועל משמולו אל תתחיל בו שחרות הוא ראש חדש הוא מוצאי שבת Quæ ita vertuntur ab Eruditiſſimo, in linguâ Hebraica, Seb. Munſtero: *Exponunt Rabbini eum eſſe* מנחש MENACHESCH [*Augurem*] *qui ſcilicet Divinat ex Buccella ex ore cadente, ex baculo e manu cadente, ex filio retrorſum eum vocante, ex corvo clamante ad illum, ex cervo tranſeunte, ex Serpente a dextris ejus, ex vulpe a ſiniſtris ejus; quique dicit: ne Auſpiceris hodie, eſt novilunium, eſt dies Sabbathi, &c.*

Quam gemina autem hæc atque ſimilia ſint Gentilium ſuperſtitioſis obſervatiunculis, ab ipſis Ethnicis diſcere queamus; & præcipue quidem ex Theophraſto ac Plutarcho: quorum primus in *Characteribus* ſuis, cap. de *Superſtitione* in hunc loquitur modum: Αμέλει ἡ δεισιδαιμονία δόξειεν δειλία πρὸς τὸ δαιμόνιον. ὁ δὲ δεισιδαίμων τοιοῦτος τις οἷος ἀπονιψάμενος τὰς χεῖρας καὶ περιρρανάμενος, ἀπὸ ἱεροῦ δάφνης εἰς τὸ στόμα λαβὼν, οὕτω τὴν ἡμέραν περιπατεῖν, καὶ τὴν ὁδὸν ἐὰν περιδράμῃ γαλῆ, μὴ πρότερον πορευθῆναι, ἕως διεξέλθῃ τὶς, ἢ λίθους τρεῖς ὑπὲρ τῆς ὁδοῦ διαβάλῃ, καὶ ἐὰν ἴδῃ ὄφιν ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἱερὸν ἐνταῦθα ἱδρύσασθαι. καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων τῶν ἐν ταῖς περιόδοις παριὼν, ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν. καὶ ἐπὶ γόνατα πεσὼν, καὶ προσκυνήσας απαλλάττεσθαι. καὶ ἐὰν μῦς θύλακον ἀλφίτων διαφάγῃ, πρὸς τὸν ἐξηγητὴν ἐλθὼν, ἐπερωτᾶν τὶ χρὴ ποιεῖν. καὶ εὰν ἀποκρίνηται αὐτῷ ἐκδοῦναι τῷ σκυτοδέψῃ ἀπο-

ἀποῤῥάψαι, μὴ προσέχειν τούτοις, ἀλλ' ἀποτραπεὶς ἐκδύσασθαι. καὶ πυκνὰ δὲ τὴν οἰκίαν καθαίρειν. καὶ οὔτε ἐπιβῆναι μνήματι, οὔτε ἐπὶ νεκρὸν ἐλθεῖν, οὐδ' ἐπὶ λέχει. καὶ ὅταν ἐνύπνιον ἴδῃ, πορεύεσθαι πρὸς τοὺς ὀνειροκρίτας, πρὸς τοὺς μάντεις, πρὸς τοὺς ὀρνιθοσκόπους, ἐρωτήσων τίνα θεῷ ἢ θεᾷ προσεύχεσθαι δεῖ. καὶ τελεσθησόμενος πρὸς τοὺς ὀρφεοτελεστὰς κατὰ μῆνα πορεύεσθαι μετὰ τῆς γυναικός. ἐὰν δὲ μὴ σχολάζῃ ἡ γυνὴ, μετὰ τῆς τίτθης καὶ τῶν παιδίων. καὶ ἐπὶ ταῖς τριόδοις ἀπελθὼν κατὰ κεφαλῆς λούσασθαι. καὶ ἱερείας καλέσας σκύλλῃ ἢ σκύλακι κελεῦσαι αὐτὸν περικαθᾶραι. μαινόμενόν τε ἰδὼν ἢ ἐπίληπτον, φρίξας εἰς κόλπον πτύσαι. *Superstitionem definire possumus, meticulosum erga numen affectum. Superstitiosus vero is est, qui elotis manibus & aqua lustrali aspersus e Templo, folium lauri tenens, integrum diem ita ambulet. Si viam mustela ingrediente eo transcurrerit, non ante progredietur, quam alius prior transierit, aut ipse tres lapides trans viam miserit. Serpentes si viderit in ædibus, sacellum eo loco exstruet. Lapides unctos qui sunt in Triviis solet oleo ex ampullâ perfundere: nec prius discedere quam posito genu eos fuerit veneratus. Quod si mus forte farinæ follem arroserit, adit interpretem, & quid facto sit opus eum percontatur. Qui si respondeat cerdoni nimirum tradendum istum follem, ut sarciatur; superstitiosus ille neglecto Arioli responso, religioni rem habens, exinanitum saccum a se amolietur. Solet etiam domum crebrò purificare; sepulcrum nullum insistere: ad defunctorum justa nullus accedere, neque item ad ullam puerperam. Insomnium porrò si viderit, pergere ille ad somniorum interpretes, ad Divinos, ad Augures, sciscitaturus, cui Deo, cui Deæ vota sint facienda. Et ut sacris initietur, ad Orpheotelestas singulis mensibus cum uxore, aut, si uxori non vacet cum nutrice & filiolis suis, itat. Præterea in compitis, antequam inde discedat, aqua in caput aspersa se lustrat. Piatricibus quinetiam ascitis, jubet se squillæ aut catuli circumlatione purgari. Quod si quem mente captum aut comitialem viderit, solet inhorrescens sibi in sinum defluere.*

Plu-

Plutarchus verò, libro de Superstitione (περὶ δεισιδαιμονίας) Εἰτ' ἐξαναστάντες οὐ κατεφρόνησαν, οὐδὲ ἐγέλασαν, οὐδὲ ἥσθησαν ὅτι τῶν ταραξάντων οὐδὲν ἦν ἀληθινὸν, ἀλλὰ σκιὰν φεύγοντες ἀπάτης οὐδὲν κακὸν ἐχούσης, ὕπαρ ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς, καὶ δαπανῶσι καὶ ταράττουσιν εἰς ἀγύρτας καὶ γόητας ἀνθρώπους ἐμπεσόντες, λέγοντας, Ἀλλ' εἴτ' ἔνυπνιον φάντασμα φοβῇ χθονίας θ' Ἑκάτης κῶμον ἐδέξω, τὴν περιμάκτριαν κάλει γραῦν, καὶ βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν, καὶ καθίσας ἐν τῇ γῇ διημέρευσον. Ὦ βάρβαρ' ἐξευρόντες Ἕλληνες κακὰ τῇ δεισιδαιμονίᾳ, πηλώσεις, καταβορβορώσεις, σαββατισμοὺς, ῥίψεις ἐπὶ πρόσωπον, αἰσχρὰς προσκαθίσεις, ἀλλοκότους προσκυνήσεις. Δικαίῳ τῷ στόματι τοὺς κιθαρῳδοὺς ἐκέλευον ᾄδειν οἱ τὴν νόμιμον μουσικὴν σώζειν δοκοῦντες· ἡμεῖς δὲ τοῖς θεοῖς ἀξιοῦμεν ὀρθῷ τῷ στόματι καὶ δικαίῳ προσεύχεσθαι, καὶ μὴ τὴν ἐπὶ τῶν σπλάγχνων μὲν γλῶτταν, εἰ καθαρὰ καὶ ὀρθὴ, σκοπεῖν, τὴν δὲ αὐτῶν διαστρέφοντας καὶ μολύνοντας ἀτόποις ὀνόμασι; καὶ ῥήμασι βαρβαρικοῖς καταισχύνειν καὶ παρανομεῖν τὸ θεῖον καὶ πάτριον ἀξίωμα τῆς εὐσεβείας. *Deinde postquam a somno surrexere, non ea contemnunt neque derident; neque gaudent, quod vera res nulla eos perturbarit: sed deceptionis umbram fugientes, nihil mali habentis, semetipsos insuper dicipiunt ac perturbant, sumptumque faciunt in circulatores atque impostores homines incidentes, qui dicunt: At si nocturnum metuis phantasma, terrestris Hecates Bacchanalia suscipe, voca mactra assidentem anum, teque ipsum baptiza in mari, perque totam diem sede in terrâ. O Græci, qui Barbara invenitis mala per superstitionem, volutiones in luto cloacisque, sabbatorum observationss, projectiones super faciem turpes, sessiones monstrosas, adorationes. Qui legitimam olim Musicam servare visi sunt, justo jubebant ore citharædos canere: nos autem dignum censemus ut deos recto justoque ore precemur, & in visceribus quidem linguam an munda & recta sit inspicere, nostram autem ipsorum depravantes ac inquinantes, absurdis nominibus verbisque Barbaricis deturpare violareque Divinam Gentilemque pietatem?*

Addamus hisce Ethnicis Christianum Scriptorem, tam magni

gni nominis, Aurel. Augustinum, qui lib. II. cap. 20. de Doctrina Christiana, in hunc modum differuit: *Ad hoc genus [superstitionis] pertinent omnes & ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis, quas Characteres vocant: sive in quibusdam rebus suspendendis atque ligandis, vel & saltandis quodammodo; non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas, aut etiam manifestas: quæ mitiore nomine Physicam vocant: ut non superstitiose implicare, sed natura prodesse videantur: sicut sunt inaures in summo aurium singularum, aut de Struthionum ossibus ansulæ in digitis; aut cùm tibi dicitur singultienti, ut dextra manu sinistram pollicem teneas. His adjunguntur millia inanissimarum observationum; si membrum aliquod salierit: si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit. Atque illud quod lapidem calcant tanquam diremptorem amicitiæ, minus molestum est, quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrerit. Sed bellum est quod aliquando pueri vindicantur a canibus. Nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, ut etiam canem qui medius intervenerit ferire audeant non impune. Namque a vano remedio citò interdum ille percussorem suum ad verum Medicum mittit. Hinc sunt & illa, limen calcare cum ante domum suam transit; redire ad lectum, si quis dum se calciat sternutaverit; redire domum, si procidens offenderit; cum vestis a soricibus roditur, plus timere suspicionem futuri mali quam præsens damnum dolere. Unde illud elegantur dictum est Catonis, qui cum esset consultus a quodam, qui sibi a soricibus erosas caligas diceret, respondit, non esse illud monstrum, sed vere monstrum habendum fuisse, si sorices a caligis roderentur.*

Non immerito igitur Terentius in Phormione, Act. IV. Scena, IV. hæc atque similia eleganter ridet, dum sub persona quasi Antiphontis, Geta ibi, Act. IV. Scena IV.

Post illa monstra evenerunt mihi ;
Introiit in ædes ater alienus canis.
Anguis per impluvium decidit de tegulis :
Gallina cecinit : interdixit Hariolus :
Haruspex vetuit ante brumam aliquid novi
Negotii incipere ; quæ causa est justissima.

Omina igitur huc quoque pertinent ac τερατοσκοπία ; quæ ut cum Auguriis, sic etiam cum Ostentis, Portentis καπνομαντεία, ὑδρομαντεία, βακτρομαντεία, reliquisque hujusmodi pluribus atque æque vanissimis observatiunculis Divinatoriis, ejusdem plane naturæ sunt. Immensa quidem congeries fieri talium posset observatiuncularum : verum pauca solum, gustûs gratiâ, afferam exempla.

De Augusto tradit Suetonius, cap. 92. eum *Auspicia quædam & Omina observasse. Si mane sibi calceus* [circa quos induendos adhuc hodierno tempore *Judæi* valde superstiosi sunt] *perperam, ac sinister pro dextro induceretur, ut dirum : si terra marive ingrediente se longinquam profectionem, fortè rorasset, ut lætum, maturique & prosperi reditûs. Sed & Ostentis præcipuè movebatur, &c.* Sic & [cap. 83.] *pumilos atque distortos, & omnes generis ejusdem, ut ludibria naturæ, malique Ominis, abhorrebat.*

At nec meliores hîc permulti inter veteres Christianos fuere : ut de quibus Chrysosthomus, Oratione 21. ad populum Antiochenum loquitur ; ubi post παρατήρησιν ἡμερῶν, & κλήδονας (vel κληδονισμοὺς) addit & σύμβολα, atque ita pergit: τί ποτ᾽ ἐστι σύμβολά, φησι ; πολλάκις ἐξελθὼν τις τὴν οἰκίαν τὴν ἑαυτοῦ, εἶδεν ἄνθρωπον ἑτερόφθαλμον ἢ χωλεύοντα, καὶ οἰωνίσατο. τοῦτο πομπὴ Σατανική. οὐ γὰρ ἡ ἀπάντησις τοῦ ἀνθρώπου πονηρὰν ποιεῖ τὴν ἡμέραν γενέσθαι, ἀλλὰ τὸ ἐν ἁμαρτίαις ζῆν. *Quid enim sunt Omina, talis ait : quod sæpe quis, si domo suâ egressus, viderit hominem altero orbatum oculo, claudum, & inde minatus fuerit. Istud est pompa Satanica. Non enim occursus istius hominis facit ut improsper tibi sit dies ; sed quod in peccatis vivas.*

Ve-

Verum hæc illius verba minime prætermittenda sunt: Εἴπω καὶ ἕτερον καταγελάστερον; αἰσχύνομαι καὶ ἐρυθριῶ, ἀναγκάζομαι δὲ ὅμως διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν εἰπεῖν. ἐὰν ἀπαντήσῃ παρθένος, φησὶν, ἄπρακτος ἡ ἡμέρα γίνεται· ἐὰν δὲ ἀπαντήσῃ πόρνη, δεξιὰ καὶ χρηστὴ, καὶ πολλῆς ἐμπορείας γέμουσα. *Dicamne & aliud multo magis ridiculum? pudore suffundor & erubesco: at cogor interim in salutem vestram id dicere. Si virgo obviam fiat, ait, hic dies (mihi) fit improsper. Si verò occurrat meretrix, opportunus ille dies, & utilis & lucrosus est.*

Ita & de Augusto quoque narrant cum idem Suetonius, tum & Plutarchus, Plinius & Glycas, eum *ea nocte, quæ prælii navalis diem antecessit, in hominem quendam incidisse, qui asinum ageret, istumque illi, de nomine sciscitanti, respondisse: mihi quidem nomen est Eutyches, hoc est Felix; asino verò Nicon* i. e. *Victor, illud ipsum pro Omine fuisse amplexum.*

At nec hic sibi deesse videbantur superstitiosi inter Veteres Christianos. Nam præter aurium tinnitus, præter sternutationes, præter pedum offensiones, ac perplurima alia (statim pro parte aliquæ nominanda) capiebant & maxime *Omina* ex nominibus. Hinc enim Theodoretus, Serm. 8. Τὰς δὲ τῶν μαρτύρων προσηγορίας μᾶλλον ἴσασιν ἅπαντες ἢ τὰ τῶν φιλτάτων ὀνόματα, καὶ τοῖς παισὶ δὲ τὰς τούτων προσηγορίας ἐπιτιθέναι σπουδάζουσιν, ἀσφάλειαν αὐτοῖς καὶ φυλακὴν ἐντεῦθεν μηχανώμενοι. *Martyrum vero appellationes magis norunt omnes, quam vel amicissimorum nomina. Ad hæc suis liberis eas imponere student, quo eis inde securitatem & præsidium comparent.*

Hinc quoque dictus modo (& est mihi sæpe dicendus) Chrysthomus, in cap. IV. Epist. I. ad Corinthios: Εἶτα μετὰ τὸν γάμον εἴ ποτε γένοιτο παδίον, καὶ ἐνταῦθα πάλιν τὴν αὐτὴν ἄνοιαν ὀψόμεθα καὶ πολλὰ σύμβολα γέλωτος γέμοντα. καὶ γὰρ ἡνίκα ἂν καλέσαι τὸ παιδίον δέῃ, ἀφέντες ἀπὸ τῶν ἁγίων αὐτὸ καλεῖν, ὡς οἱ παλαιοὶ τὸ πρῶτον ἐποίουν, λύχνους ἅψαντες καὶ ὀνόματα αὐτοῖς ἐπιθέντες, τῷ διαρκέσαντι μέχρι πολλοῦ τὸ παιδίον ποιοῦσιν ὁμώνυμον, ἐντεῦθεν πο-

λὺν αὐτὸν στοχαζόμενοι. βιώσεσθαι χρόνον, &c. *Deinde vero, poſt nuptias ſi quando puer naſcatur, etiam ibi eandem videbimus inſaniam, & multa Omina admodum ridicula. Nam cum jam puero imponendum ſit nomen; omittentes illum denominare a viris Sanctis, ſicut primum veteres (Chriſtiani) faciebant; accendunt lumina, & nomina iſtis dant; & a lumine longius perdurante nomen ipſi ſimile (illi quod lumini iſti impoſitum erat) imponunt: conjecturam inde facientes, illum diu admodum ſupervicturum.*

Tale quoque *Omen*, cum alia Ominandi ſpecie ſimul junctum, habemus apud Marinæum (libro 10. rerum Hiſpanicarum) in Petro Arragonum Rege VII. hoc modo: *Infantem natum Regina ſtatim ad Eccleſiam miſit, ad imaginem Mariæ Virginis. Cum puero multis Eccleſiam ingredientibus, Sacerdotes, qui matutinas horas recitabant, de adventu infantis ignari, Pſalmum canere cœperunt:* TE DEUM LAUDAMUS: *hinc ad aliam Eccleſiam profecti Omen arripiunt:* BENEDICTUS DOMINUS ISRAEL. *Nec ſatis: cum Rex infanti nomen eligeret, duodecim cereos albos, ejuſdem longitudinis, ponderis, molis, apud altare Sacelli in honorem B. Mariæ Virginis, & duodecim Apoſtolorum, juſſit accendi: quorum ſingula nomina ſingulis cereis ſcripſerat, deſtinaratque animo, ut illius Apoſtoli nomen, cujus cereus, reliquis extinctis & conſumptis, perduraſſet, nomen arriperet. Hac igitur ratione infans Jacobus eſt appellatus; quod Divi Jacobi Cereus ſupervixiſſet.*

Verum Panchymerius ab Andronico ſeniore, per imagines duodecim cereas, totidem Apoſtolorum nominibus inſignitas, ac ſub (uxoris) partûs tempus accenſas, talem *Ominis* captationem fuiſſe inſtitutam narrat: ac cum partus incideret in tempus quo S. Simonis ſtatua ardebat, puellam Simonida eſſe vocatam. Ordine, nempe, imagines, una poſt alteram, accenſæ fuerant.

Quid,

Quid, quod & aliter longe, ex nominibus ſcilicet adultorum, *Omina* captata fuiſſe hoc modo *Terentianus Maurus teſtetur.*

Et Nomina tradunt ita literis peracta,
Hæc ut numeris pluribus, illa ſint minutis.
Quandoque ſubibunt dubia pericula pugnæ,
Major numerus quâ ſteterit, favere palmam;
Præſagia lethi minima patere ſumma;
Sic & Patroclum Hectorea manuperiſſe,
Sic Hectora tradunt cecidiſſe mox Achilli.

Quam vero omnibus pene Ethnicorum ſuperſtionibus hujuſmodi inhæſerint Chriſtiani a primis fere Chriſtianiſmi ſeculis, tum ex aliis amplius diſcere queamus, tum ex Chryſoſtomo, ac Petro Bleſenſi: quorum primus ita (homilia 12. ad Epheſios) loquitur: Πολλῶν δειμάτων αὐτοῖς ἡ ψυχὴ μεστή· οἷον ὁ δεῖνά μοι πρῶτος ἐνέτυχε, φησὶν ἐξιόντι ἐκ τῆς οἰκίας· πάντως μυρία δεῖ κακὰ συμπεσεῖν. νῦν ὁ οἰκέτης ὁ μιαρὸς τὰ ὑποδήματα ἐπιδιδοὺς, πρῶτον ὤρεξε τὸ ἀριστερόν· συμφοραὶ δειναὶ καὶ ὕβρεις. ἐγὼ αὐτὸς ἐξιὼν τῷ ἀριστερῷ προτέρῳ προύβην ποδί· καὶ τοῦτο συμφορῶν σημεῖον. καὶ ταῦτα μὲν περὶ τὴν οἰκίαν τὰ κακά. ἔξω δὲ ἐξελθόντι, ὁ ὀφθαλμός μοι ὁ δεξιὸς ἀναπηδᾷ· δακρύων τοῦτο τεκμήριον. καὶ αἱ γυναῖκες δὲ ὅταν τῷ ἱστόποδι προσαρασσόμενοι κροτῶσιν οἱ κάλαμοι ἢ ὅταν αὐταὶ τῇ κτενὶ σπαθῶσι, σημεῖον καὶ τοῦτο ποιοῦνται. πάλιν ὅταν τὴν κρόκην τῇ κτενὶ καταχρούωσι, καὶ σφοδρότερον τοῦτο ἐργάζωνται· εἶτα οἱ ἄνωθεν κάλαμοι ὑπὸ τῆς ἐντόνου πληγῆς κροτῶσι προσαρασσόμενοι τῷ ἱστόποδι, σημεῖον τοῦτο ποιοῦνται. κἂν ὄνος ἀνακεράξῃ, κἂν ἀλεκτρυὼν, κἂν πτάρῃ τις, κἂν ὁτιοῦν συμβῇ, καθάπερ μυρίοις δεδεμένοι δεσμοῖς, ὅπερ ἔφην, ἐν σκότῳ κατεχόμενοι, πάντα ὑποπτεύουσι, καὶ μυρίων ἀνδραπόδων δουλικώτεροι. *Multis terroribus ipſis anima repleta eſt, ut:* (ex gr.) *ille vel ille homo mihi domo exeunti primus occurrit. Omnino, ergò; neceſſe ut millena inde mihi eveniant mala. Nunc rurſus, Sceleſtus ille ſervus calceamenta mihi tradens primum illud porrexit quod ſiniſtrum erat: quod gravia infortunia atque injurias mihi prænotat. Ego ipſe cum domo exirem, ſiniſtrum primò movi pedem: certe & iſtud infortu-*

nii præsagium. Et illa quidem mala occurrerunt mihi, dum adhuc circa domum hærebam. Verum ulterius jam prodeunti mihi dexter oculus saliit : ast hoc (Omen) est lacrymarum præludium. Etiam Mulieres, quando licium affligunt stamini, & (inde) arundines crepant; aut quando illæ pectinem super malo nimis adurgent; inde signum (aut portentum) faciunt. Iterum quando licium pectine nimis vehementer affligunt; & ita pecten superior, ab intensa allisione crepet cum sonitu contra pedes instrumenti textorii, istud pro Omine habent; & millena alia derisu dignissima. Ut etiam si asinus exclamaverit, & si gallus : & si quis sternutaverit; & quidvis aliud : tanquam decies mille vincti vinculis (ut dixi) tanquam qui tenentur in tenebris, omnia habent suspecta, & sunt magis serviles quam innumerabilia mancipia.

Verba illa ad quæ respicit, per ista ὅπερ ἔφην, ut dixi, sunt hæc sequentia : Καθάπερ γὰρ ὄντως ἐν σκότῳ πάντα καὶ λέγουσι καὶ πράττουσι, καὶ τὰ περὶ δογμάτων, καὶ τὰ περὶ βίου. οὐδὲν γὰρ ὁρᾷ τῶν ἐν μέσῳ κειμένων, εἰς ἐπὶ ἐσκοπισμένος, ἀλλὰ σχοινίον πολλάκις ἰδὼν, ὄφιν ἐνόμισεν αὐτόματον· ὑπὸ φραγμοῦ πάλιν κατασχεθεὶς, ἐνόμισεν ἄνθρωπόν τινα, ἢ δαίμονα κατέχειν αὐτὸν, καὶ πολὺς ὁ θόρυβος, πολὺς ἡ ταραχή. τοιαῦτά τινα φοβοῦνται. *Nam veluti revera in tenebris versantes omnia loquuntur & faciunt, illa quæ ad Doctrinam & vitam [seu mores] pertinent. Nihil enim videt eorum quæ in medio posita sunt, qui caligine obtenebratus est: verum sæpe, funiculum si viderit credit eum esse serpentem [vivum ac] sponte suâ sese moventem. Quin & a sepe apprehensus, &c. retentus existimat id ab homine fieri, aut* [NB] *a Dæmone. Ac multus inde tumultus, & multa perturbatio ipsi oritur. Et talia quidem sunt quæ metuunt.*

Alter vero, Epistola 63. hoc modo : *Non te illorum errore involvas, qui occursum leporis timent, qui mulierem sparsis crinibus, qui hominem orbatum oculis, aut mutilatum pede, aut cucullatum habere obviam detestantur : qui de jucun-*

cundo glorientur hospitio, si eis lupus occursaverit [non tamen, credo, si *lupi Mœrin videre priores,*] *aut columba; si a sinistra in dextram avis Sancti Martini volaverit, si in egressu suo remotum audierint tonitruum; si hominem gibbosum obviam habuerint, aut leprosum.*

Ne tamen hic nimium tædiosus fiam horum Ominum congerendis exemplis, hoc unico, lepidissimo, ac vere Comico, quod apud Diphilum Comicum parasitus profert:

Ὅταν με καλέσῃ πλούσιος δεῖπνον ποιῶν,
Οὐ καταvοῶ τὰ τρίγλυφ' οὐδὲ τὰς στέγας
Οὐδὲ δοκιμάζω τοὺς Κορινθίους κάδους,
Ἀτενὲς δὲ τηρῶ τοῦ μαγείρου τὸν καπνόν.
Κἂν σφοδρὸς φερόμενος εἰς ὀρθὸν τρέχῃ,
Γέγηθα, καὶ χαίρω τι, καὶ πτερύσσομαι.
Ἐὰν δε πλάγιος, καὶ λεπτὸς, εὐθέως νοῶ
Ὅτι τοῦτο μοι τὸ δεῖπνον, ἀλλ' οὐδ' αἷμα ἔχει.

quæ non malè ita versa reperio:

Si quis dives parata cœna me invitat,
Non considero triglypha vel tecta,
Neque perquiro Corinthios cados:
Verum diligenter observo coqui fumum
Et si in dextrum latus vehemens tollitur,
Lætitiâ affectus sum statim. gaudeo, alasque concutio
Si vero obliquus & rarus fuerit, statim intelligo
Quod hæc cœna mihi (parata sit) sed sanguine careat.

Credo certe, mi Lector, hanc καπνομαντείαν ut ut sæpius boni Ominis fuerit; ita non minus (imò ut plurimum) certi fuisse eventus; ac certitudine sua cætera omnia Omina superasse.

Verum ut denuo propius, ab Ominibus, ad Auguria ma-

magis proprie dicta redeam: dignissima quæ huc afferantur, sunt illa quæ Cicero habet, lib. 2. de Divinatione: *Auspicia videamus. Difficilis Auguri locus* [namque ipse Cicero membrum Collegii Augurum erat] *ad contrà dicendum. Marso fortasse, at Romano facillimus. Non enim sumus nos ii Augures, qui avium reliquorumve signorum observatione futura dicamus. Et tamen credo Romulum, qui urbem auspicato condidit* [Augusto Augurio quia condita Roma] *habuisse opinionem, esse in providendis rebus Augurandi scientiam. Errabat enim multis in rebus antiquitas: quam vel usu jam, vel doctrinâ, vel vetustate immutatam videmus. Retinetur autem, & ad opinionem vulgi, & ad magnas utilitate Reipublicæ, mos, religio, disciplina, jus Augurum, Collegii auctoritas. Nec vero non omni supplicio digni P. Claudius, & L. Junius, Consules, qui contra Auspicia navigarunt. Parendum enim fuit Religioni, nec patrius mos tam contumaciter repudiandus. Jure igitur alter populi judicio damnatus est: alter mortem sibi ipse conscivit. Flaminius non paruit Auspiciis, itaque periit cum exercitu. At anno post Paulus paruit. Num minus cecidit in Cannensi pugna cum exercitu? Etenim ut sint Auspicia, quæ* [N.B.] *nulla sunt: hæc certe quibus utimur, sive tripudio, sive ab cœlo, simulacra sunt Auspiciorum, Auspicia nullo modo.*

Hujus Ciceronis vestigia secutus Minucius Felix ita loquitur: *Clodius scilicet & Flaminius & Junius ideo exercitus perdiderunt, quod pullorum solistimum tripudium expectandum non putaverunt? Quid Regulus: nonne Auguria servavit, & captus est? Mancinus religionem tenuit & sub jugum missus est, & deditus? Pullos edaces habuit & Paulus apud Cannas, & tamen cum majore Reipublicæ parte prostratus est? Cajus Cæsar, ne ante brumam in Africam navigia transmitteret, Auguriis & Auspiciis renitentibus, sprevit, eo facilius navigavit & vicit?*

Ve-

Verum rursus ad ipsum Ciceronem; qui paulo post hæc modò allata, (nonullis lectu tamen dignissimis interjectis) ita pergit : *Equidem Assentior C. Marcello potius, quam Appio Claudio : qui ambo mei Collegæ* [in Augurum Collegio] *fuerunt : æstimoque jus Augurum, etsi Divinationis opinione principio constitutum sit : tamen postea Reipublicæ causa conservatum ac retentum. Sed de hoc loco plura in aliis : nunc hactenus. Externa enim Auguria, quæ sunt non tam artificiosa quam superstitiosa, videamus. Omnibus fere avibus utuntur; nos admodum paucis. Alia illis sinistra sunt, alia nostris. Solebat ex me Dejotarus* [*Rex Galla Græciæ*] *percontari nostri Augurii disciplinam, & ego illius. Dii immortales! quantum differebat! ut quædam essent etiam contraria. Atque ille iis semper utebatur : nos, nisi dum a populo Auspicia accepta habemus, quam multum iis utimur? Bellicam nostri administrari majores nostri nisi auspicatò noluerunt. Quam multi anni sunt, cum bella a proprætoribus & proconsulibus administrantur? qui Auspicia* [*seu jus Auspicandi & Augurandi*] *non habent. Itaque nec omnes transeunt Auspicato, nec tripudio Auspicantur. Nam ex acuminibus quidem, quod totum Auspicium militare est, jam M. Marcellus ille quinquies Consul totum omisit, idem Imperator, idem Augur optimus. Ubi est ergo avium Divinatio? quæ, quoniam ab iis, qui Auspicia nulla habent bella administrantur, ab urbanis retenta videtur, a bellicis esse sublata. Et quidem ille dicebat : si quando rem agere vellet, ne impediretur Auspiciis,* [NB] *lectica operta facere se iter solere, Huic simile est quod nos Augures præcipimus, ne juge Auspicium* [*Juge Auspicium Festo est cum junctum jumentum stercus facit*] *obveniat, ut jumenta jubeant disjungere. Quid est aliud nolle moveri a Jove, nisi efficere, ut aut ne fieri possit auspicium, aut, si fiat videri?*

De Flaminio Consule Plutarchus ita, in vitâ Marcelli:

Οἱ δὲ περὶ ταῖς ὑπατικαῖς ψηφοφορίαις παραφυλάττοντες οἰωνοὺς ἱερεῖς, διεβεβαιοῦντο μοχθηρὰς καὶ δυσόρνιθας αὐτοῖς γεγονέναι τὰς τῶν ὑπάτων ἀναγορεύσεις. εὐθὺς οὖν ἔπεμψεν ἡ σύγλητος ἐπὶ τὸν στρατόπεδον γράμματα καλοῦσα καὶ μεταπεμπομένη τοὺς ὑπάτους, ὅπως ἀνελθόντες, ᾗ τάχιστα τὴν ἀρχὴν ἀπείπωνται, καὶ μηδὲν ὡς ὕπατοι φθάσωσι πρᾶξαι πρὸς τοὺς πολεμίους. ταῦτα δεξάμενος τὰ γράμματα Φλαμίνιος, οὐ πρότερον ἔλυσεν, ἢ μάχῃ συνάψας τρέψασθαι τοὺς βαρβάρους, καὶ τὴν χώραν αὐτῶν ἐπιδραμεῖν. *Comitiis autem Consularibus vitio creatos Consules Augures obnuntiaverunt. Extemplo igitur misit in castra Senatus literas, quibus Consules accersiverunt & revocaverunt Romam, ut Consulatu se primo quoque tempore abdicarent, nec quicquam pro Imperio adversus hostes gererent. Eas allatas non prius Flaminius, quam fusis fugatisque Barbaris, fines eorum esset depopulatus, solvit.* De Papyrio memorabilia admodum sunt, quæ Livius sic (lib. X.) tradit: *L. Papyrius jam per omnia ad dimicandum satis paratus, nuncium ad collegam mittit; sibi in animo esse, postero die, si per Auspicia liceret, confligere cum hoste. Opus esse & illum quanta maximâ vi posset Cominium oppugnare: ne quid laxamenti sit Samnitibus ad subsidia Aquiloniam mittenda. Diem ad proficiscendum nuncius habuit: nocte rediit; approbare collegam consulta referens.*

Ac paucis interjectis,

Tertiâ vigilia noctis, jam relatis literis a collega, Papyrius silentio surgit & pullarium in Auspicium mittit. Nullum [NB] *erat genus hominum in castris intactum cupiditate pugnæ; Dux militum, miles Ducis ardorem spectabant. Is ardor omnium etiam ad eos, qui Auspicio intererant, pervenit. Nam quum pulli non pascerentur, Pullarius Auspicium mentiri ausus, tripudium solistimum Consuli nunciavit. Consul lætus Auspicium egregium esse, & Diis auctoribus rem gesturos, pronunciat, signumque pugnæ proponit.*

Ac

Ac paulò poſt,

Dum his intentus Imperator erat, altercatio inter pullarios orta de Auſpicio ejus diei, exauditaque ex equilibus Romanis; qui rem haud ſpernendam rati Sp. Papyrio fratris filio Conſulis ambigi de Auſpicio renunciaverunt. Juvenis, ante doctrinam Deos ſpernentem natus, rem inquiſitam, ne quid incompertum deferret ad Conſulem, detulit. Cui ille, tu quidem macte virtute diligentiàque eſto: Cæterum qui Auſpicio adeſt, ſi quid falſi nunciat, in ſemetipſum religionem recipit Mihi quidem tripudium nunciatum. populo Romano excercituique egregium Auſpicium eſt. Centurionibus deinde imperavit, ut Pullarios inter prima ſigna conſtituerent. Promovent & Samnites ſigna, inſequitur acies ornata armataque, ut hoſtium etiam magnificum ſpectaculum eſſet. Priuſquam clamor tolleretur concurreretur que, emiſſo temere pilo ictus pullarius ante ſigna cecidit, quod ubi Conſuli nunciatum eſt, Dii in prælio ſunt, inquit, habet pœnam noxium caput. Ante Conſulem hæc dicentem, corvus voce clarâ occinuit; quo lætus Augurio Conſul, aſſirmans nunquam humanis rebus magis præſentes interfuiſſe Deos, ſigna canere & clamorem tollere juſſit.

Quis credat, mi Lector, hunc Pullarium ab hoſtibus (ſic ante conflictum) & non ab aliquo ex Romanorum exercitu, ſuggeſtu ipſius Papyrii, transfixum concidiſſe? cum ut ſic vindictam conſequeretur ab illo, qui aut nimis temere rem ipſe effutierat; aut nimis incaute (aliis præſentibus, ac quibuſcum ipſi non ſatis conveniebat) iſtud Soliſtimum tripudium, quæque iſtud pertinebant inſtituerat; tum ut ſic & ejus mortem inopinam, apud ſtupidiores ſaltem (eoſque, qui in tam tumultuario exercitûs ſtatu, nimis procul diſtantes, non ita ſtatim penetrare poterant rei geſtæ verita-

tem) in bonum, atque exercitui ſalutare, Omen converteret.

Nec crediderim ego magis miraculo quam artificio Conſulis emiſſum corvum (cujus mentio) Augurium feciſſe. Pullarii certe multa ludere ac confingere poterant, quibus ſuperſtitioſum vulgus, quin & ipſos quandoque Principes, Magnates, exercituumque Duces aut Imperatores decipere valebant ac præcipuè quidem, ſi ſoli capiendis Auſpiciis intereſſent: quod quandoque contigiſſe, ſi non ex loco modo adducto, ſaltem ex jam ſequentibus liquido conſtare videtur. Sic enim Livius, lib. 9. *Quibus Papyrius ait: Auſpicia ſecunda eſſe, Tarentini,* Pullarius *nunciat. Litatum præterea eſt egregie,* &c. & lib. XLI. *Super tamen evidentem triſtis Ominis eventum, & ex* Pullario *auditum eſt, vitium in Auſpicio eſſe*, &c. Ex Plutarchi Marcello, uti ex aliis exemplis, idem quoque notum fit. Quæ ſolitariæ obſervationes cordatioribus ſæpius, ac merito quidem, ſuſpectæ erant: quod & de haruſpicina infra videbimus.

Tam ex hiſce quam aliis exemplis comprehendimus etiam illos Imperatores, qui maxime utebantur *Auſpiciis*, tamen nullam, ſi aut neceſſitas urgeret, aut bona occaſio ſe proderet pugnandi ac vincendi, eam neglexiſſe, ne elaberetur occaſio.

Ut autem ad ipſam Urbem rite capi debebant *Tabernacula* in quibus ſedentes *Augures* obſervabant *Auguria* (uti paulo inferius oſtendam); ſic habebant & quandoque ſua *Auguracula* aut *Auguratoria* majoris ac ſumtioſioris ſtructuræ: ita ut videatur iſta difficultas de tabernaculo rite aut non rite capto, qua antiquis temporibus laborabant Romani, tandem fuiſſe ablata. Patet hoc ſatis liquido, ex ſequenti Inſcriptione,

IMP.

IMP. CÆSAR. DIVI. TRAIANI
PARTHICI. F. DIVI. NERVÆ. N
TRAIANUS. HADRIANUS
AUG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XX.
IMP. II. COS. III. P. P.
AUGURATORIUM. DILAPS
A. SOLO. RE stitu IT.

In castris illud erat prope & juxta Tribunal, ac quidem, uti Lipsius ex Hygino manuscripto (commentario in Tacitum) affert, ad dextram ejus partem: a quo peractis auspiciis vel Auguriis observatione *tripudii solistimi*, *acuminisve in Ara Augurali exsurgentis*, tribunal adscendebat Imperator, ut sic bonis Auspiciis alloqueretur exercitum: id autem septo aut vallo quodam circumseptum fuisse, (cum alias ex cespitibus congestis extrueretur, indicare videntur hæc Taciti verba (libro Ann. 4.): *Præfectum Urbis Drusum Auspicandi gratia Tribunal ingressum &c.* Quo forte pertinent & hæc: *Nocte cœptâ egressus* AUGURALI, *per occulta & vigilibus ignara, comite uno, contectus humeros ferina pelle, adit castrorum vias, adsistit tabernaculis, fruiturque fama sui:* &c. Unde meo quidem judicio non obscure patet, (verisimile saltem est) & *Auguraculum*, & *Tribunal*, & Tabernacula aut Tentoria Imperatorum simul fuisse conjuncta, eidemque septo seu vallo inclusa fuisse, ac diverso nomine id, nunc *Tribunalis* nunc *Auguralis Auguraculive*, nunc denique *Auguratorii*, similive alio venisse. de qua re tamen, cum non adeo faciat ad proposite meum de Auguriis, altercari cum aliis nolim.

Auguraculum vero illud castrense caveæ pullorum referatorium potius, ut sic loquar, quam Tabernaculum Au-

gurale, qualia ad Urbem aut capiebantur sive conducebantur, aut extruebantur quandoque, fuisse existimem; eo quod *militaria Auspicia*, non tanta cum pompa caperentur, ubi omnia pene non in perpetuum, sed in breve temporis spatium, aut saltem donec castra moverentur, exstructa fuerint: adeoque & *Auspicia* in *tripudii solistimi*, & *Acuminum observatione*, consisterent. Longe enim minoris laboris ac molestiæ erat in cavea *pullos* circumvehere, *Aramque Auguralem* subitò extruere. Quæ Ara Castrensis ante *Auguraculum*, *Auguratorium*, *Auguraleve* Castrense exstructa erat uti patet ex Tacito. prout verba ejus optimè emendata nobis reddunt Lipsius, atque post illum alii eruditi: *Et structam ante Augurale Aram subdita face accendi.*

Post Sacra peracta hìc observataque *Auguria*, *lustratoque* etiam, priusquam ad Concionem vocarentur milite, *exercitu*, allocuturus ipsum Imperator, ordiebatur ab *Auspiciis*, bonum eventum promittentibus, &c.

Ad Urbem verò circa creandos Magistratus hoc modo agebant. (testante id Plutarcho, in vita M. Marcelli) Ὅταν ἄρχων ἐπ᾽ ὄρνισι καθεζόμενος ἔξω πόλεως οἶκον ἢ σκηνὴν μεμισθωμένην, ὑπ᾽ αἰτίας τινὸς ἀναγκασθῇ, μήπω γεγονότων σημείων βεβαίων, ἐπανελθεῖν εἰς πόλιν, ἀφεῖναι ἐχρῆν τὸ προμεμισθωμένον οἴκημα, καὶ λαβεῖν ἕτερον, ἐξ οὗ ποιήσεται τὴν θέαν αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς. τοῦτο ἔλαθεν (ὡς ἔοικεν) τὸν Τιβέριον, καὶ δὶς τῷ αὐτῷ χρησάμενος, ἀπέδειξε τοὺς εἰρημένους ἄνδρας ὑπάτους· ὕστερον δὲ γνοὺς τὴν ἁμαρτίαν, ἀνένεγκε πρὸς τὴν σύγκλητον. *Quum Auspicaretur Consul, in domo extra Urbem, vel in Tabernaculo ad id conducto* SEDEBAT. *Quod si quâ de causa redire nullisdum visis certis signis cogeretur, relinquendum erat prius conductum tabernaculum, & quærendum alterum, ex quo de integro servaret de Cœlo. Hoc quum Tiberium (uti reor) falleret, bis eodem usus, illos, ut dixi, renunciavit Consules. Cognito post vitio rem ad Senatum retulit &c.*

For-

Formulam vero si consideremus *Auspicandi* (temporibus saltem antiquioribus usitatam, quum posterioribus ævis faciliori modo ac perfunctorie admodum ut dicis gratia illa peragerent) ea, describente illam Cicerone, exempli causâ, hæc fuit: Q. FABI, TE VOLO MIHI IN AUSPICIO ESSE. VOLO. *respondet*, AUDIVI HÆC. *Apud majores nostros adhibebatur peritus, nunc quilibet. Peritum autem necesse est eum, qui silentium quid sit intelligat. id enim silentium dicimus in Auspiciis, quod omni vitio caret. Hoc intelligere perfecti Auguris est. illi autem, qui in Auspicium adhibetur, cum ita imperavit is, qui auspicatur*, DICITO, SILENTIUM ESSE VIDETUR, *nec suspicit, nec circumspicit: statim respondet*, SILENTIUM ESSE, VIDERI. *Tum ille*, DICITO, SI PASCUNTUR AVES. PASCUNTUR. QUÆ, AUT UBI? ATTULIT, *inquit*, IN CAVEA PULLOS PULLARIUS. *Hæ sunt igitur Aves internuntiæ Jovis: quæ pascantur, nec ne, quid refert? nihil ad Auspicia: sed quia cum pascuntur necesse est aliquid ex ore cadere, & terram pavire, terripavium primo, post terripudium dictum est. Hoc quidem jam tripudium dicitur. Cum igitur offa jam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium Solistimum nuntiant. Ergo hoc Auspicium divini quicquam habere potest, quod ita fit coactum & expressum? quo Antiquissimos Augures non esse usos argumento est, quod decretum Collegii vetus habemus, omnem avem Tripudium facere posse. Tum igitur esset Auspicium, si modo ei esset liberum se ostendisse: tum avis illa videri posset Interpres & Satelles Jovis. Nunc vero inclusa in caveâ, & fame enecta, si in offam pultis invadit, & si aliquid ex ore cecidit, hoc tu Auspicium, aut hoc modo Romulum Auspicari solitum putas? Jam vero de cælo servare non ipsos censes solitos, qui Auspicabantur? Nunc imperat Pullario, ille renunciat. Fulmen sinistrum Auspicium optimum ha-*

habemus ad omnes res, præterquam ad Comitia. Quod quidem institutum Reipublicæ causa est, ut Comitiorum in Judiciis populi, vel in Jure Legum, vel in creandis Magistratibus PRINCIPES CIVITATIS *essent Interpretes.*

Commentario, ac quidem ampliori hæc perdigna sunt: eò quod plurima eaque minime vulgaria contineant; at nonnulla saltem breviter perstringam, ne Lectori tædium creem, aut (quod sæpe tamen accidit mihi) nimis devius fiam.

Quæ hîc consideranda veniunt sunt I°. *Imperatores* aliosque (Conss. ac Prætores) quibus *Augurandi Auspicandive* jus competebat, per semetipsos *Auspicia* observasse, sociumque, in ea re, sibi adjunxisse, *Peritum quidem Auguriorum* &c. priscis temporibus; at Ciceronis ævo quemlibet, sive is peritus sive imperitus esset; eo quod tum solum officio, non ex religione, hic *Augurandi Auspicandive* ritus observaretur: uti ex Dionysio Halicarnassæo paulo inferius magis clare patebit.

II°. Hosce *Augures*, sive *Auspices* aut membra fuisse Collegii *Augurum*, aut ex ipsorum (Pontificisve Maximi) permissu *Auspicii* illud *jus* obtinuisse; eo quod non omnes isti qui exercitus ducebant, istud *jus Auspicandi* haberent: ut patet ex hisce Ciceronis verbis: *Quam multi anni sunt, cum bella a Proprætoribus & Proconsulibus administrantur? qui Auspicia non habent. Itaque nec omnes transeunt Auspicatò, nec tripudio auspicantur.* Hosce autem in eam rem sibi adjunxisse quemcumque demum voluissent.

Ex quibus satis clare perspicimus, neque omnibus Senatum Populumque Romanum (sive ex ipsorum Auctoritate Pontificem Max, Collegiumve Pontificum) illud concredidisse; ne scilicet, unoquoque belli capite pro libitu *Auspicante*, Sacrum illud sic nimium evilesceret, populusque & milites inde curam ac metum Auspiciorum Auguriorumve abjicerent, liberique ab ista superstitione eo difficilius non-

nun-

nunquam regeretur. Adjungebant vero sibi ejusmodi hominem, qui hujus rei peritus, adeoque & huic prætensæ religioni adstrictus esset; aut cui arcanum hoc tuto concredere possent; ne in multitudinem evulgaretur: ac ne sic religio hæc sine fructu, aut irrisui, esset, Auctoritatemve suam sic amitteret. Quod tamen temporis tractu, cum & politiores & minus creduli homines esse cœperant, accidit.

III°. Imperatores &c. *Auspicia* quidem Observasse, *Pullarios* tamen, ab ipsis & munere & dignitate Auctoritateque multum distinctos, servasse ac curasse *Pullos*, pultem iis objecisse *tripudiumque solistimum* observasse, de eoque ad Consulem, interventu istius ab Imperatore electi, *renuntiasse*.

Dum interim illa quæ alias (sive in itinere, sive aliter) obveniebant, ipsi soli observarent, aut declinarent, aut denique cordate (si non in rem ipsorum essent) contemnerent.

Huc quammaxime faciunt verba Plinii; qui (lib. 28. c. 2.) cum post allata exempla dixisset: *Hæc satis sint, exemplis ut appareat*, OSTENTORUM VIRES IN NOSTRA POTESTATE ESSE: *ac prout quæque accepta sint, ita valere;* sic pergit: *In* AUGURUM *certe disciplina constat, neque diras, neque ulla* AUSPICIA *pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes, observare se ea negaverint; Quo munere divinæ indulgentiæ majus nullum est.* Ex quibus ultimis dictis satis clarum est, ipsum indirecte illa deridere. Addas hisce igitur exemplum M. Marcelli paulo superius e Cicerone allatum.

Ut autem *Pullarius* pullos eorumque Tripudium observabat, sic quoque ille dum, Ciceronis saltem ævo, (in *Auguraculo Castrensi*) Imperator Consulve aut prætor Auspicandi gratia sedebat, hic imperabat, ut *Pullarius fulmen* observaret, ille vero dextrum sinistrumve renuntiabat. At anterioribus ævis ipsi Augures, ipsique Imperatores &c. observabant illa.

Hinc ad istum morem respiciens Lucanus, lib. VII.

Euganeo, si vera fides memorantibus, Augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,
Venit summa dies, geritur res maxima dixit:
Impia concurrunt Pompeji & Cæsaris arma.
Seu tonitrus, ac tela Jovis præsaga notavit:
Aëra seu totum discordi obsistere cœlo,
Prospexitque polos: seu lumen ab æthere mœstum,
Solis in obscuro pugnam pallore notavit &c.,

Post quas autem ac quales cæli in partes distributiones, quibusque ac qualibus circumstantiis, hæc observatio fiebat ab aliis satis superque traditum est: quamobrem illa huc non adducam: verum pergam ad illa quæ ulterius observanda veniunt.

IV°. Igitur observemus circa pullos, ipsos fame enectas, uti Cicero loquitur, cavea emissos, pultique admotos, ut sic conspiceretur, an pultem ore invaderent, atque interedendum, ipsis aliquid ex ore excideret. At quid aliud exspectandum erat, quam hinc admodum edaces factos pullos, tam properanter atque incondite sese ingurgitasse, ut mirum plane esset, si non aliquid pultis ipsis ex ore inter edendum excideret, idque ita *Terripavium* sive *Tripudium* faceret? ni nimia fame jam cibi appetitus abcesserat.

Uti autem hoc, teste Cicerone nostro, cum studio curabant Pullarii: sic e contrario, si Pullarii (sive ex mandato occulto Imperatoris &c. sive ex propria malignitate ac dolo) clam saginaverant pullos, minime mirum illos non fuisse edaces *Tripudiumque solistimum* fecisse. Quod & contigisse aliquando minime dubium, ex iis quæ de *Pullario* mentito ex Livio in historia Papyrii adduxi.

V°. Denique notemus, hos Principes Civitatis i. e. summos Magistratus, eosque qui ex Pontificum Sacerdotumque numero (quæ munera semper in præcipuos Reipublicæ viros conferebantur) auctoritate quammaxime apud vulgus valuisse. Quæ ipsorum auctoritas tanta erat, ut licet damnati

ob

ob summa flagitia, muneribusque & honoribus cæteris omnibus exuti essent, maneret tamen Character ille (ut sic loquar) ac dignitas Sacerdotalis; nec quispiam alius, quamdiu (licet in exilio aut aliter) superviverent, in ipsorum locum surrogaretur: neque ipsi tamdiu solverentur juramento, quo obligati erant, nemini alii non Auguri arcana istius Disciplinæ se manifestaturos, quum primo ipsi inaugurabantur, sive in Augurum numero Augurato assumebantur.

Audiamus quæso hic Plutarchum, qui, in Quæstionibus Romanis, ita loquitur: Διὰ τί τῶν ἄλλων ἱερέων τὸν καταδικασθέντα καὶ φυγόντα παύοντες, ἕτερον αἱροῦνται, τοῦ δὲ Αὔγουρος, ἕως ζῇ, κἂν ἐπὶ τοῖς μεγίστοις ἀδικήμασι καταγνῶσιν, οὐκ ἀφαιροῦνται τὴν ἱερωσύνην; (Αὔγουρας δὲ τοὺς ἐπὶ τῶν οἰωνῶν καλοῦσιν) πότερον, ὡς ἔνιοι λέγουσιν, βούλονται μηδένα τῶν ἱερῶν ἀπόρρητα γινώσκειν, ὃς οὐκ ἔστιν ἱερεύς; ἢ κατειλημμένον ὅρκοις τὸν Αὔγουρα μηδενὶ φράσειν τὰ τῶν ἱερῶν, ἀπολῦσαι τῶν ὅρκων οὐ θέλουσιν ἰδιώτην γινόμενον; Quibus paucis interjectis addit. ἄλλον δὲ οὐ καθιστᾶσιν, εἰκότως τὸν ἐξ ἀρχῆς ἀριθμὸν τῶν Αὐγούρων φυλάττοντες. *Quid causæ est quod, quum Alios Sacerdotes in locum damnatorum atque solum vertere jussorum* SACERDOTIOQUE PRIVATORUM *Sacerdotium sufficiant; soli Auguri, etsiamsi summorum flagitiorum compertus habeatur, non abrogant Sacerdotium, quandiu vivit? An quod Sacrorum arcana a quoquam, qui Sacerdos non sit, cognosci nolunt? Aut quia jurejurandi quo sanxit se nemini Disciplinam istam traditurum, eum abrogata dignitate factum privatum solvere nolunt* [juramenti] *religione? . . . . Alium porrò non creant, quod numerum Augurum ab initio constitutum retinere volunt.*

In quem finem hæc ita inventa atque instituta fuerint, facile quivis pervidere potest: quosque lusus hi *Augures* quandoque luserint sub religionis prætextu, si studio partium, privatove odio, aliove occulto animi motu, in transversum acti, aliorum honori ac potentiæ obstare, eosve de

ſede deturbare vellent: quaſi hi vel illi Magiſtratus viderentur vitio creati, adeoque dejiciendi eſſent, aliique in ipſorum locum de novo melius Auguratò creari deberent.

Ejuſmodi luſus atque impoſturas etiam apud alias gentes locum habuiſſe oſtendit nobis Plutarchus, in vita Agidis & Cleomenis, hoc modo: Ὁ δὲ Λύσανδρος ἔτι τὴν ἀρχὴν ἔχων, ὥρμησε τὸν Λεωνίδαν διώκειν κατὰ δή τινα νόμον παλαιὸν, ὃς οὐκ ἐᾷ τὸν Ἡρακλείδην ἐκ γυναικὸς ἀλλοδαπῆς τεκνοῦσθαι, τὸν δὲ ἀπελθόντα τῆς Σπάρτης ἐπὶ μετοικισμῷ πρὸς ἑτέρους, ἀποθνήσκειν κελεύει. Ταῦτα κατὰ τοῦ Λεωνίδου λέγειν ἑτέρους διδάξας, αὐτὸς παρεφύλαττε μετὰ τῶν συναρχόντων τὸ σημεῖον. ἔστι δὲ τοιόνδε· δι' ἐτῶν ἐννέα λαβόντες οἱ ἔφοροι νύκτα καθαρὰν καὶ ἀσέληνον, σιωπῇ καθέζοντες πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀποβλέποντες. ἐὰν οὖν ἐκ μέρους τινὸς εἰς ἕτερον μέρος ἀστὴρ διάξῃ, κρίνουσι τοὺς βασιλεῖς, ὡς περὶ τὸ θεῖον ἐξαμαρτάνοντας, καὶ καταπαύουσι τῆς ἀρχῆς, μέχρις ἂν ἐκ Δελφῶν ἢ Ὀλυμπίας χρησμὸς ἔλθῃ τοῖς ἡλωκόσι τῶν βασιλέων βοηθῶν. Τοῦτο δὴ τὸ σημεῖον αὐτῷ γεγονέναι λέγων ὁ Λύσανδρος, κρίσιν τῷ Λεωνίδᾳ προὔθηκε, καὶ μάρτυρας παρεῖχεν, ὡς ἐκ γυναικὸς Ἀσιανῆς, ἣν τῶν Σελεύκου τινὸς ὑπάρχων αὐτῷ συνοικήσαντος ἔσχε, τεκνῶσαι δύο παιδία. δυσχεραινόμενος δὲ καὶ μισούμενος ὑπὸ τῆς γυναικὸς, ἀπανέλθοι παρὰ γνώμην οἴκαδε, καὶ διαδοχῆς ἔρημον ἀνέλοι τὸ βασίλειον. *At Lyſander adhuc in Magiſtratu poſitus, inſtitit Leonidam arceſſere lege quadam vetuſtâ, quæ Hercclidem liberos vetat ex muliere alienigena tollere: & in eum qui aliò ex Sparta demigraverit, pœnam ſancit capitalem. Hæc cum objicere alios docuiſſet Leonidæ, ipſe cum collegis* SIGNUM *obſervavit. Id hujuſcemodi eſt: Nono quoquo anno captata Ephori ſerena nocte & intermeſtri lunâ, conſident ſilentio in cælum intenti. Quod ſi aliqua ex parte ſtella in aliam trajecerit, Reges judicant Deos offendiſſe: iiſque Regnum eò uſque abrogant, dum fuerit, Delphis vel Olympiâ Oraculum allatum, quod damnatos ſublevet Reges. Hoc ſignum oblatum ſibi Lyſander jactans, judicium dictavit Leonidæ, ac teſtes edidit, ex muliere eum Aſiatica, quam quidem Seleuci præfectus ei collocaverat, duos filios tuliſſe, in-*

gra-

gratum & invisum uxori domum invitum revertisse, & successore orbum rapuisse Regnum.

Ast hunc Lysandrum *Sortes Delphicas* atque *Oracula* contexuisse, eumque ejusmodi fraudes, ut concives suos terreret, machinatum, testis idem Plutarchus in ipsius vita est; dum ita de ipso loquitur! Ἔπειτα τὴν ἀτοπίαν καὶ τὸ μέγεθος τοῦ καινοτομουμένου πράγματος ὁρῶν ἰταμωτέρας δεόμενον βοηθείας, ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ μηχανὴν αἴρων ἐπὶ τοὺς πολίτας, λόγια πυθόχρηστα καὶ χρησμοὺς συνετίθει καὶ κατεσκεύασεν· ὡς οὐδὲν ὠφελησόμενος ὑπὸ τῆς Κλέωνος δεινότητος, εἰ μὴ φόβῳ τινὶ θεοῦ καὶ δεισιδαιμονίᾳ προεκπλήξας καὶ χειρωσάμενος, ὑπαγάγοι πρὸς τὸν λόγον τοὺς πολίτας. Ἔφορος μὲν οὖν φησιν, ὡς τήν τε Πυθίαν ἐπιχειρήσας διαφθεῖραι, καὶ τὰς Δωδωνίδας αὖθις ἀναπείθων διὰ Φερεκλέους ἀπέτυχεν, εἰς Ἄμμωνος ἀναβῆναι, καὶ διαλέγεσθαι τοῖς πολίταις πολὺ χρυσίον διδόντα. *Hinc ubi rei quam novabat importunitatem & molem consilia videt audaciora flagitare, quasi in tragœdia machinam in cives attollens, Sortes Delphicas atque Oracula composuit ac concinnavit; nihil habiturum se ratus ex Cleonis artificio præsidii, ni metu aliquo Dei, & superstitione prius ictos occupatosque ad Orationem illam [Cleonis approbandam] deduxisset. Itaque refert Ephorus eum, ubi Pythiam aggressus est pervertere, ac mox solicitavit per Phereclem Dodonidas, & rejectus ab his est, ad Ammonis templum profectum, datâ magnâ mercede, cum civibus egisse, &c.*

Dubitetne aliquis, post hujusmodi exempla (atque alia quæ huc adduci possent, ac data occasione adhuc inferius afferentur) per ejusmodi prætensas pias fraudes (quod nomen ipsis inter Christianos per talia iisque similia, uti & conficta miracula simplicioribus illudentes, imponitur) voluisse multoties, & potuisse illudere simplici popello, ac superstitiosæ multitudini, sive Cives isti fuerint sive milites? Nemo meo saltem judicio, qui alicujus judicii atque experientiæ sit, ita existimabit. Neque id serioribus ævis credebant aut aliæ gentes, aut ipsi Romani, qui tanta cum pompa tantisque cir-

cumſtantiis hæc atque alia hiſce ſimilia obſervabant; ſaltem obſervare iſta velle videri volebant.

Hinc cum non amplius tam commode eo ritu iſtiſque ceremoniis populum ſub ſuperſtitionis jugo retinere valerent, imaginem tamen, licet ſatis ridiculam, horum Auſpiciorum in candidatis munerum publicorum (puta Conſulatus &c.) ſervabant. Ita enim de eâ e Dionyſius Halicarnaſſæus: τότε δ' οὖν ὁ Ῥωμύλος, ἐπειδὴ τὰ παρὰ δαιμονίου βέβαια προσέλαβε, συγκαλέσας τὸν δῆμον εἰς ἐκκλησίαν, καὶ τὰ μαντεῖα δηλώσας, βασιλεὺς ἀποδείκνυται πρὸς αὐτῶν, καὶ κατεστήσατο ἐν ἔθει τοῖς μετ' αὐτὸν ἅπασι μήτε βασιλείας, μήτε ἀρχὰς λαμβάνειν, ἐὰν μὴ καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοῖς θεασίσῃ· διέμενέ τε μέχρι πολλοῦ φυλαττόμενον ὑπὸ Ῥωμαίων τὸ περὶ τοὺς οἰωνισμοὺς νόμιμον, οὐ μόνον βασιλευομένης τῆς πόλεως, ἀλλὰ καὶ μετὰ τὴν κατάλυσιν τῶν μονάρχων, ἐν ὑπάτων καὶ στρατηγῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν κατὰ νόμους ἀρχόντων αἱρέσεις. πέπαυται δὲ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις, πλὴν οἷον εἰκών τις αὐτοῦ λείπεται, τῆς ὁσίας ταύτης ἕνεκα γινομένη. ἐπαυλίζονται μὲν γὰρ οἱ τὰς ἀρχὰς μέλλοντες λαμβάνειν, καὶ περὶ τὸν ὄρθρον ἀνιστάμενοι ποιοῦνταί τινας εὐχὰς ὑπαίθριοι· τῶν δὲ παρόντων τινὲς ὀρνιθοσκόπων μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φερόμενοι, ἀστραπὴν αὐτοῖς μηνύειν φασὶν ἐκ τῶν ἀριστερῶν τὴν οὐ γενομένην. οἱ δὲ τὸν ἐκ τῆς φωνῆς οἰωνὸν λαβόντες, ἀπέρχονται ταύτας παραληψόμενοι· οἱ μὲν αὐτὸ τοῦθ' ἱκανὸν ὑπολαμβάνοντες εἶναι, τὸ μηδένα γενέσθαι τῶν ἐναντιουμένων τε καὶ κωλυόντων οἰωνῶν· οἱ δὲ καὶ παρὰ τὸ βούλημα τοῦ Θεοῦ κωλυόντος· ἔστι δ' ὅτε βιαζόμενοι, καὶ τὰς ἀρχὰς ἁρπάζοντες μᾶλλον ἢ λαμβάνοντες. *Tunc igitur cum Romulus a diis certa ſui Regni ſigna accepiſſet, convocato ad concionem populo, & auſpiciis declaratis, ab illis Rex creatur: & hunc morem in poſterum ab omnibus ſervandum inſtituit, ne quis aut Regnum aut Magiſtratum caperet, niſi & ipſa Dei Authoritas id comprobaſſet. Atque hic mos captandorum Auſpiciorum diu a Romanis obſervatus eſt, non ſolum ſub Regibus, ſed etiam poſt exactos Reges, in Conſulum, Prætorum & aliorum legitimorum Magiſtratuum comitiis. At noſtra ætate hic mos ſublatus eſt, & tantum quædam ejus imago hujus religionis cau-*

ſa

sa remanet. Candidati enim sedem capiunt, & sub crepusculum matutinum surgunt, & quasdam preces sub dio peragunt. Tunc aliquis ex Collegio Augurum præsentium, qui publica pecunia aluntur, fulgur a sinistris, quamvis nullum apparuerit Magistratum illis significare prænuntiat, Illi vero accepto vocis Omine, ad Magistratum capiendum abeunt. Nonnulli quidem rati hoc ipsum sufficere quod nullum contrarium & adversum Auspicium apparuerit: nonnulli vero vel contra ipsius Dei prohibentis atque adversantis voluntatem. Interdum enim Magistratus per vim potius rapiunt quam accipiunt. Hæc Dionysii verba satis bene explicant ista Ciceronis, *Retinetur autem, & ad opinionem vulgi, & ad magnas utilitates Reipublicæ, mos, religio, disciplina, jus Augurum, Collegii auctoritas.*

Ast neque Antiquoribus temporibus omnes huic superstitioni erant addicti homines: uti patet tam ex exemplis jam superius allatis, quam hoc Q. Fabii Maximi; qui dum ipse Augur esset (teste Cicerone nostro in senectute) dicere ausus fuit: *Optimis Auspiciis ea geri, quæ pro salute Reipublicæ gererentur.* Quin & Homericus Hector, ὑπόδρα ἰδὼν, Auguri Polydamanti quamoptime hoc modo respondet:

Τύνη δ' οἰωνοῖσι τανυπτερύγεσσι κελεύεις
Πείθεσθαι, τῶν οὔτι μεταπρέπομ', οὐδ' ἀλεγίζω,
Ἔτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,
Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοίγε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.
Ἡμεῖς δὲ μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βουλῇ
Ὃς πᾶσι θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει
Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Verum enim vero, ut ad *Judæos* redeam, patet ex ipsorum scriptis, sapientiores saltem hujusmodi superstitiones damnasse: non quod miraculosis præstigiis Diaboli (secundum ipsorum opinionem) hunc illumve effectum sortirentur; verum quod ratio præcepti negativi huc spectantis, sit,

לפי שהענייים אלה הם דברי שגעון וסכלות גמורה ולעם׳ קדוש
אמתי אשר כחר חאל לא יאות להם שישעו בדכרי שקר ועוד שהם
סבה להדיח האדם מאמונם ה״ש׳ ומתורתו הקדושה ולבוא מתוכה
לכפירה גמורה שיחשב כל טובתו ורעתו וכל אשר יקרהו שהוא דבר
מקרי לא בחשגחה מאת בוראו ונמצא יוצא בכך מכל עקרי הדת
על כן כי חפץ ה״ש׳ בטובתנו. צונו להסיר מלבנו מחשבה זו ולקבוע
בלבבנו כי כל הרעות והטוב מפי עליון תצאנה לפי מעשה האדם
אם טוב ואם רע והבחשים לא מעלין ולא מורדין וכמ׳ שכת׳
כי לא נחש ביעקוב ולא קסם בישראל: *Quia hæc omnia fatua sunt & extremæ stultitiæ : non autem convenit, ut Populus vere sanctus, quem Deus elegit delectetur rebus fallacibus. Sunt insuper causa, quâ homo a fide Dei Benedicti, & a Lege sancta abducitur, unde progressus fit ad infidelitatem totalem; adeo ut existimet homo, omnia bona & mala, imò omnia sua accidentia, fortuitò sibi contingere, citrà providentiam Creatoris sui : quo quidem omnia violat Legis fundamenta. Proinde quia Deus bono nostro consultum voluit, præcepit nobis, ut hanc ex corde nostro evellamus cogitationem, mentibusque nostris omnia bona & mala a Deo prodire, pro ratione operum humanorum, vel bonorum vel malorum, infigamus : & quod conjecturæ [omina vel Auguria] nec attollant in altum, nec deprimant, quemadmodum scriptum est: Non est Augurium in Jacob, nec Divinatio in Israele.* Num. 23. v. 23.

Cum quibus confer illa, quæ Propheta Jeremias cap. X. ex nomine Dei Opt. Max. ad Populum loquitur Israëliticum : *Viam Gentium ne discatis*, &c. Quæ verba jam cap. allata fuerunt, atque adeo inde repetenda sunt.

Has autem atque alias ejusmodi perversas artes Israëlitas, licet nihil tale ab Ægyptiis reportassent, inventuros quoque esse inter Gentes quorum terræ ipsis in hæreditatem promissæ erant, testatur Deus ipse per Mosen, Deut. XVIII, 14.

14. *Gentes istæ quarum possidebis terras, Augures & Divinos audiunt.* Quæ Pagninus reddit: *Audiunt Mathematicos & Divinos:* quæ posterior sane versio melius convenit cum verbis Hebraicis; quæ sunt. אל מעננים ואל קסמים ימעו De quibus *Mehonenim* curatius loquar jam sequenti capite super verbis לא תעונו

Memoratu hîc sane digna sunt quæ Flavius Josephus ex Hecatæo Abderita, (qui temporibus Alexandri Magni vixit, ac Ptolomæo Lago familiaris, de Judæis Alexandro commilitantibus inter alia hæc sequentia refert) libro contra Apionem adducit, hisce verbis! Ἐμοῦ γοῦν ἐπὶ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν βαδίζοντος, συνηκολούθει τις μετὰ τῶν ἄλλων προπεμπόντων ἡμῖν ἱππέων Ἰουδαίων, ὄνομα Μοσόλλαμος, ἄνθρωπος ἱκανῶς κατὰ ψυχὴν εὔρωστος, καὶ τοξότης δὴ πάντων ὁμολογούμενος καὶ τῶν ἑλλήνων καὶ τῶν βαρβάρων ἄριστος. Οὗτος οὖν ἄνθρωπος διαβαδιζόντων πολλῶν κατὰ τὴν ὁδὸν, καὶ Μάντεως τινὸς ὀρνιθευομένου, καὶ πάντας ἐπισχεῖν ἀξιοῦντος, ἠρώτησε διατί προσμένουσι. δείξαντος δὲ τοῦ Μάντεως αὐτῷ τὴν ὄρνιθα, καὶ φήσαντος, ἐὰν μὲν αὐτοῦ μένῃ, προσμένειν συμφέρειν πᾶσιν, ἂν δ' ἀναστὰς εἰς τοὔμπροσθεν πέτεται προάγειν, ἐὰν δὲ εἰς τοὔπισθεν, ἀναχωρεῖν. αὖθις [forte legendum αὐτὸς] σιωπήσας καὶ παρελκύσας τὸ τόξον ἔβαλε, καὶ τὴν ὄρνιθα πατάξας ἀπέκτεινεν. ἀγανακτοῦντος δὲ τοῦ Μάντεως καὶ τινων ἄλλων καὶ καταρωμένων αὐτῷ. τί μαίνεσθε ἔφη, κακοδαιμονέστατον ὄρνιθα λαβόντες εἰς τὰς χεῖρας; πῶς γὰρ οὗτος τὴν αὐτοῦ σωτηρίαν οὐ προϊδὼν, περὶ τῆς ἡμετέρας πορείας ἡμῖν ἄν τι ὑγιὲς ἀπήγγελλεν; εἰ γὰρ ἠδύνατο προγινώσκειν τὸ μέλλον, εἰς τὸν τόπον τοῦτον οὐκ ἂν ἦλθε, φοβούμενος μὴ τοξεύσας αὐτὸν ἀποκτείνῃ Μοσόλλαμος ἰουδαῖος. *Me siquidem eunte ad Mare rubrum una secutus est quidam cum aliis equestrium Judæorum nos ducentium nomine Mosollanus, vir animosus & inter omnes Sagittarios Græcos & Barbaros præcipuus. Is igitur homo properantibus multis pariter, & vate augurium captante, & petente ut cuncti starent, interrogavit cur substitissent omnes. Ostendente vero ei Vate avem quam intueba-*

batur, atque dicente: quod siquidem staret avis, expediret eis ut (ibi) manerent omnes: si verò surgens anterius avolaret, procederent; si verò post tergum iret, recedere cunctos opporteret: is tacens arcumque trahens sagittam emisit, & avem percussam interemit. Indignantibus vero Vate & quibusdam aliis, ac maledicentibus ei: Quid furitis, inquit, infaustissimam avem sumentes in manus: hæc enim suam salutem nesciens de nostro itinere prosperi quid potuit indicare? si enim præscire futura valuisset, in hunc locum nequaquam venisset, metuens ne sagittâ a Mosollamo Judæo periret. Sed ne nimius hîc fiam Historiolis atque exemplis lectori erudito, pergam ad alia, ejusdem tamen generis ac veritatis.

CAP. II.

De Haruspicina (ex Chaldæa quoque orta,) deque Extispiciis. Ciceronis de ipsis sententia. Origo eorum a Tage Ciceroni irrisa. Quanta in æstimatione apud Reges ac Magnates fuerint. Haruspices solos Exta inspexisse. Imposturarum, circa Extispicia exempla. Quibus accedunt nonulla de veterum circa Portenta, Ostenta similiaque (super quibus petebantur Haruspicum Responsa) opinionibus: post quæ denuo reditur ad Haruspices eorumque auctoritatem.

AB *Auguriis* igitur & *Auspiciis* transeamus nunc ad *Extispicia* sive *Haruspicinam* atque *Haruspices;* qui Chaldæorum erant גורין *Goserin* vel גוריא *Gosrajo*, quasi *Sectores* dicti, quod exsecarent victimas, ut ex ipsarum visceribus sive extis, aliis (ac quandoque sibimetipsis) futura portenderent. dum, ut Poëta loquitur *Spirantia consulebant exta.*

ta. Consulebantur interim & circa *Portenta*, *Prodigia*, *Ostenta*, *Monstra* & alia plura præter sola extispicia; uti ex sequentibus, per occasionem, latius patescet: unde & apud Romanos *Haruspicum* prodibant *Responsa;* eorum nempe Haruspicum, qui ex Auctoritate Publica, artem illam profitebantur, seu munus illud obibant.

Prima hujus malæ superstitionis origo admodum in obscuro est. A Chaldæis tamen ortum traxisse, lubens concedo cum Magno illo Hugone Grotio; qui ad Ezechielis cap. XXI. v. 21. ait: *Nec dubitandum puto, quin artes illæ a Chaldæis ad Lydos, a Lydis ad Hetruscos venerint:* ad quos Hetruscos tamen vulgo Romani primam earum originem, quamvis satis ridiculè, referebant.

Juvenalis certe *Chaldæorum* vicinos *Armenios* ac *Comagenos* ista superstitione infames fuisse ostendit, dum canit, Satyra VI.

Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Testamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato, Armenius, vel Comagenus Haruspex
Pectora pullorum rimabitur, exta catelli,
Interdum & pueri.

Ex quibus Comageni propius adjacebant Phœniciæ ac Judææ; nec procul a Chaldæa aberant. In ipsa vero Chaldæa hæc in abusu fuisse indicant certe verba Ezechielis, cap. XXI. v. 21. prolata: כי עמד מלך בבל אל אם הדרך בראש שני הדרכים לקסם קסם קלקל בחצים שאל בתרפים ראה בכבד: *Nam stetit Rex Babyloniæ in bivio, in capite duarum viarum, consuluit Teraphim, inspexit jecur.* Quibus adde quæ Danielis cap. II. v. 27. IV. v. 4. & V. v. 1 & 1, de גזרין sive Haruspicibus habentur.

Quanta autem in existimatione ea esset viris prudentioribus, ostendit Cicero, libro II. de Divinatione, hoc modo: *Ut ordiar ab Haruspicina, quam ego Reipublicæ causâ, communisque religionis, colendam censeo. (sed soli sumus) licet ve-*

verum exquirere sine invidia, mihi præsertim, de plerisque dubitanti, inspiciamus, si placet, exta primum. Persuaderi igitur cuiquam potest, ea quæ significari dicuntur extis, cognita esse ab Haruspicibus observatione diuturna? ecquam diuturna ista fuit: aut quam longinquo tempore observari potuit? aut quomodo est collata inter ipsos quæ pars inimici, quæ pars familiaris esset? Quod fissum periculum: quod commodum aliquod ostenderet? An hæc inter se Haruspices Etrusci, Elii, Ægyptii, Pœni contulerunt? At præterquam quod fieri non potuit, ne fingi quidem potest. alios enim alio more videmus [NB] *exta interpretari, nec esse unam omnium disciplinam.*

Qui Cicero, post alia lectu dignissima interjecta, ita pergit: *Illud vero multo etiam melius, quod a te usurpatum est, & dicitur ab illis: cum immolare quispiam velit, tum fieri extorum immutationem; ut aut absit aliquid, aut supersit: Deorum enim numini parere omnia. Hæc, mihi jam crede, ne aniculæ quidem existimant. An censes eundem vitulum, si alius delegerit, sine capite jecur inventurum: si alius cum capite? hæc decessio capitis, aut accessio, subitone fieri potest? ut se exta ad immolantis fortunam accommodent? Non perspicitis aleam quandam inesse hostiis deligendis, præsertim cum res ipsa doceat? Cum enim tristissima exta sine capite fuerunt, quibus nihil videtur esse dirius: proxima hostia litatur sæpe pulcherrime: Ubi illæ minæ superiorum extorum? aut quæ tam subitò facta est Deorum* [NB] *placatio? sed affers, in tauri opimi extis immolante Cæsare, cor non fuisse: id quia non potuerit accidere, ut sine corde victima illa viveret, judicandum esse tum interiisse cor, cum immolaretur. Qui fit, ut alterum intelligas, sine corde non potuisse bovem vivere: alterum non videas, cor subitò non potuisse nescio quo avolare? Ego enim possum vel nescire quæ vis sit ad vivendum, vel suspicari, contactum aliquo morbo bovis, exile, & exi-*

guum,

guum, & vietum cor, & dissimile cordis fuisse. Tu vero quid habes, quare putes, si paulo ante cor fuerit in tauro opimo, subito id in ipsa immolatione interiisse? an quod aspexit vestitu purpureo [secundum Senecam, *Taurum rubicundus color excitat*] *excordem Cæsarem ipse corde privatus est? Urbem Philosophiæ, mihi crede proditis, dum castella defenditis. Nam dum Haruspicinam veram esse vultis, physiologiam totam pervertitis. Caput est in jecore, Cor in extis. Simul ac molam ac vinum insperseris, Deus id eripiet; vis aliqua conficiet, aut exedet. Non ergo omnium interitus atque obitus natura conficiet: & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subitò occidat. Quis hoc Physicus dixit unquam? Haruspices dicunt. His igitur, quam Physicis, potius credendum existimas? Quid cum plurimis Dis immolatur, qui tandem evenit ut litetur aliis, aliis non litetur? Quæ autem inconstantia Deorum est, ut primis minentur extis, bene promittant secundis? aut tanta inter eos dissensio, sæpe etiam inter proximos, ut Apollinis exta bona sint, Dianæ non bona? quid est tam perspicuum, quam, cum fortuito hostiæ adducantur, alia cuique exta esse, qualis cuique obtigerit hostia? At enim id ipsum habet aliquid divini: quæ cuique hostia obtingat, tanquam in Sortibus, quæ cui ducatur,* &c.

De origine porro prætensæ hujus Artis ita quoque loquitur: *Sed quid plura? Ortum videamus Haruspicinæ. Sic facillime, quid habeat auctoritatis, judicabimus. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cum terra araretur, & sulcus altius esset impressus, extitisse repente, & eum affatus esse, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentiâ. ejus aspectu cum obstupuisset bubulcus, clamoremque majorem cum admiratione edidisset; concursum esse factum, totamque brevi tempore eum in locum Etruriam convenisse,*

tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia ipsius verba exceperint, litterisque mandaverint. Omnem autem orationem fuisse eam qua Haruspicinæ disciplina contineretur: eam postea crevisse rebus novis cognoscendis, & ad eadem illa principia referendis. Hæc accepimus ab ipsis; hæc scripta conservant; hunc fontem habent Disciplinæ. Num ergo opus est ad hæc refellenda Carneade? Num Epicuro? Estne quisquam ita desipiens, qui credat exaratum esse, Deum dicam, an hominem? Si Deum, cur se contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem aspiceret? Quid? idem nonne poterat Deus hominibus Disciplinam ex superiore loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit, quonam modo potuit terrâ oppressus vivere? Unde porro illa potuit, quæ docebat alios, ipse didicisse? Sed ego insipientior, quam illi ipsi qui ista credunt, qui quidem contra eos tam diu disputem. Vetus autem illud Catonis admodum scitum est, QUI MIRARI SE AJEBAT, QUOD NON RIDERET HARUSPEX, HARUSPICEM CUM VIDISSET. *Quota enim quæque res evenit prædicta ab his? aut, si evenit quippiam, quid afferri potest, cur non casu id evenerit? Rex Prusias, cum Hannibali apud eum exulanti pugnare placeret, negabat se audere, quod exta prohiberent. An tu, inquit caruncnlæ vitulinæ mavis, quam imperatori veteri credere? Quid, ipse Cæsar,* CUM A SUMMO HARUSPICE MONERETUR, *ne in Africam ante Brumam transmitteret, nonne transmisit? Quodni fecisset, unum in locum omnes adversariorum copiæ convenissent. Quid ego Haruspicum responsa commemorem (possum equidem innumerabilia) quæ aut nullos habuerunt exitus, aut contrarios? Hoc civili bello, Dii immortales, quam multa luserunt? Quæ nobis in Græciam Româ responsa Haruspicum missa sunt? quæ dicta Pompæo? (etenim ille admodum extis, & ostentis movebatur) non lubet commemorare, nec vero necesse est, tibi præsertim, qui interfuisti.*

sti. Vides tamen omnia fere contra, ac dicta sunt, venisse.

Hinc sapientiores tam Reges externi quam Imperatores (Exercituumve summi duces, quibus hic titulus ex merito ex favore militium, aliisve ex causis, competebat) aut Consules aliive summi Romanæ Reipublicæ Magistratus, non nimis superstitiose hæc ac talia annuntiata amplectebantur, aut temere rejiciebant; sed ut illa sibi in tempore subservire volebant, ita hujusmodi prædictionibus minime obsequebantur. Patet hoc sat manifeste ex his sequentibus exemplis: ac I. eo quod de Alexandro habemus Q. Curtii libro VII.) *Cum omnes a tam præcipiti consilio Regem deterrere cœperunt. Erigius maxime, qui haud sane auctoritate proficiens apud obstinatum animum, superstitionem, cujus potens non erat Rex, incutere tentavit dicendo, Deos quoque obstare consilio: magnumque periculum si flumen transisset, ostendi. Intranti Erigo Tabernaculum Regis, Aristander occurrerat, tristia exta fuisse significans. Hæc ex vate comperta Erigyus nuntiabat. Quo inhibito, Alexander non ira solum sed etiam pudore confusus, quod superstitio quam celaverat, detegebatur, Aristandum vocari jubet. Qui ut venit, intuens eum; Non Rex, inquit, sed privatus sum. Sacrificium ut faceres mandavi. Quid eo portenderetur, cur apud alium quam me professus es; Erigyus Arcana mea & secreta, te prodente, cognovit. Quem certum, Mehercule, habeo extorum interpretem metu suo. Tibi autem sæpius quam potest, denuntio, ipse mihi indices, quid ex extis cognoveris, ne possis inficiari dixisse quæ dixeris. Ille exanguis attonitoque similis stabat, per metum etiam voce suppressa. Tandemque eodem metu stimulante, ne Regis expectationem moraretur;* MAGNI, *inquit,* LABORIS, *non irriti* DISCRIMEN IN STARE PRÆDIXI. *Nec me mea ars quam benevolentia magis perturbat. Infirmitatem valetudinis tuæ video; & quantum in te uno sit scio. Vereor ne non præsenti* for-

fortunæ tuæ sufficere possis. Rex jussum confidere felicitati suæ remisit. Sibi enim ad alia gloriam concedere Deos. Consultanti dein CUM IISDEM, *quonam modo flumen transirent, supervenit Aristander, non alias lætiora exta vidisse se affirmans, utique prioribus longe diversa: tum sollicitudinis causas aperuisse, nunc prorsus egregiè litatum esse.*

Quæ hîc notanda veniunt sunt I°. Haruspices, dum non præsentes essent ii qui ipsos consulerent, exta inspexisse. Quod patet tam ex hoc Curtio quam aliis. Namque ille, paulo ante verba ista modo hic ex ipso allata, habet: *Mos erat Aruspicibus, exta sine Rege spectare; & quæ portenderentur referre.* Qua occasione isti multa ludere poterant, consulentesque per ipsos intermedios exta multis mirisque modis illudere ac deludere; Quod ex exemplo jam jam allato minime obscurum est, ex aliisque inferius adducendis magis clarium fiet; adeoque & non immerito Tiberium vetuisse *Haruspices secreto ac sine testibus consuli.* Quamvis hæc Suetonii verba non incommode quoque referantur ad ipsos Consultores, de quibus ipsi suspicio erat, eos clam consulere Haruspices, ut per istud Divinationis genus, de fine ipsius vitæ (quam probe noverat a plurimis ardenter optari), mutationeque per ipsam imperii, rescirent. unde & *Vicina urbi Oracula disjicere conatus est*, &c.

II. Artes fraudesque Aristandri (simul & ipsius, imò procul dubio, Erygii aliorumque) quibus deterrere satagebat Alexandrum ab incepto, quod ipsi aliisque, summè periculosum videbatur. licet ipse Alexander in ea re decipi se passus non fuerit. Patet enim non obscure Alexandrum alia longe præsagia expectasse: quamvis non ita moveretur, per talia, qualia annuntiaverat Aristander, verum inde quod hæc ille Erygio internuntio Regi significaverat: eo quod hinc aliis apertum fieret, se circa ejusmodi præsagia non plane intactum esse superstitione; eosque se inde præbere occasionem, sic &

& alio tempore atque occaſione utendi hujuſmodi artificiis; ubi non tam commode, ſive indirecte ſive & directe aut aperte, quaſi in propatulo, deridere tales poſſet.

Namque hujuſmodi præſagia Alexander, ſi in rem ſuam eſſent amplectebatur lubens, ſin contra, aperte reſpuebat. Oſtendunt hoc ſequentia Curtii verba (lib. IX. cap. 4.) *Jam admovebat Rex cum Vates monere eum cœpit, ne committeret, aut certe differret obſidionem: vitæ ejus periculum oſtendi. Rex Demophoonta (is namque Vates erat) intuens, ſi quis, inquit, te arti tuæ intentum & exta ſpectantem ſic interpellet, non dubitem quin incommodus aut moleſtus videri tibi poſſit. Et cum ille ita prorſus futurum reſpondiſſet. Cenſeſne, inquit, tantas res, non pecudum fibras, ante Oculos habenti, ullum eſſe majus impedimentum, quam Vatem ſuperſtitione captum?*

Unde III°. videmus Ariſtandrum Regis acerba ſatis increpatione confuſum ac turbatum, illa quæ Regi annuntiaverat ex ipſius dictatis Erygius, pro majori parte rectrataſſe; ſuaque verba in longe alium ſenſum detorſiſſe; atque inde iteratò Haruſpicinâ peracta, ac poſt plane in contrarium mutata exta, & præſagia ex illis capta, omnia fauſta atque optime caſura prænuntiaſſe: quaſi tam brevi tempore Dii, in pœnitentiam verſi, fatorum ſtamina ipſius gratia mutaſſent. Ac certe in Apologia iſta quâ ſeſe Alexandro purgare nititur ſatis indicat, prius Reſponſum non ex inſpecto jecinore aliiſve extis fluxiſſe; verum ex inſtinctu ac ſuggeſtione Erygii aliorumque Macedonum qui ex conſideratione malæ valetudinis hujus Regis, impetuſque ipſius pene temerarii, periculique & ipſi Alexandro cunctiſque Macedonibus hinc exſpectandi, vi omni atque conatu Regem ab hoc ancipiti incepto abſterrere, & ad alia magis ſecura divertere conabantur.

Hic tamen Alexander Haruſpicum Reſponſis licet teme-

re effutitis, modo ea in rem ſuam eſſent, volebat videri quam ſerio àc devote patrocinari. Quod patet ex ſequenti (apud Plutarchum in ipſius vita) exemplo. Ἀλεξάνδρου τὴν μὲν πολλὴν τῆς δυνάμεως ἀναπαύοντος ἀπὸ πολλῶν ἀγώνων τῶν ἔμπροσθεν, ὀλίγους δέ τινας, ὡς μὴ σχολάζοιεν οἱ πολέμιοι τοῖς τείχεσι προσάγοντος, Ἀρίστανδρος ὁ μάντις ἐσφαγιάζετο· καὶ τὰ σημεῖα κατιδὼν θρασύτερον διωρίσατο πρὸς τοὺς παρόντας, ἐν ἐκείνῳ τῷ μηνὶ πάντως ἁλώσεσθαι τὴν πόλιν. γενομένου δὲ χλευασμοῦ καὶ γέλωτος (ἦν γὰρ ἡ τελευταῖα τοῦ μηνὸς ἡμέρα) διηπορημένον αὐτὸν ἰδὼν ὁ βασιλεὺς, καὶ συμφιλοτιμούμενος ἀεὶ τοῖς μαντεύμασιν, ἐκέλευε μηκέτι τριακάδα τὴν ἡμέραν ἐκείνην, ἀλλὰ τρίτην φθίνοντος ἀριθμεῖν. καὶ τῇ σάλπιγγι σημήνας, ἀπεπειρᾶτο τῶν τειχῶν ἐρρομενέστερον ἤπερ ἐξ ἀρχῆς διενοήθη. γενομένης δὲ λαμπρᾶς ἐπιβολῆς, καὶ μηδὲ τῶν ἀπὸ στρατοπέδου καρτερούντων, ἀλλὰ συντρεχόντων καὶ προσβοηθούντων, ἀπεῖπον οἱ Γύριοι καὶ τὴν πόλιν εἷλεν κατ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν. *Dum exercitum pene totum reficit a ſuperioribus laboribus Alexander, paucos autem, ne reſpirarent hoſtes, mœnibus admovet, Vates Alexander victimis cæſis, quum inſpiceret exta, confidentius aſſeruit apud coronam, urbem illo menſe haud dubiè expugnandam. Quà dictum ejus ludibrio & riſu excipiente, quod dies ea noviſſima eſſet, cernens Rex perplexum, favenſque ſemper Vaticiniis, vetuit deinceps trigeſimum illum diem, ſed vigeſimum Octavum menſis numerari; ſignoque tuba dato murum, acrius quam ab initio inſtituerat eſt adortus. Quum urbs impugnaretur impigrè, neque illi qui in caſtris erant quieſcerent, ſed concurrerent ad opem ferendam, fracti Tyrii ſunt, urbemque Alexander illo cœpit die.*

Videmus hic Haruſpicum Reſponſa, ſive temere nimis fuiſſent effutita; ſive, quod potius rear, ex compoſito (adeoque prius conſcio ipſo Alexandro) prolata, huïc Regi fuiſſe gratiſſima, ſuoque illum iſta patrocinio dignatum, modo in unum eundemque ſcopum cum ipſo collimarent.

At Cæſar, (teſte Cicerone) æque atque Hannibal alii-

que summi duces, hæc aperte satis ridebat. *Nam cum immolanti aufugisset Hostia (quod diri admodum ominis erat) Profectionem adversus Scipionem & Jubam (quos quoque devicit) non distulit: cumque a Summo Haruspice moneretur, ne in Africam ante brumam transmitteret, nonne transmisit? Quod ni fecisset, unum in locum omnes adversarium copiæ convenissent;* &c. Vir enim ille maximus ne Religione quidem ulla hujusmodi naturæ a quoquam incepto absterritus unquam aut retardatus est.

Hinc quoque Haruspices, qui circa Cæsarem versabantur longe cautiores erant iis qui Pompejum spe optimi ac felicissimi successus continuò alebant (nisi velis istos ex mandato ipsius Pompeji, qui tamen tali superstitione admodum tactus erat, responsa sua dedisse) quod ex Plutarcho ejus vitam describente, satis clare notescit: Ποιουμένῳ δὲ καθαρμὸν αὐτῷ τῆς δυνάμεως, καὶ θύσαντι τὸ πρῶτον ἱερεῖον, εὐθὺς ὁ μάντις ἔφραζε, τριῶν ἡμερῶν μάχῃ κριθήσεσθαι πρὸς τοὺς πολεμίους. ἐρομένου δὲ τοῦ Καίσαρος εἰ καὶ περὶ τοῦ τέλους ἐνορᾷ τι τοῖς ἱερείοις εὔσημον, αὐτὸς ἂν (ἔφη) σὺ τοῦτο βέλτιον ἀποκρίναιο αὐτῷ· μεγάλην γὰρ οἱ θεοὶ μεταβολὴν καὶ μετάπτωσιν ἐπὶ τὰ ἐναντία τῶν καθεστώτων δηλοῦσιν. ὥστε εἰ μὲν εὖ πράττειν ἡγῇ σαυτὸν ἐπὶ τῷ παρόντι, τὴν χείρονα προσδόκα τύχην. εἰ δὲ κακῶς τὴν ἀμείνονα. *Lustranti exercitum & primam hostiam immolanti, nuntiavit Haruspex, intra triduum pugnam cum hostibus decreturum. Exquirente verò Cæsare, ecquid in extis boni portenti de exitu consideraret. Rectius, inquit, tute tibi de eo respondeas. Mutationem enim Dii, vicissitudinemque in diversa grandem status præsentis præsagiunt. Itaque si res tuas ducis in præsentia lætas, infestiorem fortunam exspecta: sin tristiores lætiorem.*

Quamoptime sane hic respondit *Haruspex:* summo enim desiderio ac conatu conflictum moliebatur Cæsar, ut in summa necessitate constitutus; Exercitus prope admodum sibi erant vicini: & ab hac, denique, pugnâ fortuna, tam Cæ-

 saris

ſaris quam Pompeji, dependebat: quare quamcaute reſpondendum erat; licet res ipſa hic reſpondere videretur.

Non immerito, interim, ridet Cicero hiſtoriolam illam, ſeu fabellam, qua credebatur a nonnullis, *in tauri opimi extis, immolante Cæſare, cor non fuiſſe:* eo quod multis miriſque modis ſacrificantes deludere valerent Haruſpices, dum animalium viſcera, vel exta, tractabant.

Oſtendit hoc lepidâ quadam Hiſtoria, non illepidè Athenæus, libro IX. Deipnoſophiſtarum, ex Euphronis comœdia, quæ *Fratres* appellabatur: quam tamen Hiſtoriolam hic potius verbis aliis narrare lubet, quam vitioſos nimium verſus Græcos, ac per conjecturam emendatos, afferre. *Nautæ, ſcilicet quidam Tænii poſt longam & laborioſam navigationem terræ feliciter redditi, Dis ſacrificabant Hædum ob felicem in Patriam reditum, parvum tamen ac gracilem. His dum inſervit Popa* [vel coquus, quod hominum genus in Græcia quoque ſæpe Poparum ac Victimariorum vice miniſtrabant] *ac viſo tam macro ac parvo animali, unde non admodum lautæ exſpectandæ erant epulæ; dum mactandæ victimæ inſerviens, poſt jugulatam adapertamque pecudem, pertractat viſcera, mira manuum agilitate, dum, curioſius ex perpetuo ritu, jecur ſpectant nautæ, nebulo iſte manum ulterius promovet, renem magna audacia aufert, jacitque in propinquam foveam: quem (renem) ubi animadverſum eſt deficere, tumultuari nautæ & ſibi timere, quibus hoc portentum eſſet oblatum. Quando igitur non litarant hac prima victima, ſuccidaneam præcidaneæ ſubſtituunt. Sed hoc quoque fruſtra: nam & hæc ſine corde reperitur, fraude ſimili ejuſdem hominis ſacerrimi. Ita opus erat tertio hædo.*

Cui Hiſtoriolæ magnus If. Caſaubonus, in Animadverſionibus, eleganter addit: *Atque ex his diſcimus quî factum ſit olim, ut toties Hoſtiæ parte aliqua inteſtinorum defectæ re-*

pe-

perirentur : cujus rei testis tot locis Græca & Latina Historia. Ego non dubito Popas ac Victimarios sui compendii caussa sæpe iis artibus usos; quas coqui frequentabant, ut docet hoc loco Poeta. Neque ego dubitem id potissimum quidem in *Vicanis illis Haruspicibus* & *Armeniis*, & *Comagenis*, & cæteris ejusmodi commatis; verum & in aliis (etiam publicis) locum habuisse: ac præcipue quidem in factioso rerum, ac turbulento, statu. Unde & non immerito Tiberius (teste Suetonio, cap. 63, ejus vitæ) Haruspices secreto ac sine testibus consuli vetuit. Quamvis negare nolim id potissimum, ne ita super ipsius capite atque imperio consuleretur, factum fuisse.

Huic porro Historiæ ex Athenæo allatæ addamus illa quæ Frontinus, libro primo Strategematum, narrat: *Alexander Macedo Sacrificaturus, inscripsit medicamento Aruspicis manum, quam ille extis erat suppositurus: literæ significabant, Victoriam Alexandro dari; quas cum jecur calidum rapuisset, & a Rege militi esset ostensum, auxit animum, tanquam Deo spondente victoriam. Idem fecit Inides Aruspex, prælium Eumene cum Gallis commissuro.*

Ut autem sic fraudulenta, falsa, & ridicula sæpe, fuerunt *Haruspicum Responsa*, ex Hepate cæterisque Animalium immolatorum extis, sic etiam illa, quæ ex Fulguribus, ex Ostentis, Prodigiis aliisque his similibus, reddebantur.

Exemplo sint illa, quæ de Apolline Cumano, ex Julio Obsequente (Prodigiorum corrasore) narrat Aurelius Augustinus, hoc modo: *Neque enim aliunde Apollo ille Cumanus, cum adversus Achæos, regemque Aristonicum a Romanis bellaretur, quatriduo flevisse nuntiatus est. Quo prodigio Haruspices territi, cum id simulacrum in mare putavissent esse projiciendum,* CUMANI SENES INTERCESSERUNT, *atque retulerunt tale prodigium & Antiochi & Persidis bello in eodem apparuisse figmento: & quia Roma-*

nis feliciter provenisset, ex Senatus consulto eidem Apollini sua dona esse missa testati sunt. Tunc vero peritiores acciti Haruspices responderunt; simulacri Apollinis fletum ideo prosperum esse Romanis, quoniam Cumæ colonia Græca esset, suisque terris unde accitus esset, id est ipsi Græciæ, luctum & cladem Apollinem significasse plorantem. Deinde mox regem Aristonicum victum & captum esse nuntiatum est: QUEM VINCI *utique Apollo nolebat & dolebat: & hoc sui lapidis etiam lachrymis indicabat. Unde* [pudet me pene hæc ex eodem Augustino, tam valde superstitioso in hâc re, referre] *non usque quaque incongruè, quamvis fabulosis tamen veritatis similibus, mores Dæmonum describuntur carminibus Poëtarum. Nam Camillam Diana doluit apud Virgilium, & Pallantem moriturum Hercules flevit.* Sic ad testimonia Poëtarum conficta ac ridicula, in rebus seriis, provocat Augustinus!

At pergamus nunc, quæso, ad istam Historiam, quam Flavius Vopiscus de Florianis, seu potius, ipsorum statuis, narrat; quæ sunt: *Horum* [Florianorum] *statuæ fuerunt Interamnæ duæ pedum tricenum, ex marmore, quod illic illorum cenotaphia constituta sunt in solo proprio: sed dejectæ fulmine ita contritæ sunt, ut membratim jaceant dissipatæ. Quo tempore responsum est ab Aruspicibus, quandoque ex eorum familia Imperatorem Romanum futurum, seu per fœminam, seu per virum, qui det judices Parthis ac Persis: qui Francos & Alemannos sub Romanis legibus habeat; qui per omnem Africam Barbarum non relinquat; qui Taprobanis præsidem imponat; qui ad Britanniam insulam Proconsulem mittat; qui Sarmatis omnibus judicet; qui terram omnem, quam Oceanus ambit, captis omnibus gentibus, suam faciat; postea tamen Senatui reddat imperium, ut antiquis legibus vivat, ipse victurus annis CXX, & sine hærede moriturus. Futurum autem dixerunt a die fulmine præcipitatis confractisque*

que statuis post annos mille. Non magna hæc urbanitas Haruspicum fuit, qui principem talem post mille annos futurum esse dixerunt? quia si post centum annos prædicerent fore, possent eorum deprehendi mendacia; quum vix remanere talis possit historia. ac paucis interjectis: *Et Floriani liberi & Taciti multi extiterunt; quorum sunt posteri, credo, millesimum annum exspectantes. In quos multa epigrammata scripta, quo jocati sunt Haruspices imperium pollicentes.*

Nec immerito quidem, si ullus inter ipsos tanta dementia captus fuit, ut spem inde aliquam conciperet, ex posteris suis quemquam ad tantam dignitatem ac potentiam perventurum.

De *Ostentis*, *Prodigiis* similibusque quæ ad Haruspices spectant, multa quoque afferri possent exempla ex aliis scriptoribus antiquis, quæ allata modò, eo ipso redarguerentur; sed [appellent adversarii me strenuum exscriptorem, plagiarium tamen me vocare non poterunt] malo hîc iterum nostri Ciceronis verbis elegantissimis simul ac nervosissimis uti: ut videatur sic unde fides arti, (ut cum Juvenale loquar) neque enim melius, a quoquam inter Gentiles, refutari queant quam ab hoc eruditissimo Scriptore. Ille igitur inter multa alia, quammaxime ad rem, allata ita loquitur: *Sanguinem pluisse Senatui nuntiatum est; Atratum fluvium fluxisse sanguine, Deorum sudasse simulacra: num censes his nuntiis Thalem, aut Anaxagoram, aut quemquam Physicum crediturum fuisse? nec enim sanguis, nec sudor, nisi e corpore est. Sed & decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maximè potest sanguinis similis esse, & humor allapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus, austro sudorem imitari. Atque hæc in bello plura & majora videntur timentibus: eadem non tam animadvertuntur in pace. Accedit illud etiam quod in metu, & periculo cum creduntur facilius, tum finguntur impunius. Nos autem ita leves, atque inconsiderati su-*

sumus, ut si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus. Ante vero Marsicum bellum, quod clypeos Lanuvii, ut a te est dictum, mures rosissent, maximum id portentum Haruspices esse dixerunt. Quasi vero quidquam intersit, mures diem & noctem aliquid rodentes scuta, an cribra corroserint. Nam si ista sequimur, quod Platonis Politiam nuper apud me mures corroserint, de Republica debui pertimescere: aut si Epicuri de voluptate liber corrosus esset, putarem annonam in Macello cariorem fore. An vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude, aut ex homine nata dicuntur? quorum omnium, ne fiam longior, una ratio est?

Ad exempla de Muribus &c. modo allata non possum non addere quæ paulo inferius idem Cicero narrrt: *Quod etiam Conjector quidam & interpres Portentorum non inscitè dicitur ei respondisse, qui cum ad eum retulisset, quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumvectus [circumnexus] fuisset, Tum esset, inquit, Ostentum, si anguem vectis circumplicasset. Hoc ille responso satis aperte declaravit, nihil habendum esse portentum, quod fieri posset.*

Erant enim hæc atque hisce similia istis quidem hominibus portenta, qui pro talibus ea habebant; cæteris vero minus credulis aut superstitiosis pro portentis minime veniebant.

Cui accedit, quod plurima ex iis quæ pro Portentis, Ominibus, Ostentis &c (sive sub Haruspicinæ Haruspicumve judicium caderent, sive non) contigisse narrantur, ne quidem ullibi aut unquam contigerint. Unde & Valerius Maximus lib. I. cap. VI. (quod tractat de Miraculis) *Nec me præterit de motu, & voce Deorum immortalium humanis oculis auribusque percepto, quam in ancipiti opinione æstimatio versetur. Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem Auctores vindicent* &c. Scilicet ille qui tam serio aliàs hujus-

jusmodi fabulas narrare solet, hìc vadimonium deserit; neque audet veritatem istarum historiolarum defendere; verum istud onus in primos harum auctores ac descriptores rejicit.

Hinc Sylla iste cui Felicis nomen, ob successus in bellis &c. contigit, non solum nihili ista faciebat, verum & salse satis ridebat: uti nobis narrat Plutarchus in ipsius vita: Ἐπεὶ δὲ καὶ χρημάτων ἔδει πολλῶν πρὸς τὸν πόλεμον, ἐκίνει τὰ τῆς Ἑλλάδος ἄσυλα, τοῦτο μὲν ἐξ Ἐπιδαύρου, τοῦτο δὲ ἐξ Ὀλυμπίας, τὰ κάλλιστα καὶ πολυτελέστατα τῶν ἀναθημάτων μεταπεμπόμενος. Ἔγραψε δὲ καὶ τοῖς Ἀμφικτύοσιν εἰς Δελφοὺς, ὅτι τὰ χρήματα τοῦ θεοῦ βέλτιον εἶναι κομισθῆναι πρὸς αὐτόν. ἢ γὰρ φυλάξειν ἀσφαλέστερον, ἢ καὶ ἀποχρησάμενος, ἀποδώσειν οὐκ ἐλάττω. καὶ τῶν φίλων ἀπέστειλε Κάφιν τὸν Φωκέα, κελεύσας σταθμῶν παραλαβεῖν ἕκαστον. Ὁ δὲ Κάφις ἧκε μὲν εἰς Δελφοὺς, ὤκνει δὲ τῶν ἱερῶν θιγεῖν, καὶ πολλὰ, τῶν Ἀμφωτυόνων παρόντων, ἀπεδάκρυσε τὴν ἀνάγκην. ἐνίων δὲ φασκόντων ἀκοῦσαι φθεγγομένης τῆς ἐν τοῖς ἀνακτόροις κιθάρας, εἴτε πιστεύσας, εἴτε τὸν Σύλλα βουλόμενος ἐμβαλεῖν εἰς δεισιδαιμονίαν, ἀπέστειλε πρὸς αὐτόν. ὁ δὲ σκώπτων ἀντέγραφε, θαυμάζειν τὸν Κάφιν, εἰ μὴ συνίησιν ὅτι χαίροντος οὐ χαλεπαίνοντος εἴη τὸ ᾄδειν. ὥστε θαῤῥοῦντα λαμβάνειν ἐκέλευσεν, ὡς ἡδομένου τοῦ θεοῦ καὶ διδόντος. *Jam quia ingentem pecuniam bellum postulabat, movit* [*Sylla*] *Sacros thesauros Græciæ; atque hinc Epidauro, hinc Olympia deferri ad se jussit pulcherrima & pretiosissima dona. Ad Amphyctyonas quoque Delphos scripsit, recte facturos ipsos, si ad se misissent Apollinis thesauros: aut enim hos in securiori apud se custodia fore; aut si consumpsisset eos, non redditurum se minus. Itaque ex Amicis Caphin misit Phocensem cum mandatis, ut singula ad pondus acciperet. Venit quidem Caphis Delphos, sed attingere dubitavit Sacra; qui etiam coram Amphyctionibus majorem in modum impositam sibi necessitatem deploravit. Quumque jactarent nonnulli se cihtaræ sonum ex adyto audivisse, id, sive credidit, sive quo religionem animo Syllæ offerret scipsit*

 ad

ad eum. Ille ludens, mirari rescripsit se Caphin, qui non intelligeret gaudentis esse non indignantis cantum. Ne ergò capere dubitaret; utpote Deo propitio & dante.

Si magnum spectemus Alexandrum, ex superius allatis satis aperte patet, ipsum non aliter circa hujusmodi nugas fuisse affectum, licet illa in omen, ac quidem optimum, verteret, si rebus suis ita conducere existimabat. Apparet hoc ex Historia sequenti, apud Curtium lib. IV. invenienda: *Biduo ibi Rex stativa habuit; in proximum deinde pronuntiari jussit. Sed primâ fere vigiliâ Luna deficiens primum nitorem sideris sui condidit: deinde, sanguinis colore suffuso, lumen omne fœdavit, sollicitisque sub ipsum tanti discriminis casum ingens religio, & ex eâ formido quædam incussa est. Diis invitis in ultimas terras trahi se querebantur. Jam nec flumina posse adiri, nec sidera pristinum præstare fulgorem. Vastas terras, deserta omnia occurrere; in unius hominis jactationem tot millium sanguinem impendi: Fastidio esse Patriam, abdicari Philippum patrem, cælum vanis cogitationibus peti. Jam pro seditione res erat, cum ad omnia interritus, duces principesque militum, frequentius adesse prætorio; Ægyptiosque Vates, quos cœli ac siderum peritissimos esse credebat, quid sentirent expromere jubet. At illi, qui* [NB] *satis scirent, temporum orbes implere destinatas vices, Lunamque deficere cum terram subiret, aut sole premeretur.* RATIONEM QUIDEM IPSIS PERCEPTAM NON EDOCENT VULGUS: COETERUM AFFIRMANT SOLEM GRÆCORUM LUNAM ESSE PERSARUM: QUOTIES ILLA DEFICIAT, RUINAM STRAGEMQUE ILLIS GENTIBUS PORTENDI. VETERAQUE EXEMPLA RECENSENT PERSIDIS REGUM, QUOS ADVERSIS DIIS PUGNASSE LUNÆ OSTENDISSET DEFECTIO. *Nulla res efficacius multitudinem regit, quam superstitio: alioqui impo-*

potens, sæva, mutabilis, ubi vana religione capta est, melius Vatibus, quam ducibus suis paret. Igitur editam in vulgus Ægyptiorum responsa, rursus ad spem & fiduciam erexere torpentes. Rex impetu animorum utendum ratus, secundâ vigiliâ castra movit.

Simile plane exemplum habemus in Æmilio Paulo, apud modo adductum Plutarchum, his verbis: Ἐπεὶ δὲ νὺξ γεγόνει, καὶ μετὰ δεῖπνον ἐτράποντο πρὸς ὕπνον καὶ ἀνάπαυσιν, αἰφνίδιον ἡ σελήνη πλήρης οὖσα καὶ μετέωρος ἐμελάνετο· καὶ τοῦ φωτὸς ἀπολιπόντος αὐτην, χρόας ἀμείψασα παντοδαπὰς, ἠφανίσθη. τῶν δὲ Ῥωμαίων, ὥσπερ ἐστὶ νενομισμένον, χαλκοῦ τε πατάγοις ἀνακαλουμένων τὸ φῶς αὐτῆς, καὶ πυρὰ πολλὰ δαλοῖς καὶ δασὶν ἀνεχόντων πρὸς τὸν οὐρανὸν, οὐδὲν ὅμοιον ἔπραττον οἱ Μακεδόνες, ἀλλὰ φρίκη καὶ θάμβος τὸ στρατόπεδον κατεῖχεν. καὶ λόγος ἡσυχῇ διὰ πολλῶν ἐχώρει, βασιλέως τὸ φάσμα εἶναι ἔκλειψιν. Ὁ δὲ Αἰμύλιος οὐκ ἦν μὲν ἀνήκοος οὐδ' ἄπειρος παντάπασιν τῶν ἐκλειπτικῶν ἀναμαλιῶν, αἱ τὴν σελήνην περιφερομένην εἰς τὸ σκίασμα τῆς γῆς ἐμβάλλουσι τεταγμέναις περιόδοις, καὶ ἀποκρύπτουσιν, ἄχρις οὗ παρελθοῦσα τὴν ἐπὶ σκότους χώραν, πάλιν ἐπιλάμψῃ πρὸς τὸν ἥλιον. οὐ μὴν ἀλλὰ τῷ θείῳ πολὺ νέμων, καὶ φιλοθύτης ὢν καὶ μαντικὸς, ὡς εἶδε πρῶτον ἀποκαθαιρομένην, ἕνδεκα μόσχους αὐτῇ κατέθυσεν. ἅμα δ' ἡμέρᾳ τῷ Ἡρακλεῖ βουθυτῶν, οὐκ ἐκαλλιέρει μέχρις εἴκοσι. τῷ δὲ πρώτῳ καὶ εἰκοστῷ παρῆν τὰ σημεῖα, καὶ νίκην ἀμυνομένοις ἔφραζε. *Quum jam nocte a cœna corpora somno & quieti dare vellent, ecce Luna plena orbe & sublimis obscurata est, fugientique lumine in varios vertit colores, dum condita est. Hic cum Romani de more æris crepitu lumen ejus revocarent, frequentesque flammas tædis facibusque ad cælum porrigerent, nihil simile fecerunt Macedones, quorum castra horror stuporque tenuit, rumorque sensim est per castra dispersus ostentum hoc portendere Regis Eclipsin. Paulus verò qui tyro non erat, neque rudis inæqualitatum Eclipticarum, quæ statis periodis umbra terræ condant & inopacent Lunæ orbem, dum obfuscantem prætervecta regionem iterum a sole illustretur, multum ta-*

 men

men divinis tribuens, deditusque Diis Sacrificandis, observandisque Auguriis, ut primum renitescere conspexit Lunam, immolavit ei undecim juvencas. Luce primâ quum Sacrificaret Herculi hostiis viginti non litavit. Tandem prima & vigesimâ læta exta fuerunt, victoriamque defendentibus se, spospondere. Quæ postrema sane verba consideratione dignissima sunt, animumque Æmylii vere politicum ostendunt.

At L. Sulpitius Gallus *defectum Lunæ* imminentem, ne pro ostento acciperent milites, *prædixit futurum*; additis rationibus caussisque defectionis. Sic Pericles quoque, *cum in expeditione navali forte defecisset Sol, obductaque nox cœlo esset, atque inde terror ut magno oblato prodigio omnes incessisset, ipse cernens Gubernatorem stupentem ac trepidum, Chlamydem objecit oculis ejus, intectumque interrogavit, numquid horrendi id esset, aut portenderet gravius? Abnuente verò eo, Quid autem, infit, inter hoc & illud interest, nisi quatenus illud, quod caliginem invexit, Chlamyde est grandius?*

Idem ille, referente Frontino, *cum in castra ejus fulmen decidisset, lapidibus in conspectu omnium collisis, ignem excussit, sedavitque turbationem, cum docuisset similiter nubium attritu excuti fulmen.*

At tamen hic idem Pericles (testante id eodem Frontino) non omittebat, modo in rem suam esset, occasiones quibus superstitione, atque oborto ex ista terrore, deluderet ac terrefaceret alios. *Namque initurus, quandoque prælium quum animadvertisset lucum ex quâ utraque acies conspici poterat, densissimæ opacitatis, vastum alioqui & Diti patri sacrum, ingentis illic staturæ hominem, altissimis cothurnis, & veste purpurea, ac comâ venerabilem, in curru candidorum equorum sublimem constituit, qui dato signo pugnæ proveheretur; & voce Periclem nomine appellans, cohortaretur eum, dice-*

ceretque Deos Athenienſibus adeſſe : quo pene ante conjectum teli hoſtes terga verterunt.

Ut autem propius rurſus accedamus ad Haruſpices & Haruſpicinam, de quibus nunc, per hic modo allata exempla, diverti; nemo inter paulò prudentiores Ethnicos ipſis aliquid niſi νόμȣ χάϱιν attribuit, ſive de extorum Oſtentis ; ſive de fulguribus aut prodigiis reſponſa referrent: neque facile ipſos ſuper aliqua re conſulebant : imò e contra quam maxime monebant alios, ne iſti hominum generi aures animumve præberent, iiſve audiendis ullam pecuniam inſumerent. Sic Cato Rei Ruſticæ cap. 5. de Villici officio : *Haruſpicem, Augurem, Hariolum, Chaldæum ne quem conſuluiſſe velit.*

Neque alter Columella lib. I. cap. 8. de Villicis : *Aruſpices ſagaſque, quæ utraque genera vanâ ſuperſtitione rudes animos ad impenſas , ac* [NB] *deinceps ad flagitia compellunt, ne admiſerit.* Quæ eadem tamen lib. XI. cap. 1. paulo aliter repetit : *Aruſpicem, ſagamque ſua ſponte non noverit, quæ utraque genera vanâ ſuperſtitione rudes animos infeſtant.*

Quod in villicis hi cavent id in militibus Imperator Aurelianus dum apud Fl. Vopiſcum militibus injungi vult, *ut Aruſpicibus nihil dent.* Noverant enim pene cuncti iſtud ſcurrile genus hominum, qui aliis ſæpe ſuadebant, imò & pro illis faciebant, quod in damnum aut exitium eorum qui ipſos conſulebant, ut crimen ſummo Magiſtratui deferrent, ſecundum iſtud Juvenalis (Satyra 6.) *faciet quod deferrat ipſe.*

Collegium tamen publicum Romæ, ne religio in totum labaſci videretur, Auctoritate publica ſuſtentabatur, ac perdurabat; licet minime ſemper eodem in uſu atque honore. Quod patet ex verbis Taciti; qui, lib. Annal. XI. ita, inter alia de Claudio loquitur : *Rettulit deinde ad Senatum ſuper collegio Haruſpicum , ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina*

per desidiam exolesceret : sæpe adversis Reip. temporibus accitis, quorum monitu redintegratas cæremonias, & in posterum rectius habitas [*hæc Claudii peculiaris opinio erat*] *primoresque Etruriæ sponte aut patrum Romanorum impulsu retinuisse scientiam, & in familias propagasse : quod nunc segnius fieri, publica circa bonas artes socordia, & quia externæ superstitiones valescant. Et læta quidem in præsens omnia: sed benignitati Deum gratiam referendam, ne ritus sacrorum, inter ambigua culti, per prospera obliterarentur. Factum ex eo Senatus consultum : viderent Pontifices, quæ retinenda firmandaque Haruspicum.*

Cæremoniarum vetus atque antiquorum rituum retinens haberi volebat hic Claudius ; neque intactus erat superstitione : Unde & hæc relatio ad Senatum super Haruspicum collegio fluxit. *Unde & observavit sedulò* (Suetonio teste in ipsius vitâ) *ut quoties terra in Urbe movisset, ferias advocata concione prætor indiceret : utque dirâ avi in Urbe aut Capitolio visâ, obsecratio haberetur , eamque ipse jure Max. Pontifex, commonito pro rostris populo præiret.*

Hæc atque similia, quæ ab aliis minus aut nullo modo curabantur, huic stulto Claudio Cæsare digna. Nec tamen is solus ita affectus fuit. Verum mirandum id in Augusto Cæsare : qui, si credendum Suetonio , ita admodum tactus erat superstitione, *ut semper & ubique pellem Vituli Marini circumferret, pro remedio contra tonitrua & fulgura; qui, quantum ad somnia , neque sua , neque aliena de se negligebat; qui si mane sibi calceus perperam ac sinister pro dextero, induceretur, id pro diro Omine habebat* , &c. At longe aliter animatus. C. Julius Cæsar erat. *Qui ne quidem Religione* [quæ vox hic non simpliciter id , quod apud nos Christianos Religio significat, verum & cujuscunque generis superstitiones includit] *quidem ulla a quoquam incepto absterritus unquam vel retardatus est. Cum immolanti aufugisset*

ho-

hostia, profectionem adversus Scipionem & Jubam [quos quoque devicit] *non distulit. Prolapsus etiam in egressu navis, verso ad melius Omine, teneo te, inquit, Africa. Ad eludendas autem vaticinationes, quibus felix & invictum in ea provincia fataliter Scipionum nomen ferebatur, despectissimum quendam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitæ Salutioni cognomen erat, in castris secum habuit.*

CAP. III.

De מעוננים Mehonenim *seu* Præstigiatoribus, Astrologis, Somnium interpretibus, *&c. prout hæc vox vel ab* ענה respondere, *vel ab* ענן nubes, *vel ab* עין Oculus, *deducitur. Opiniones Maimonidis aliorumque circa hujusmodi impostores & imposturas. De Astrologis judiciariis Gentilium, & super iis ipsorum Gentilium prudentiorum judicia. Historia de Tiberii cum Trasyllo consultatione paulò fusius examinata. Hinc transitur ad Præstigiatores; de quibus & lepidissima affertur Historia: Post quæ de Somniis agitur; atque hac occasione de* Spiritu malo a Domino: *de Somnio Nebucadnezaris. Quam, denique, contraria persæpe ipsorum Interpretationes: unde & Ciceronis contra ipsos judicium.*

QUæ in hoc Levitici cap. XIX. quoque consideranda veniunt sunt hæc verba ולא תענו; ubi Versio Vulgata habet: *Neque observabitis Somnia.* Onkelos vero ולא תענון, quod ejusdem Originationis est cum vocabulo He-

Hebræo; atque ab Interprete, in Bibliis polyglottis, redditur (pro opinione quoque illius Interpretis, ratione derivationis) *Neque obſervabitis horas.* Alii hinc quoque: *Neque certa obſervabitis tempora;* vel, *Tempus certis rebus non aſſignabitis.* Quibuſcum ſane non ſatis convenit verſio Græca; quæ habet, οὐδὲ ὀρνιθοσκοπήσεσθε. *Neque auſpicabimini.*

Ut autem iſtud verbum diverſimode vertitur, ſic quoque voces עוננים *Honenim* & מעוננים *Mehonenim:* quæ an originem & appellationem ſuam habeant a radice עונא *tempus* an ab ענא *reſpondere*, an vero ab ענן *Nubes*, an denique ab עין *Oculus*, inter ſe diſcrepant Hebræi; ac, pro ratione Radicis ipſis attributæ, diverſas illis ſignificationes attribuunt.

Qui originem eorum repetunt a ענה, *reſpondere*, pro *Hariolis* ac *Divinis* habere ſimpliciter debent, vel ejuſmodi hominibus, qui, ut *Augures* atque *Haruſpices*, olim, ſuper dubiis, Prodigiis, ſcilicet, Oſtentis, Ominibus, aliiſque horum ſimilibus, interrogati reſpondebant. Qui ab עונה *tempus* voces eas derivant, ὡροσκόπους, ſive *Obſervatores cœli* illos interpretantur; adeoque & pro *Mathematicis*, ſive *Aſtrologis* judiciariis ac *Genethliacis* habent. Quam tamen ſignificationem alii ab ענן *Nubes* ipſis petitam attribuunt. Unde & Chaldæorum verbum ענן, *Augurari ex nubibus* ortum habet. Qui vero hîc originationem ab עין *Oculus* derivant, ejuſmodi homines pro præſtigiatoribus habent, qui agilitate, manuum aliorumque membrorum, &c. Oculos ſpectatorum ludunt, & obſtupefaciunt.

Significationes ſic ab עונה & ab ענן deſumptæ eodem pene omnino redeunt. Unde & per מעונן *Mehoneen* intelligunt *Hominem qui ex* עננים i. e. *ex Nubibus aut Aſtris reſponſa dat; quique* [ut ait Munſterus, in Deuter. c. XVIII. v. 10.] *dicit, hunc illumve diem cavendum in his vel illis electionibus, quæ tamen Aſtrorum influentiis non ſubjiciuntur: puta ſi uxorem duxeris, aut domus fundamenta jeceris,*

ſub

ſub illa conſtellatione, inauſpicatiſſimam feceris rem.

Hinc quoque Rabbi Moſes Maimonides [a quo hæc ſua Munſterus videtur deprompſiſſe] Havoda Sara, cap. XI. ita loquitur: איזהו מעונן אלו נותני עתים שאומר׳ באצטגנינות יום פלוני טוב ויום פלוני רע ראוי לעשום בו מלאכה פלונית שנה פלונית או חודש פלובי רע לדבר פלוני: *Cujuſmodi eſt Mehoneen? ſunt ii qui diſtinguunt tempora, & ex Aſtris prædicunt hunc illumve diem fauſtum eſſe vel infauſtum; vel annum hunc, aut menſem, certo negotio vel convenire vel infauſtum fore.*

Maimonidem tamen non huic ſoli originationi inſiſtere oſtendunt hæc verba Sectionis X. אזור לעונן אע״פ שלא עשה מעשה אלא הודיע אותן הכזבים שהסכלים מדמין שהן דברי אמת ודברי הכמה: וכל העושה מפני האשטגנינות וכיון מלאכתו או הליכתו באותו העת שקבעו הוברי שמים הרי זה לוקה שנאמר לא תעוננו וכן האוהז את העינים ומדמה בפני הרואים שעשה מעשה תמהון והוא לא עשה הרי וה בכלל מעונן ולוקה: *Tempus certis rebus aſſignare, etſi (ſecundum hoc) non opereris, nefas eſt: ſed vanitas ejus detegenda, quando quid pro re vera, ac Sapientum ſententia, habent ſtolidi. Quicunque autem juxta tempus ab Aſtrologis ſtatutum operatur iterve ſuſcipit, vapulat. Quia dicitur:* NE TEMPORA OBSERVES. Itidem qui *oculos præſtringit, ita ut aſpicientibus videatur miranda agere, cum* [NB] *nihil agat, ſub nomine Mehoneen comprehenditur, eoque vapulat.*

Poſteriora enim verba indicant Maimonidem non averſatum quoque derivationem vocis hujus ab עין, *Oculus*: adeoque & *Mehoneen* pro *Præſtigiatore* accipere.

Qui a ſola voce ענה iſtud *Mehoneen* derivant, vertunt hîc: *Neque certa obſervabitis tempora.* vel; *Tempus certis rebus non aſſignabitis.* Ita enim Rabbi Levi habet: ופי׳ הענין כמו שאמרנו שהוא לשון עונה כלומר שלא נקבע עונות לומר שעה

Ggg

שעה פלונית טובה לעשות בה מעשה פלוני ויצליח כל העושה אותו באותה שעה והעושה אותה בשעה פלונית לא יצליח כמי שיאמרו המהבילים בעלי הכישוב: *Explicatio autem hujus rei, sicut diximus petenda est ex nomine* Hona *tempus significante, i. e. ne certa figamus tempora, dicendo, hæc hora apta est huic operi; & qui hac illud fecerit, prosperum habebit successum: qui vero illud fecerit hora illa, non prosperabitur* [quod τ͂ ὡροσκόπων est] *id quod dicere solent Magi.*

Interim Eruditissimus, J. H. Hottingerus (ad præcepta negativa) hæc sequentia habet: *Repetitur hoc præceptum,* Deuteron. c. XVIII, 10. *Referunt huc Magistri* אוחז עינים RETINENTEM OCULOS, *qui velocitate manuum suarum ita fascinat spectatorem, ut* [NB] *existimet,* שיעשה וגו׳, *magna solertia eum efficere miracula i. e. res naturæ cursum superantes: ut cum qui hanc crebro exercere solent artem, quidvis acceptum, fimbriæ vestis, inspectantibus hominibus, inserunt; & postquam illud extraxerint inde,* Serpentem *ostendunt. Sic & annulum in aërem projiciunt, posteaque ex ore cujusdam adstantis, in præsentia eorum producunt; & id genus plura alia factitant. Horum vero operum malorum quodlibet prohibitum est; & qui facit illud,* (נקרה אוחז העינים) Retentor oculorum *vocatur, qui sub præcepto* Præstigiatoris [דמעונן] *continetur; eumque propter talia cædunt. Quamvis autem* מעונן ὡροσκόπος *cum* מכשף *Mago, uno Scripturæ loco exprimatur, non tamen Magiæ vera species est. Ista enim res si sic se haberet, interdictum, de Mago seu venefico datum, monitorium esset supplicii mortis a domo judicii infligendi, q. d.* Maleficam non sines vivere; Exodi XXII. v. 18. *At ratum nobis est, propter nullum negativum, quod monitorium est Domui judicii, verbera infligi.*

Quæ post hæc, ex Hebræis, allata verba, adjungit idem Hottingerus, digna sunt ut hic quoque afferantur: *Ratio hu-*

hujus præcepti eadem eſt quæ ſuperioris [de Incantatoribus nempe] *Habet tamen & illud incommodum, quod facile homines* αἰσθητήρια γεγυμνασμένα μὴ ἔχοντες, *Præſtigias ejuſmodi cum veris confundant miraculis, adeoque ad ipſum Atheiſmum viam ſternant.* De *Temporum obſervatoribus*, eodem modo (ex iiſdem quoque Hebræis) ratione pœnæ, &c. loquitur.

Doctiſſimos atque omni laude digniſſimos Bibliorum noſtrorum Belgicorum Interpretes (quod omittere hic non poſſum) ad derivationem vocis *Mehonim* ab עין *Oculus* potiſſimum reſpexiſſe, oſtendit ipſorum verſio, Levit. XIX. v. 26. **Gyen sult op geen Vogelgeschrey acht geven / nochte** [NB] **Guychelarye plegen.** Oſtenditque id clarius quæ in margine notant: **Het Hebreeus Woord betekend met verblinding der oogen Toveren: waar door men meynd te sien dat niet en is. Gelijk het van enigen genomen werd** / Deut. XVIII. 10. **en** 2. Regum XXVI, &c.

Tria igitur hic conſideranda veniunt, eo quod hæc verba triplici modo vertantur ab Interpretibus: inter quos tam Judæi, quam Chriſtiani complures, ea ad Aſtrologos magis (imò & *Augures* atque *Auſpices*) quam ad *Præſtigiatores*, referunt: cum interim Verſio Vulgata eadem ad *Inſomnia ipſorumque Obſervatores* referat.

Quid ſapientiores Judæi tum de hiſce *Aſtrologis*, tum de *Præſtigiis ac Præſtigiatoribus* ſentiant, ex modo allatis ipſorum verbis ſatis clare, quiſcunque is fuerit, perſpicit. Quid de illis Sapientiores Ethnici judicaverint, ac cur ita judicaverint, facile ex ſequentibus patebit. Incipiam igitur ab Aſtrologia judiciaria.

Chaldæos atque Ægyptios omnium primos Sydera obſervaſſe, Aſtronomiam calluiſſe ac docuiſſe, uti & Aſtrologiam judiciariam in uſu habuiſſe, ſatis conſtans veterum tam Judæorum quam Ethnicorum opinio eſt. Hoc patet ex iis

Teſtimoniis, uti & rationibus, quas attuli ubi tracto de Origine Idololatriæ &c.

Iſti tamen, qui inter *Chaldæos* profitebantur *Aſtrologiam judiciarim* a *Chaldæis* cæteris Aſtronomiæ ſtudioſis minime probabantur, verum rejiciebantur, teſte, ſaltem, Strabone; qui libro XV, ita loquitur: Ἀφώριστο δ' ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ κατοικία τοῖς ἐπιχωρίοις φιλοσόφοις, τοῖς Χαλδαίοις προσαγορευομένοις, οἳ περὶ τὴν ἀστρονομίαν εἰσὶ τὸ πλέον. προσποιοῦνται δέ τινες καὶ γενεθλιαλογεῖν, οὓς οὐ καταδέχονται οἱ ἕτεροι. *Conſtituta eſt habitatio peculiaris in Babylonia Philoſophis indigenis, plurimum aſtronomiam tractantibus qui Chaldæi appellantur. Sunt & ex iis qui e natalibus hominum eventura iis vaticinari ſe profiteantur: ſed a ceteris non probantur.*

Cicero autem in hunc modum de iis diſſerit. *Ad Chaldæorum monſtra deveniamus: de quibus Eudoxus Platonis auditor, in Aſtrologia, judicio doctiſſimorum virorum facile princeps ſic opinatur, id quod ſcriptum reliquit:* CHALDÆIS IN PRÆDICTIONE ET IN NOTATIONE CUJUSQUE VITÆ EX NATALI DIE, MINIME ESSE CREDENDUM. *Nominat etiam Panætius qui unus e Stoicis Aſtrologorum prædicta rejecit, Archelaum & Caſſandrum ſummos Aſtrologos illius ætatis, quâ erat ipſe, cum in ceteris Aſtrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis genere non uſos. Scylax Halicarnaſſeus, familiaris Panætii excellens in Aſtrologiâ, idemque in regenda ſuâ civitate princeps, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiavit. Sed ut ratione utamur*, &c. Ubi poſt nonnulla in utramque partem diſputata, tandem ita diſputationi iſti finem imponit: *Ego autem hoc requiro, omneſne, qui in Cannenſi pugna ceciderunt, uno aſtro fuerint. Exitus quidem omnium unus & idem fuit. Quid? qui ingenio, atque animo ſingulares naſcuntur, num aſtro quoque uno? quod enim tempus quo non innumerabiles naſcantur? At certe nemo ſimilis Homeri. Et, ſi ad rem pertinet, quomodo cœlo affecto,*

fecto, compositisque sideribus quodque animal oriatur: valeat id necesse est etiam in rebus inanimis. Quo quid dici potest absurdius? L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris noster, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostræ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus. Romamque, cum esset in jugo Luna, natam esse dicebat, nec ejus fata canere dubitabat. O vim maximam erroris! Etiamne urbis natalis dies ad vim stellarum, & Lunæ pertinebat? Fac in puero referre, ex quâ affectione cœli primum spiritum duxerit: num hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus urbs effecta est, potuit valere? Sed quid plura? quotidie refelluntur. Quam multa ego Pompejo, quam multa Crasso, quam multa hinc ipsi Cæsari a Chaldæis dicta memini, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum? ut mihi permirum videatur, quemquam extare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re & eventis refelli.

Huc certe commode referri potest locus ille Lampridii de Marco Aur. Antonino, qui ita habet: *Quum autem peperisset Commodum atque Antonium, Antoninus quadrimus est elatus; quem* [NB] *parem astrorum cursu Commodo Mathematici promittebant.*

Ne vero nimis multa exempla congerere velle videar, sola hæc duo sequentia afferam, ut videamus ulterius, quam bene succedat ejusmodi Divinatio. Primum exemplum nobis suppeditat Agathias, libro V. Histor. ubi de Horribili admodum terræ motu Constantinopoli facto loquitur, hoc modo: τερατεῖαί τε ἐνεδήμουν εὐθὺς καὶ προηγορεύσεις παράλογοι, ὡς αὐτίκα μάλα καὶ τοῦ παντὸς κόσμου ἀπολουμένου· ἀπατεῶνες γάρ τινες καὶ οἷον θεοπρόποι αὐτόματοι περιφοιτῶντες, ἅττα ἂν ἐδόκει αὐτοῖς ἐχρησμῴδουν, καὶ μᾶλλον ἔτι τοὺς πολλοὺς ἐξεδειμάτουν, τῷ ἤδη κατεπληχέναι ῥᾳδίως ἀναπειθομένους. οὗτοι τε οἱ μαίνεσθαι εἰκῇ καὶ δαιμονᾶν ὑποκρινόμενοι, δεινότερα ἐπεφήμιζον, ὡς δὴ ὑπὸ τῶν προσπεφυκότων αὐτοῖς φασ-

μάτων τὰ ἐσόμενα δεδιδαγμένοι, καὶ μάλα ἐπὶ τῇ κακοδαιμονίᾳ μεγαλαυχοῦντες ἄλλοι δ' ἀστέρων φορὰς καὶ σχήματα ἐκλογιζόμενοι, μείζονας συμφορὰς καὶ κοινὴν μονονουχὶ ἀνατροπὴν τῶν πραγμάτων ἐδήλουν καὶ ὑπαινίττοντο. εἴωθε γὰρ ἐν τοῖς δεινοῖς ὁ τῶν τοιούτων ἀνθρώπων ἑσμὸς ἀναφύεσθαι. ἐψεύσατο δὲ εὖ ποιοῦσα ἑκατέρα μαντεῖα. ἐχρῆν γὰρ οἶμαι καὶ ἀσεβείας φεύγειν γραφὴν τοὺς τοιάδε ὀνειροπολοῦντας, καὶ μηδὲν ὁτιοῦν πλέον γνώσεως περὶ τῷ κρείττονι καταλιμπάνοντας. Quæ, B. Vulcanio vertente, ita sonant: *Prodigia etiam quædam absurdæque prædictiones in vulgus spargebantur, tanquam mundo universo jam jam perituro. Impostores enim quidam & veluti vates ultronei oberrarabant, quæ ipsis collibuisset Vaticinantes, multoque magis plerosque perterrefaciebant, facile ob pavorem quem jam perceperant persuasos. Hi porro & furere se, atque a Dæmone exagitari simulantes, graviora ominabantur, tanquam a spectris* [NB] *quæ se ipsis offerebant, futura edocti, & vehementer sua miseria gloriantes. Alii vero* [NB] *astrorum decursus aspectusque expendentes, majores calamitates & communem tantum non rerum omnium subversionem interpretabantur ac denuntiabant. Solet enim istiusmodi hominum turba difficillimis temporibus pullulare. Utrumque vero vaticinium publico bono vanum fuit. Oportebat enim, mea sententiâ, etiam impietatis accessere talium somniorum Interpretes, nullamque ampliorem rerum futurarum cogitationem Deo relinquentes.* Optime certe facit, ac Christiane hic Agathias, quod in hominibus, qui Christianorum nomine venire volebant, ejusmodi malignas atque impias imposturas damnet.

Secundum exemplum afferre non verear ex magni illius Petri Cunæi Oratione de annis Climactericis; ubi inter alia hæc profert. *Nondum anni centum & viginti sunt, cum prædixerant Astrologi quidam, inusitata & eruditione & autoritate viri, eandem illam fore Astrorum conjunctionem A°. 1504, quæ olim fuerat cum Noachus ex totius Orbis inundatione*

datione cum familia sua superstes humano generi fuit. Igitur constans & consentiens assertio fuit, futurum etiam eodem illo anno fatale toti mundo diluvium, neque evelli ea opinio ex multorum animis potuit. Et vero jam non deerant qui naves sibi ad aquarum perfugia fabricarent: in primis Auriolus Tolosas, vir Juris civilis consultissimus, qui tamen parum memor erat fœderis illius sempiterni, quod cum Noacho Deus fecerat, juratus mundum nunquam deinceps aquis interiturum. Et sane secutus est Astrologorum illam augurationem eventus longè alius. Quippe proditum memoriæ Ludovicus Vives, autor certissimus, reliquit, nullum annum æque serenum, nullum æque faustum & ubertate notabilem fuisse. Quibus (atque etiam aliis hisce præcedentibus) narratis tum optime superaddit: *Quæ hactenus dixi, illuc redeunt omnia, ut ex incertitudine artis hujus Divinatoriæ, Mathematicis & Astrologis indignæ, appareret Deum Opt. Max. ignorare nos rerum humanarum, & Imperiorum mutationem conversionemque ideo voluisse, & animos nostros & cogitationes ad se solum pertraheret; ut potestatem illius vereri, sapientiamque admirari omnes & singuli discant, qui in hoc terrarum orbe judicia illius, ut nulla iniqua, ita tamen pleraque occulta credimus.*

Non possum non (data hac occasione) memorare, quæ in pueritia mea mihi obvenisse hucusque memoria retinui: nempe A°. Domini 1652. cum Amstelædami habitarem, me dum ad scholam me conferens Bibliopolarum Officinas satis curiose pro ea ætate sæpius transirem, me ibi vidisse venales expositas prædictiones ex constellationibus Astrologicis desumptas, quæ perhibebant, A°. 1654. talem tantamque futuram Ecleipsim qualis ac quanta nondum stante hoc mundo contigerat; post quam demum A°. 1655. universus mundus periturus esset. Et sane vidi Ecleipsum illam: at postea majorem solis Obscurationem per ejusmodi deliquia, observavi, licet

cet

cet nullus mundi interitus hactenus sit secutus: Ac cum anxius, ex puerili judicio ac metu, hæc domi atque alibi memorarem; narrabant mihi seriores, in puerili, aut adolescente ætate, ipsis eadem ac similia obvenisse; eo quod Anno 1624. & 1625. similes plane prædictiones a circumforaneis per fora, per plateas, aliaque loca publica, voce stentorea decantatæ fuissent: dum interim singulis strophis (quas nos Belgice versus appellamus) finitis repeterentur hæc verba:

O sy mogen wel beven,
Die't Jaar van ses-en-twintig sullen beleven.

Quam magno tamen in pretio fuerint hi Impostores, non solum apud alias gentes, verum etiam apud Romani populi plebeculam (præcipuè tamen mulieres, quæ circa eos in saniebant plane) ostendit Juvenalis hisce verbis Satyræ sextæ:

Chaldæis sed major erit fiducia:
Quidquid dixerit Astrologus, credent a fonte relatum
Ammonis, quoniam Delphis Oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.
Præcipuus tamen est horum qui sæpius exul,
Cujus Amicitia conducendaque tabella
Magnus civis obit, & formidatus Othoni.
Inde fides arti sonuit si dextera ferro,
Lævaque si longo castrorum in carcere mansit.
Nemo Mathematicus genium indemnatus habebit,
Sed qui pene perit, cui vix ad Cyclada mitti
Contigit, & parva tandem caruisse seripho.
Consulit ictericæ Lento de funere Matris,
Ante tamen de te Tanaquil tua, quando sororem
Efferat & patruos, an sit victurus adulter
Post ipsam; quid enim majus dare numina possunt?
Hæc tamen ignorat quid Sidus triste minetur
Saturni, quo læta Venus se proferat astro,

Qui

Qui menses damno, quæ dentur tempora lucro.
Illius occursus etiam vitare memento,
In cujus manibus ceu pinguia succina tritas
Cernis Ephemeridas, quæ nullum consulit, & jam
Consulitur; quæ castra viro patriamque petente
Non ibit pariter numeris revocata Thrasylli.
Ad primum lapidem vectari cum placet, hora
Sumitur ex libro: si prurit frictus ocelli
Angulus, inspecta genesi collyria poscit:
Ægra licet jaceat cupiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.

Hos interim ipse Valerius Maximus (qui aliàs satis superstitiosus, circa Oracula, Omina, Ostenta similiaque fuit, aut videri voluit) vocat *Homines levibus & ineptis ingeniis, fallaci Syderum interpretatione, quæstuosam mendaciis suis caliginem, injicientes.* uti & a Tacito [lib. I. Hist c. 22.] vocantur, *Genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax: quod* [de seculo suo loquitur] *in civitate nostra & vetabitur semper & retinebitur. Isti nempe novos motus, & clarum Othoni annum observatione Syderum affirmabant,* At cujusmodi essent illi homines, exemplo Ptolomæi ibi admodum bene ostendit. Sæpius illi fuere Urbe atque Italia pulsi interdictis, non solum a Vitellio, Domitiano aliisque; verum & ab ipso Tiberio: qui tamen licet illis quandoque infensus fuerit, Trasyllo Mathematico familiariter, atque ut secretorum suorum arbitro pene unico, usus fuit. Operæ prætium mihi videtur huc adducere notabilem istam prædictionem Tiberio factam [Taciti Annal. lib. VI. cap. 20 & 21] atque eam paulo accuratius examinare. Verba igitur Taciti sunt. *Non omiserim præsagium Tiberii de Galba tum Consule: quem accitum, & diversis sermonibus pertentatum, postremo Græcis verbis in hanc sententiam allocutus: Et tu Galba quandoque degustabis Imperium. Seram ac brevem potentiam si-*

gnificans, scientia Chaldæorum artis, cujus addiscendæ, otium apud Rhodum, Magistrum Trasullum, habuit, peritiam ejus hoc modo expertus. Quotiens super tali negotio consultaret, edita domus parte ac liberti unius conscientiâ utebatur. Is literarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta (nam saxis domus imminet) præibat eum, cujus artem experiri Tiberius statuisset: & regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subjectum Mare præcipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Trasullus iisdem rupibus inductus, postquam percunctantem commoverat, Imperium ipsi, & futura sollerter patefaciens, interrogatur an suam quoque genitalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille positus Siderum & spatia dimensus, hærere primò, deinde pavescere: & quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis & metus postremo exclamat, ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare. Tum complexus eum Tiberius, præscium periculorum, & incolumem fore gratatur; quæque dixerat Oraculi vice accipiens, inter intimos amicorum tenet.

Primam horum Taciti verborum partem quam optime meo judicio interpretatur, in Commentariis suis Italicè super hujus Taciti 6. priores Annalium libris conscriptis, Trojanus Boccalinus: *Replico inquesto luogo, ch' io tengo per grandissima semplicità il creder, che sia possibile per mezzo di qualunque scienza arrivar a saper le cose future, fuorche per Divina inspiratione. M' induco bene a credere, che Tiberio d' ingegno sagacissimo prevedesse, che il Caligola, o chiunque altro del suo sangue che gli dovesse succedere, era gjovane, e che quello Stato non havesse bisogno di Principe gjovane, ch' imparasse di governare cò gli artefizii bastevoli ad un tanto Imperio; percioche l'usar del crudeltà col tempo havrebbe partoriti molti nemici, e per consequenza certa rouina. La piazevolezza sarebbe stata abusata, & apriva la porta alle congiure, onde non era possibi-*

sibile conservare quel dominio lungo tempo in una famiglia. Considerava ancora, che se bene i successori del suo sanguine fussero stati uccisi, L'Imperio però non era in istato di retornare al viver libero, per la molta disuguaglianza de Cittadini, e per la potenza delle Soldatesche. Quindi quel cauto Imperatore, penetrando con la consideratione nelle cose auvenire, connobbe che quando l'Imperio fuisse uscito della Casa de' Giulii, e de' Claudii, sarebbe caduto nella persona di Galba; e questa era un' Astrologia giudiziaria d'aveduto politico, non di falso Mattematico.

Verum ut veniamus ad *Trasyllum* ejusque *prædictiones* a Tacito, Suetonio ac Dione Cassio, memoratas; multa erant quæ ejusmodi conjecturas, sub prætextu observationum Astrologicarum factas, quam faciles reddere valebant, quibus ille Tiberio tum prope instans Imperium, sibique jam jam propius minitans periculum, præsagire poterat. Ac. I°. quidem ipsi ob oculos versari poterant ætas ac mores Caji & Lucii Cæsarum; quos post Marcelli mortem ad Reipublicæ regimen omni studio ac conatu subvehebat Augustus; quamvis minime aptos huic oneri sese ostentarent; ipsorumque ingenia & mores nullo modo sufficerent aut collimarent in eum scopum, quem sibi Cæsar Augustus in ipsis proposuerat. Quod & ex Vellei, & Suetonii, & Taciti testimoniis abunde constat.

II°. Conjectare id poterat ex eo, quod tam incogitantes futurorumque improvidos adolescentes propriisque libidinibus aliorumque adulationibus adhuc plane subjectos, perfacile noverca ipsorum Livia (quibuscunque demum modis, sive licitis, sive illicitis, Tiberio suo summum Imperium quærens, prævertere ac pervertere poterat; procurando scilicet apud Augustum, ut ejusmodi comites ipsis adjungeret, qui arcanorum sensa, sive per blanditias atque adulationes, sive alio quovis prætextu ipsis minime suspecto, explorarent aut eli-

cerent; ac quomodo in Tiberium (cui ambo male volebant) animati essent: ut sic ipsa tempestive ipsorum criminationibus quæstibusve contra Tiberium apud Augustum occurreret; hunc defenderet atque extolleret, illos e contra viles magis magisque, atque inutiles regendæ Reipublicæ, efficeret; dum & simul procuraret, ut modestissime, in speciem saltem, se gereret Tiberius, ipsi vero luxu ac libidinibus indies magis magisque corrumperentur, aut propriis adulatorumque malignorum, consiliis pene. semper, sapientiorum verò pene nunquam obsequerentur. Quod, ex Scriptoribus modo nominatis, acutioribus paulò ingeniis minime obscurum esse potest. Si Tacitum audiamus; *Lucium Cæsarem, euntem ad Hispanienses exercitus, Cajum remeantem Armenia, & vulnere invalidum* MORS *fato* PROPERA, *vel Novercæ Liviæ dolus abstulit; Drusoque pridem extincto, Nero solus e privignis erat: illuc cuncta vergere, filius, Collega imperii, consors Tribunitiæ potestatis adsumitur, omnisque per exercitus ostentatur: non obscuris, ut* [NB] *antea, matris artibus, sed palam hortatu. Nam senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum Agrippam Posthumum in insulam Planasiam projiceret: rudem sane bonarum artium, ac robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum.* Hæc Tacitus; licet Vellejus Paterculus, ex servili ac pudendâ adulatione in Tiberium, longe aliter de ipsius vita, atque etiam exitu, digno ipsius furore, ut loquitur, testetur. Ast magis hîc audiendus noster Tacitus; qui dum de ipsius interitu loquitur, existimat, *Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis, suspecti & invisi Juvenis cædem festinavisse.* Nec mirum id in homine qui totam pene familiam propriæ ambitioni sævitiæque sacrificabat: cujus miserabile æque atque horrendum exemplum nobis proponitur in Druso Germanici filio (ne quid de Nerone ipsius fratre aut amborum matre Agrippi-

na,

na, afferam) ita id referente Tacito lib. VI. cap. 23. *Drusus deinde extinguitur, cum se miserandis alimentis mandendo e cubiculi tomento, nonum ad diem sustinuisset. Tradidere quidam præscriptum fuisse Macroni, si arma ab Sejano tentarentur, extractum custodiâ Juvenem (nam in palatio attinebatur) ducem populo imponere. Mox quia rumor incedebat, fore ut nurui ac nepoti conciliaretur Cæsar; sævitiam, quam pænitentiam maluit. Quin & invectus in defunctum, probra corporis, exitiabilem in suos, infensum Reipublicæ animum objecit: recitarique factorum dictorumque ejus descripta per dies jussit. Quo non aliud atrocius visum: adstitisse tot per annos, qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent: & potuisse Avum audire legere, in publicum promere, vix fides; nisi quod Actii centurionis, & Didymi liberti epistolæ, servorum nomina præferebant, ut quis egredientem cubiculo Drusum pulsaverat, exterruerat: Etiam sua verba centurio sævitiæ plena, tanquam egregium, vocesque deficientis adjecerat; quis primò alienationem mentis simulans, funesta Tiberio mox ubi exspes vitæ fuit, meditatas compositasque Diras imprecabatur, &c.*

Quam facile autem per ejusmodi homines tam Lucio quam Cajo adjunctos, illi veneno, cum tempestivum id Liviæ videretur, tolli potuerint, perspicacioribus ingeniis minime obscurum est: ac clarescit id quoque ex eo, quod *Primum facinus novi Principatus fuerit Posthumi Agrippæ cædes.*

Dum vero adhuc viverent *Cajus* & *Lucius* Cæsares, rediit ab insula Rhodo *Tiberius*, permittente id quidem *Cajo*; at sub conditione, ne quam partem curamve Reipublicæ attingeret.

Hæc, atque præter hæc plura alia; ac quo per illa Liviæ animus tendebat, obscura non esse poterant hominibus paulùm circa Rempublicam versatis; aut ignota huic *Trasyllo*; cum non deessent plurimi, qui nossent probe zelum atque in-

vidiam ac suspiciones inter *Cajum* ac *Lucium* ab una parte, atque *Tiberium* ab altera parte regnantes, dum adhuc Rhodi exulem ageret; imo nec deessent qui (uti Dio in excerptis tradit) affirmarent: eum amandatum esse ab Augusto, *quod ejus filiis in sidiaretur*.

Ex ejusmodi rerum constitutione & temporum casuumque porrò incidentium circumstantiis, ac demum quammaxime ex ipsâ Tiberii consultatione super summo imperio, non difficulter ipsi (Tiberio) *Thrasyllus* respondere, ac futuram dominationem post Augusti obitum prædicere, valuit.

Ut autem hæc ita conjectare ipsi facile fuit, sic neque admodum difficile, post interrogata, *an suam quoque genitalem horam comperisset, &c.* cum videret satis bene, quemnam in locum, quibusque comitibus circumseptus, deductus esset; pensitatisque, quantum ea temporis momenta paterentur, cæteris quoque circumstantiis; sic, dico, non admodum difficile ipsi fuit, divinare in quo summo vitæ periculo versaretur.

Noverat enim I°. (nec cuiquam ignota esse poterant) ingenium ac mores *Tiberii*: de quo Tacitus lib. I. c. 2. quasi ex persona populi Romani testatur, ipsum *ne iis quidem annis quibus Rhodi* [qua in insula hæc contigere] *specie secessus exulem egerit, aliquid quam iram, & simulationem, & secretas libidines meditatum.* De superbia vero ipsius, de sævitiâ, ambitione, cæterisque præter hæc & aliis, abominandis vitiis quæ tam hic Tacitus, quam Suetonius, Dio, rliique memorant, consulantur hi nominati Scriptores.

II°. Hic *Thrasyllus*, quem ut sapientiæ Professorem contubernio admoverat (teste Suetonio, uti & Themistio, ac Juvenali veteri Scholiaste) sed quem *durius & contra prædicta cadentibus rebus, ut falsum & temere conscium* (eodem Suetonio teste) *eo ipso momento dum spatiatur una præcipitare in mare destinaverat;* non difficulter odorari potuit, ex

ex ſimulationis licet callidiſſimi artificis, hoc illove verbulo ſono aut geſtu, quam caute cum ipſo ſibi verſandum, ac quam caute & circumſpectè hîc ipſi reſpondendum eſſet: præſertim ſi, quod Scholaſtes Juvenalis vetus affirmat (neque omnino diſſimile vero eſt) *hunc Tiberii dolum præſenſerit.*

Addas, velim, mi Lector, hunc *Thraſyllum* jam dudum ex Philoſophiæ, Matheſeoſque (apud veteres Aſtrologiæ Judicariæ) profeſſione, notum plurimis antea fuiſſe; ac procul omni dubio familiaritatem, ac publice vel privatim commercia mutua, cum aliis hujuſce vel ſcientiæ vel artis profeſſoribus, qui plurimi in Italia ipſaque Urbe Roma verſabantur, [teſtantibus id crebris edictis contra ipſos factis] exercuiſſe. E quorum numero jam multi (ſive Græcorum ſive Latinorum) hoc pernicioſo ſaltu exitium ſuum invenerant. Quos ſubito diſparuiſſe, neque aliquid de ipſis renuntiatum quam quod Rhodum navigaverant, neque ullibi poſtea comparuerant, ipſi *Thraſyllo* manere incognitum nequibat: quod nullos citius obiiſſe ſentiamus, quam illos quibuſquam nobis aut ſingularis neceſſitudo aut familiaritas interceſſit.

Quum igitur ex pluribus *Tiberium* adeuntibus poſtmodum nullos, aut pene nullos, rediiſſe animadvertiſſet: perfacile in memoriam revocare ſibi valuit fabellam illam, confictam de Leone ægrotante, ad quem vulpes, ut viſitaret eum, minime appropinquare audebat; eo quod omnium animalium, quæ eo munere ante ipſam defuncta erant, cuncta quidem veſtigia introrſum, nulla vero extrorſum, ut inde redeuntium, ſpectarent.

Quamobrem præſentiſſimum huic extremo periculo ipſi, atque unicum erat, ex alto ſuſpiciones ſuas ac metum diſſimulare; atque extemplo plane contraria ſimulatione veram confuſionem ac perturbationem mentis, quaſi ex ſubito inſpecta ac cognita propria geneſi exortam, obtegere, exclaman-

mando, ambiguum sibi ac *prope ultimum discrimen instare*: ut ita sese ex hisce extricaret, si possibile foret, angustiis. Quod certe hominis erat præsenti semper animo præditi, longisque Philosophiæ studiis, longoque rerum usu edocti; adeoque & aulicarum artium gnarissimi.

Neque, quod addi postremo velim, nobis imaginari debemus, ipsi nulla mutua atque occulta commercia fuisse, cum pluribus hisce illisve Aulicis, qui & Romæ & alibi sive Augusto, sive Liviæ, sive aliis, sive denique hisce cunctis simul, familiaritate aut quotidiano convictu, atque inde majori minorive confidentiâ erant connexi. ex quorum occultis quotidianisque indiciis, partim gratis, partim munusculis aliisve beneficiis acquisitis, revelari sibi possent secreta Augustæ domus, scopusque quem tam Livia *Tiberii* mater, quam *Augustus* ejus vitricus, sibi adhucdum viventibus *Cajo* & *Lucio* proposuerant; ut & multa ex claudestinis machinationibus, quibus *summæ spei* i. e. Imperii successioni, quotidie magis magisque admoveretur.

Habebant sane istiusmodi vates emissarios suos pene ubique, ac præcipue quidem magnis in urbibus, aulisque principum, unde *scire possent Secreta domus atque inde timeri*: ac per sibi cognitos Amores, studia, jurgia, odia atque alia plura, expiscari valerent, quæ circa prædictiones reddenda, aut nunc in præsens, aut quandoque saltem, possent esse usui.

Unde & minus mirum est, ipsum hunc *Thrasyllum*, dum Tiberius omni momento anxius de suarum rerum statu, omnia quotidie circumspiceret, affirmasse; *Nave prævisâ* [uti loquitur Suetonius] *gaudium afferri.*

Ex hisce igitur videmus, non immerito Deum Opt. Max. per Mosen præcavisse, ne *ambularet populus* suus *in viis Gentium, aut ea faceret quæ Gentes faciunt;* eo quod talia ipsi sint *Abominationi.*

Quod, ut fecit, tum Levit. XVIII, 3. tum XX, 23. alibi-

bique; sic exferte admodum Jerem. X. v. 2 & 3. per hæc verba: *Viam Gentium ne discatis, &* [NB] *a cœli signis ne formidetis: siquidem cæremoniæ Gentium vanitas sunt.*

Ex quibus clarè apparet ad sequentia ibi hæc verba quoque pertinere; quamvis præcipue ad cultum Astrorum, ad Observationes *Cometarum*, *Planetarum*, *cæterorumque astrorum*, ad quæ *Gentiles* omnia bona ac mala referebant, atque ea propter illa metuebant ac colebant.

Quæ porro considerandæ veniunt inter *Vias Gentium* sunt *Præstigiæ;* uti & *Præstigiatores*, homines scilicet, ἀγύρται, & ab omni ævo ejusmodi commatis, quales isti adhucdum sunt Circumforanei, qui per encænias, atque alia, quam sæpe, festa publica, agilitate manuum (aliarumque corporis partium) tam dextre communi plebeculæ, mulierculis ac pueris, illudunt, ut ipsorum lusus ac præstigiæ istis mera videantur miracula, seu potius artes ac fraudes diabolicæ; imò & in admirationem quandoque ac stuporem rapiant homines longe acutiores, ac rerum usu atque experientia præditos; dum aut prunas igne candentes masticant, aut ferrum candens in proprium os intrusum sine noxa circumrotant, fumumve aut flammas ore evomunt, stannove ex igne liquido manus lavant, aut plurima denique hujusmodi alia mirabilia perpetrant; dum & aliquando vel calculos vel festucas in viva animalia, Columbas aliave transformare videntur: qualia sæpius a me (ac a quibusnam non?) in adolescentia mea a me conspecta fuere.

Ejusmodi enim γόητες seu *Scurræ* comprehenduntur quoque (uti jam superius vidimus sub nomine מעונן quatenus a radice עין *Oculus* deducitur; eo quod manuum agilitate spectatorum oculos perstringant. Sub hoc genere interim comprehenduntur omnes ejusmodi Impostores, qui quacunque demum arte, sub tum Divinationum tum aliorum prætextu, populum deludebant.

Talia erant inventa eorum qui appellabantur apud Græcos νευροσπάςαι, ipſorum ſc. Βαυτύλια ſive ejuſmodi *fabricæ* (ut illas Apulejus vocat) *quas per filamenta ita* (in ligneolis hominum figuris) *movebant*, uti hodie quoque in Marionettis (ut ſic loquar) aliiſque artifioſe confectis ſtatuis perficiunt hodierni noſtri *Circumforanei*. Hoc quoque *Alexander*, *ille Pſeudomantis*, efficebat in Pellæo ſuo Dracone. Ac per Hydraulica, *Engibata* & *Merulæ*, imagunculæ Vitruvio ita appellatæ, voces ſic edebantur, aliique motus ſimplicioribus portentoſi.

Quæ ex naturali, ita dicta, *Magia* huc afferri poſſent permulta ſunt, atque imperitis mirabilia admodum: eo quod per iſta plurima oculis hominum offerantur, quæ ipſis ſuper-aut præternaturalia videntur; cum ſint meræ aut luminis ſonuſve refractiones vel ductus, aut aliæ naturales admodum (nihilque ſuper aut præternaturale admixtum habentes) actiones per Machinas vel inſtrumenta ad talia commode parata; uti præter Athanaſium Kircherum, Caſp. Schottum, alii plures doctiſſimi viri oſtenderunt. Quin imo ſub hoc nomine מעונן & *Magi* & *Necyomantes*, & omnes denique *præſtigiatores*, fallaciis ſuis quocunque demum modo imperitos vel incautos nimis homines ludentes comprehendi poſſunt: ut ſub nomine Chaldæorum non tantum *Aſtrologi Judiciarii*, verum & *Magi* quoque & *Necyomantes* & *Incantatores* & reliqui pene omnes *Harioli* ac *Divinatores* & *Thaumaturgi*, comprehenduntur.

Ejuſmodi ſane homines illi fuerunt, de quibus nobis Mart. Delrio, jucundam ſatis hiſtoriolam adducit (ex Mart. Bielſki, & Guanguino, in vita Sigiſmundi primi) hoc modo: *Tempore Sigiſmundi primi Regis Poloniæ, Jacob Melſtinski prætor oppidi Brezinii, levitate quadam animi, Auctoritatem nomenque Chriſti ſibi adſcivit, Petrumque Zatorski Cracovienſem, ceteroſque ſibi ſimiles latrones duodecim elegit, ſingu-*

gu-

gulisque nomina APOSTOLORUM *imposuit, se vero* JESUM CHRISTUM *appellavit. Qui per villas ubique ambulantes prodigia morionum & Præstigiatorum more exercebant, Sycophantasque alios & Latrones velut mortuos subornantes suscitabant; pisces in paludes lutosas primo impositas, ubi nunquam eos nasci possibile erat, in nomine Christi suis manibus capiebant; panes in fornaces imponebant, in nomineque Christi sui, cum illic ante non essent, depromebant, cum ingenti simplicis vulgi admiratione. Quodam tempore ad Cestochoviam monasterium, Divæ Virginis imagine celebre, cum suis Apostolis venit: cumque illic aliquot diebus morarentur, unum ex suis quasi obsessum a Dæmone subornaverunt, cujus operâ victum acquirebant. Ille enim per hospitia ambulans carnes de coquina rapiebat, in suosque projiciebat, qui cruce illas munientes carnes comedebant. Cumque ingens illic esset concursus populi ad D. Virginis imaginem, Sycophantæ illi obsessum suum ad altare ducunt, duplici veste indutum, in cujus intercapedinem necessaria imponere posset: lapillos vero intra indusium ei imposuerunt: cumque ad altare deduceretur, ille e manibus deducentium furibundus se proripiens, in altare donariis onustum irruit, pecuniasque rapiens in vestis duplicatæ intercapedine eas abscondit. Monachus ab altari divino intermisso officio aufugit: ceteri Monachi accurrentes cingulum ejus solvunt. Ibi lapilli duntaxat in terram ceciderunt pecunia vero in veste duplicata remansit. Monachi pecuniam arte Dæmonis in lapillos transformatam putantes, exorcismis eam in pristinam formam transformare nitebantur: sed cum lapilli permanerent, Monachus librum Sacrum indignabundus in terram projecit, dicens: Similem Dæmonem nunquam habuimus: abite cum eo ad omnes Diabolos. Sycophantæ illi cum pecunia rectâ in Silesiam fugerunt. ibi apud matronam nobilem in quodam pago divertentes, cum illa viro absente eos recipere nollet, saltem*

mappam vel telam ad Sacrificandum petierunt. At mulier fasciculum telæ illis obtulit. Tunc illi, hanc nobiscum accipiemus, & Christus tibi benedicet, ut tibi linum abundantius crescat. Ostende aliam si habes: quam cum similiter accipere vellent, mulier recusavit maritum timens. Illi autem frustulum fomitis cum igne in telam clam involventes, mulieri reddiderunt. Itaque cista a tela, a cista vero domus conflagravit. Viro domum reverso uxor ob Christum cum Apostolis male tractatum hoc sibi juste contigisse dixit. At vir ira excandescens, latro hic (inquit) nequissimus & non Christus fuit Itaque cum vicinis eos insequitur, & in quadam villa assequitur. Tum Pseudochristus ad illum, qui vocabatur Petrus, dixit. Jam mea passio, Petre, calixque quem bibiturus sum, appropinquat. Cui Petrus, & mihi, ut video, Domine imminet. Ille verò dixit: Petre ego aliter non possum, nisi per fenestram, hinc evadere. Tum Petrus: & ego te quod vivam, non derelinquam, sed, quocunque fugeris, sequar. Ergo per fenestram aufugit: ceteri Apostoli, quà potuerunt, evaserunt. Rustici eos secuti baculis fustibusque cæcidere, dicentes; Prophetiza nobis Christe cum tuis Apostolis, quâ in silvâ baculi isti creverint. Ergo plagis emendati vitam suam postea emendarunt, dicentes: Difficile est nobis Christi passionem, Apostolorumque tormenta subire.

Tertio jam loco *Insomnia*, sive *Somnia Fatidica*, veniunt; non tamen illa quæ, pecudum pellibus substratis, in Templo hoc illove (sive Æsculapii, sive alterius cujusdam Dei, per *Somnia* respondentis) parabantur; verum ista, quæ a personis non publicis, locisve non publicis (ædibus scilicet privatis) percipiebantur, atque inde *Omini bono malove* ducebantur: eoquod Versio Vulgata habeat: *Neque observabitis Somnia.* Fateor, sane, me non satis capere, cuinam fundamento hæc versio innitatur: attamen cum toties ac tam serio de Insomniis confictis loquatur, per Sanctos Prophetas suos, Deus Opt. Max. non potui prætermittere tractationem

nem ritus, ſeu potius criminis, quod inter *vias ac cæremonias Gentium*, non ſolum Deuteronomii cap. XIII. ſed & apud Prophetas Jeremiam ac Zacchariam, numeratur. Quæ Zaccharias habet cap. X, 2. ſunt: *Etenim Idola* [Theraphin] *ipſa, vana locuta ſunt, & Divini mendacia viderunt, Somnia inania locuti ſunt. &c.*

Jeremias autem cap. XXIII, 25. &c. ita loquitur: *Audivi plane, quæ dicant Prophetæ prophetantes mendacium in nomine meo, dicentes, Somniavi, Somniavi. . . . . quorum conſilium huc tendit, ut populum meum Somniis ſuis, quæ quiſque proximo ſuo recenſet, in oblivionem nominis mei trahant*, &c. Et cap. XXVII, 8. (uti & cap. XXIX.) admonet Judæos; ne Somniatoribus ſuis fidem habeant: ac ſimul non obſcure indicat, Iſraëlitas Idololatricos ſuos etiam habuiſſe *Prophetas Somniatores*, qui pro ipſis (ſive in Templis, ſive in ſepulchris mortuorum, ſive alibi, aut pellibus, aut aliis rebus ſubſtratis) *Somniarent, ſuorumque Somniorum* [quod & apud Ethnicos Græcos, alioſque obtinebat] *Explanationes*, ratione bonorum malorumque eventuum, redderent iſtis hominibus, qui ut *pro ipſis Somniarent*, atque inde *vaticinarentur*, curaverant. Hinc enim iſta verba: *Ne ſeducant vos Prophetæ & Divini veſtri: neque attendatis ſomniis veſtris, quæ vos ſomniare facitis.* Hebræa ſunt: ואל תשמעו אל הלמתיכם אשר אתם מחלמים

Minime omittenda ſunt illa quæ Moſes, ex mandato Dei, ad populum Iſraëliticum locutus eſt, eo quod aliquid contineant, ad quæ ut bene advertamus animum, mea quidem ſententia, neceſſe eſt: habentur autem illa Deuter. Cap. XIII. v. 1. &c. כי יקום בקרבך נביא או חלם חלום ונתן אליך אות או מופת: ובא האות והמופת אשר דבר אליך לאמר נלכה אחרי אלהים אשר לא ידעתם ונעבדם: לא תשמע אל דברי הנביא ההוא או אל חולם החלום ההוא כי מנסה יהוה אלהיכם אתכם לדעת הישכם אהבים את יהוה אלהיכם בכל לבבכם ובכל נפשכם:

Si ſurrexerit in medio tui Propheta, aut qui Somnium ſomniet [vel ut alii vertunt, *aut qui Somnium vidiſſe ſe dicat*] *dederitque tibi aut ſignum, aut portentum, eveneritque ſignum & portentum, quod prædixit tibi, atque is dixerit, Eamus poſt Deos alios (quos non noviſti) & ſerviemus eis: Non audies verba Prophetæ illius, aut ejus qui Somniaverit hujuſmodi Somnium:* QUIA TENTAT VOS DOMINUS DEUS VESTER, NUM SITIS AMANTES DOMINI, *&c.*

Hic certe (præter Somnia illa Divinitus immiſſa, quorum multa in S. S. mentio) duplicis generis Somnia nobis veniunt conſideranda 1. illa de quibus Jeremias modo locutus fuerat, cap. 23. hic ſuperius memorato; ubi & addiderat: *Ecce ego contra Prophetantes Somnia falſa* [חלומות שקר] quaſi *dictum Jehovæ; qui enarrantes ea ſeducunt populum meum mendaciis ſuis, & futilitatibus ſuis* [בשקריהם ובפחזותם] Gr. [ἐν τοῖς ψεύδεσιν αὐτῶν, καὶ ἐν τοῖς πλάνοις αὐτῶν] *cum ego non miſerim eos, neque præceperim eis, &c.* quod ſcilicet propriis ſuis verbis loquerentur (ut verſu præcedenti innuit) & tamen prætenderent Verbum Dei. Ubi tamen nulla mentio Diaboli, vel Somniorum Diabolicorum; uti neque in tota S. Scriptura.

II°. Generis erant illa, quæ quidem non plane conficta ſed revera (ſeu tota, ſeu pro parte aliqua) Divinitus immiſſa erant etiam Pſeudoprophetis, iiſque & quandoque adjuncta Signa, per quæ veritatem ſuarum ex *Somniis* iſtis prædictionum demonſtrare prætendebant: dum interim per hujuſmodi *Somnia* (uti Deuteronomii verbis patet) *ipſe Dominus Deus tentaret populum ſuum.*

Sic enim & *Spiritum mendacii indidit ori Prophetarum Baalis* (I Reg. XXII.) ut Achab per *falſos* iſtos *Prophetas* deceptus rueret temere in exitium, quod Deus ipſi, in pœnam meritam horrendæ ipſius Idololatriæ, paraverat; ac quod ipſi jam antea deſertis verbis per veros, ſeu Dei Verba loquentes,

tes,

tes, Prophetas prænuntiaverat. Ac ſicut per talia quandoque *tentabat pios ac probos, an ſtabiles, an Amantes Dei eſſent, ac permanerent, &c.* Sic & puniendi, aut tentandi gratia, *Spiritus malus ab ipſo (Domino Deo) immittebatur hominibus.* Ita enim *Spiritus Malus a Domino in Saulem irruebat ac turbabat eum* [I Sam. XVI. v. 14. XIX. v. 9.] Qui Spiritus ſi fuerit, uti tam multi volunt, *Diabolus*, dicendum fuerit aliquem *Diabolum Dei* hunc Saulem divexaſſe: atque adeo duplicis generis *Diabolos*, forſan, ſtatuere cogemur; imo & triplicis, ſi ex vulgari opinione loqui velimus: ac I°. quidem *Diabolos* Dei; ut qui Deo familiares ipſius adſtant Throno (quod abſit ut ſerio cogitemus!) ac qui Conciliis ipſius, ſuper ſalute atque interitu hominum, interſint; atque, ut *Diræ ultrices a ſolio Jovis poetarum*, ſic hîc a Deo Opt. Max. ad homines demittantur. II°. *Diabolos infernales;* qui inde non, niſi a Sagis ac Magis carminibus (ac pactis quibuſdam, uti perhibetur) exciti comparent. Qui tamen ſi Sacræ Scripturæ ſuus honos atque Auctoritas (uti quammaxime debet) conſtabit, ibi *catenis tenebrarum Vincti reſervantur ad diem judicii.* III°. Qui, ut per *Aërem divagantur* ibique Dominantur, ita & inde homines aggrediuntur iſtos, in quos aliquid ſe poſſe perpetrare ſperant.

Nihil interim eſt quod hic nos ad *Diabolum, damnatum iſtum Spiritum*, atque in ima Tartara detrurſum, confugere cogat. Quod oſtendit ſatis bene, in Commentariis ſuis, Corn. a Lapide, ubi ad I Sam. XVI. v. 14. ita loquitur: *Quæres, Quis fuerit hic Spiritus nequam exagitans Saulem? Hebræi, Joſephus, Cajetanus. Geneb. in Chron. anno mundi 3066. Delrio lib. 3. Mag. c. 4. cenſent fuiſſe atram bilem, ſive Melancholiam ac Maniam, quæ Sauli triſtes creabat imagines, furores, deliria, amentias: Hæc enim concepit ex eo, quod vidit ſe a Deo rejectum & a Samuele Regno privatum.* Quæ

tum

tum argumentis & exemplis firmat, licet & alias afferat opiniones.

Idem ſentiendum eſt de loco hujus Sam. cap. XVIII. v. 10. ubi & additur, ipſum *Saulem* quoque *Prophetaſſe*. Ad quæ verba Vatablus notat: *Prophetare dicuntur Stulti, i. abſurda effutire, quod non intelligant illa quæ dicunt; quemadmodum Prophetæ abſurda & ridicula videntur dicere iis qui Spiritu Dei carent, ſine quo non poſſunt intelligere. Chaldæus Paraph. deſipiebat* I. *more deſipientium aliena atque abſurda loquebatur. Sic cum Munſtero quoque Grotius: Chaldæus, & inſaniebat, Kimchi, loquebatur verba inſaniæ.* poſt quos quoque Celeberrimus J. Coccejus, ad eundem locum de hoc Spiritu (in lexico ſuo) habet: רוח אלהים רעה *Spiritus Dei malus* i. e. *Contriſtans & accuſans.* Sic videmus etiam Num. V. v. 14. רוח קנאה *Spiritum Zelotypiæ* & Eſ. XXIX. v. 10. רוח תרדמה *Spiritum Soporis.* Neque aliter (mea opinione) explicandus Zach. cap. XIII. v. 2. ubi habetur, רוח הטמאה *Spiritus impuritatis, ſive immunditiæ,* vel *impurus* vel *immundus*. Ad quæ verba hinc Druſius: *Spiritum immunditiæ ſive impuritatis vocat motum in animi noſtris a Spiritu immundo h. e. Satana excitatum. Vel intelligit impuram Pſeudoprophetarum doctrinam a Spiritu immundo profectam. In Scholiis Ebraicis habetur, Spiritum immunditiæ* I. יצר הרע Figmentum hominis malum. *Senſus eſt cupiditas ejus prava & inclinatio ad peccatum quæ ei adnata.* Quibuſcum quoque convenit Fr. Junius, quatenus capitur pro Doctrina mala: ita ut nihil hic fuerent Diabolicum, niſi quatenus *Omne malum a Diabolo.*

Et certe potuit aliàs Deus Omnipotens ille, non mediante Diabolo, cum tot Angelos habeat ſibi miniſtrantes, punire homines inſania aliiſque pravis affectibus; quod is ille ſit, qui ipſam animam formavit; nec ſolis inſomniis tentare homi-

mines; verum & per Angelos suos (non Diabolos) & peste, & occidione, & cœcitate & aliis plurimis malis, aut in Tentationem, aut in pœnam (quam dirissimam ipse experitur atque ulterius experietur Diabolus) illis iram suam e cœlo ostendere.

Verum, ut redeamus ad *Insomnia*, consideremus istud quod *Nebuchad-nezar* somniavit. Dan. cap. II. ubi verba textûs habent: *Anno secundo regni Nebuchad-nezar, habuit Nebuchad-nezar somnia, varièque animus huc atque illuc agitatus est, & somnus ejus destituit ipsum. Jussitque Rex vocare Magos & Sophos, & Maleficos, & (Chaldæos* [לחרטמים ולאשפים ולמכשפים ולכשדים] *qui Regi sua somnia referrent. Qui venientes steterunt ante Regem. Dixit autem illis Rex ipse: Vidi somnium & variè animus meus huc & illuc est agitatus, ut scirem istud somnium. Et Chaldæi Regem allocuti sunt Linguâ Syriaca: Rex æternum vivito, narra somnium servis tuis, nosque interprætationem reddemus. Rex respondens Chaldæis, inquit, res ipsa mihi excidit, & nisi mihi somnium indicaveritis, ejusque interpretationem, frustulatim conficiemini, domusque vestræ detestabiles reddentur: sin exposueritis somnium & ejus conjectationem, a me accipietis munera & donativa, & magnum honorem: quocirca exponite mihi somnium & conjectationem. Responderunt iterum, dicentes, Rex narret somnium servis suis, nosque interpretationem reddemus.* [*Quibus*] *responsus Rex inquit, planissime intelligo vos captare commodius tempus, cum cernatis rem excidisse mihi. Nisi mihi somnium indicaveritis una de vobis stat sententia; quod proposueritis sermonem falsum, & cum scelere conjunctum, ante me dicere, donec se alius rerum status offerat. Quamobrem narrate mihi somnium, & intelligam vos posse interpretationem ejus interpretari mihi. Ad quæ Chaldæi coram Rege ita rosponderunt: Non est homo in terris qui possit nego-*

gotium Regis exponere : nullus enim Rex magnus aut Princeps ejusmodi rem postulavit ab ullo Mago, aut Sopho, aut Chaldæo. Est autem res maximi momenti quam Rex postulat ; neque poterit quisquam alius Regi exponere quam DII, QUI MINIME VERSANTUR INTER MORTALES.

Unde postmodum etiam ipse Daniel Regi : *Arcanum quod rogavit Rex, non potuerunt Sapientes, Sophi, Magi, Fatidici, explicare Regum. Verum existit* IN COELO DEUS *aperiens arcana, qui ostendit Regi Nebuchad-nezar, quid posteris temporibus futurum sit.*

Circa hæc verba, igitur, Danielis notandum I°. Deum ipsum hoc Somnium Regi Nebuchadnezar immisisse: uti clarè ex versu 28. constat.

II°. Oblitum fuisse hunc Regem totum id quod somniaverat Somnium : ac propterea non solam ejus explicationem, verum & ipsius Somnii rememorationem a Vatibus suis petivisse.

III°. Vates hos τὸ ἀδύνατον istius rei proposuisse, atque inde a Rege petivisse Somnii narrationem ut sic explicationi ipsius incumbere, eamque pro voluntate Regis perficere valerent : eo quod nemo hoc, aut tale quid, enodare sic posset.

Videtur interim, Regem aut solitas ipsis fraudes imposturasque cognovisse, aut ex ipsorum super hâc re tergiversatione in suspicionem adductum ; atque hinc, hac tam in insigni occasione data, experimentum capere voluisse, de viribus ac potestate hujus artis Divinatoriæ ; quam hi aliàs ad Deos vel Dæmones hos illosve (qui talia ipsis revelarent) referebant ; ac quos tamen hîc minime in scenam producere audebant.

Et tamen aliàs hujusmodi impostores, tantum cum Dîs commercii se habere prætendebant, ut, obsignatis Tabellis indormientes, responsa a Dîs acciperent ad illa quæ in ipsis sic oc-

occulte continebantur; atque ita se ad hominum cogitata sibi plane ignota respondere, iisque aut bona & mala quæ *futura* essent *revelare*, aut *deperdita indicare*; adeoque & in cogitationum intima penetrare, ope sive Deorum sive Dæmonum: quos in Diabolos transmutarunt primorum seculorum Christianismi Scriptores, ipsisque tales ac tantas adscripsere potestates.

Unde & Tertullianus Apologetici cap. 22. de Diabolis: *Sciunt Crœsi, sciunt Pyrrhi. Cæterum testudinem decoqui cum carnibus pecudis, Pythius eo modo renuntiavit, quo supra diximus: momento apud Lydiam fuerat*, &c.

Dicunt interim hi Vates, *Solos Deos hæc Regi posse exponere*: ac quales? *qui minime* (ajunt) *versantur inter mortales*: hoc est, si quid bene judico, quibus nulla ejusmodi rerum communicatio, imò nulla ejusmodi commercia, cum hominibus (qualia de Dis ac Dæmonibus suis confingebant Ethnici tam Barbari quam Græci ac Romani) intercedunt. Nullum igitur tempus aut spatium cogitandi super istâ re sibi sumunt; ut sub eo prætextu, Diabolicis artibus elicerent illa, quæ sic in præsenti minime explicare poterant: quamvis Rex existimaret, ipsos effugium sibi quærere tempus procrastinando; dum forte sic Rex aut ipse Somnii reminisceretur, aut curam illud sciendi abjiceret, aut saltem aliqua interea se proderet occasio, qua expiscari possent quid Rex sic somniaverat.

IV°. Id quod illi causabantur coram Rege, id idem quoque postea ipse Daniel causabatur; *nullos*, nempe, *Astrologos, Vatesve alios*, ibi nominatos, *rem istam posse explicare*: *verum solum hoc posse Deum illum, qui in cœlis habitat atque aperit arcana.*

Non provocant igitur isti *Vates Chaldæi* ad *Dæmones;* neque Daniel ipsos ut commercium cum Dæmonibus habentes arguit: verum id de Deo Opt. Max. testatur, quod ipse

Deus de se per Prophetas (ipsius Spiritu actos) perpetuo testatus est; *se*, scilicet, *esse eum qui solus facit mirabilia; qui Solus præterita, præsentia ac* FUTURA *novit qui solus cogitationes hominum novit*, &c. uti fuse satis ac clare ostensum est in prima parte hujus operis, capite primo.

Quam bene autem hujusmodi Somniorum Interpretes inter se convenirent, dum de futurorum eventibus pronuntiabant, ostendunt nobis, quamoptime Q. Curtius & Cicero; quorum primus libro tertio cap. 3. hæc affert: *Anxium de instantibus curis, agitabant etiam per somnium species imminentium rerum: sive illas ægritudo, sive Divinatio animi præsagientis accersit. Castra Alexandri magno ignis fulgore collucere ei visa sunt; & paulo post Alexander adduci ad ipsum in eo vestis habitu, quo ipse fuisset, equo deinde per Babylonem vectus, subito cum ipso equo oculis esse subductus. Ad hæc Vates varia interpretatione curam distrinxerant: alii lætum id Regi somnium esse dicebant, quod Castra hostium arsissent, quod Alexandrum, deposita regia Veste, in Persico & vulgari habitu perductum esse vidisset. Quidam non ita augurabantur: quippe illustria Macedonum castra visa fulgorem Alexandro pertendere, quem Regnum Asiæ occupaturum esse, haud ambigere: quoniam in eodem habitu Darius fuisset, cum appellatus est Rex. Vetera quoque omina, ut fit, sollicitudo revocaverat. Darium enim in principio Imperii Vaginam acinacis Persicam jussisse mutari in eam formam, quâ Græci uterentur, protinusque Chaldæos interpretatos, Imperium Persarum ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus. Cæterum ipse & Vatum responso, quod* [NB] *edebatur in vulgus, & specie, quæ per somnum oblata erat, admodum lætus, castra ad Euphratem moveri jubet.*

Cicero autem, sub finem libri secundi de Divinatione (ubi eximie contra insomnia eorumque Interpretes disputat) sic inter alia loquitur: *Quid? ipsorum Interpretum conjecturæ,*

non-

nonne magis ingenia declarant eorum, quam vim consensumque naturæ? Cursor ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarum vehi. Mane ad Conjectorem. At ille, Vinces inquit. Id enim celeritas significat, & vis equorum. Post idem ad Antiphontem. Is autem, Vincare, inquit, necesse est. An non intelligis quatuor ante te cucurrisse? Ecce alius Cursor (Atque horum Somniorum plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri, sed ad Cursorem redeo). ad Interpretem detulit, aquilam se in somnis visum esse factum. At ille, Vicisti, istâ enim avi volat nulla vehementius. Huic eidem Antiphon. Tu vero, inquit, te victum esse non vides? ista enim avis insectans alias, & agitans, semper ipsa postrema est. Parere quædam Matrona cupiens, dubitans esset ne prægnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam; retulit. Negavit eam, quoniam obsignata fuisset, concipere potuisse. At alter prægnantem esse dixit. Nam inane obsignari non solere. Quæ est ista ars Conjectoris, eludentis ingenio? an ea, quæ dixi, & innumerabilia, quæ collecta habent Stoici, quidquam significant, nisi acumen hominum, ex similitudine aliquâ, conjecturam modo huc, modo illuc ducentium? &c.

CAP. IV.

De Judæorum קוסמים Kosemim, Sortilegis & Sortibus. *Quid S. Scriptura, quid Judæi de iis tradant. De Gentilium* Sortilegis *ac* Sortibus, *cum in Templis Fatidicis, tum in aliis locis, seu publicis (uti in Circo, in Triviis, alibique, apud Romanos imprimis,) seu privatis (per vicos, per domos ac familias aliterve) consultis.* De Sortilegiis *Christianorum; qui, uti Gentilium sæpe Sortile-*

tilegiis addicti essent, *sic &* Christianas (*quasi*) Sortes *excogitarunt*, *ex* libris Biblicis, *ex* lectione Diaconi *in Ecclesia*, *ex* Sono aliquo incognito (*ad æmulatiouem*, *puto*, בת קול *seu* Filiæ vocis *Hebræorum*) *aliisque. De Vatibus* Centurionibus, *similibusque aliis Agyrtis*; *qui Ursos aliave animalia quæstûs gratia* (*sub Religionis tamen prætextu*) *circumducebant. De bestiis Divinandi artem edoctis. De Impostoribus Fatidicis apud Romanos*, *&c.*

Qui inter præstigiatores Idololatricos generali magis nomine notantur sunt illi qui Deuterom. cap. XVIII. v. 10 & 14. appellantur קוסמים Kosemim: ubi Sacer textus habet קוסם קסמים; quibus tunc subjungit מעונן ומנחש ומכשף: ubi vulgata versio habet: *Nec Divinus qui Divinando futura prædicit; nec Mathematicus, nec Veneficus, nec Maleficus.*

Generali magis interpretatione vocatur קוסם קסמים *Divinans Divinationes*: ubi Onkelos Paraphrastes (uti pene semper) verbum verbo reddens, habet קוסם קסמין. neque ex Solo Rabbi David de Pomis (in Lexico;) verum & in ipsa S. Scriptura, in multiplici sumitur significatione: unde & prætensi LXX. Interpretes hîc non male verterunt μαντευόμενος μαντείαν. Namque & λεκανομαντείαν, & ῥαβδομαντείαν & κατοπτρομαντείαν, & γενεθλιακὴν & κληδονισμοὺς seu *Sortilegia*, & plura alia *Divinationum genera*, comprehendit. Unde & ita late sumitur (ex gr.) II Reg. XVII. v. 17. Ezech. XIII. v. 6. 9 & 23. XXI. v. 26 & 34. XXII. v. 28. Jerem. XIV. v. 14. Michæ. III. v. 11. aliisque pluribus in locis.

Hoc tamen Deuteronomii loco, non pro quacunque Divi-

vinationis specie sumi ostendunt satis verba sequentia, per quæ aliæ, ac quidem singulares Divinationum species denotantur: unde & Vulgata hîc reddit: *Qui Hariolos sciscitetur.* atque ad hæc verba קוסם קסמים, Munsterus Hebraicæ linguæ callentissimus hæc sequentia optime notat: *Per* קוסם *quidam intelligunt* בודק *Experimentatorem, qui* SORTILEGIO, *aut stipulatione, investigat, num bonum sit iter arripere, aut opus aliquod inchoare. Alii putant esse generale vocabulum ad omnium Divinationum species.* Idem, interim, Munsterus hîc vertit: *Exercens Sortilegia.*

Ita, ut quamvis & in bonam partem quandoque sumatur; atque in malam partem pro *Divino*, pro *Hariolo*, pro *Mago* atque etiam pro *Mortuos consulente,* sumatur (uti constat ex I Sam. cap. XXVIII. קוסמי לי באוב) sic tamen hic pro singulari *Divinationis* specie, quæ ab omnibus reliquis discriminatur. Quod & fit in aliis Sacræ Scripturæ locis.

Qualesnam igitur fuerint istæ *Divinationes* quandoque per קסם, vel potius, quot species Divinationum sub קסם comprehendantur, non quidem accuratissime definiri queat. Verum si Arabas consulamus [testante id saltem Edm. Castello in Lexico suo Heptaglotto, pag. 3391. ubi & [NB] pro *distributione sortium* sumitur, uti, in genere, aliàs pro *divisione* ac *distributione*] ac si consulamus R. Mos. Maim. videbimus ipsum, cap. XI. sect. VI. *Havoda Sara,* ita loqui:

איזהו קוסם זה העושה מעשה משאר המעשיות כדי שישוב ותפנה מחשבתו מכל הדברים עד שיאמר דברים שעתידים לחיות ויאמר דבר פלוני עתיד להיות או אינו הווה או שיאסר שראוי לעשות כן הזהרו מכך:

& Sectione Septima:

יש מן הקוסמים שמשמשים בחול או כאבנים ויש מי שנוהר לארץ וצועק ויש מי שיסתכל במראה של ברזל או בעששית ומדמין ואומרים ויש מי שאוחז מקל בידו ונשען עליו ומכה בו עד שתפנה מחשבתו ומדבר

ומדבר הוא שהנביא אומר עמי בעצו ישאל ומקלו יגיד לו:
Cujusmodi est קוסם [*Divinator*] ? *qui hoc vel illud agit cogitationibus, nulli intentus rei, donec futura prædixerit, statuendo hoc vel illud futurum; aut istoc vel aliud facere oportere. A cujusmodi cavendum nobis.* Et Sect. VII. *Sunt inter* קוסמים [Divinatores] *qui utantur* ARENA *vel* LAPIDIBUS : *sunt item*, *qui* HUMI PROCUMBENTES: *alii etiam qui* SPECULUM FERREUM, *vel* VITREUM VAS *inspiciunt*, *ac*, *ubi secum cogitarunt proloquantur. Sunt itidem qui* ARREPTO IM MANUM *baculo eidem innitantur*, *moxque terram percutiant*, *donec cogitata proferant. De hoc Propheta ait* : *Populus meus lignum suum consulit*, *ut Baculus ejus indicet ipsi.* Ad cujusmodi Divinationum species & *Rabdomantia*, & λεκανομαντεία, & κατοπτρομαντεία, & κοσκινομαντεία, pluresque aliæ cæterorum Gentilium (vel Gentilibus Divinationibus deditorum) artes ac fraudes pertinent.

Dum ulterius de *Sortilegiis* loqui pergo, conveniret quidem melius, me hîc de solis istis loqui *Sortibus*, quæ per *Sortilegos* extra Oraculorum sedes aut Templa legebantur. Verum quia hæc cum illis tam eædem sunt, ut ipsorum tractatio vix, ac ne vix quidem, ab invicem separari queat, ambas istas *Sortium* species, hic permixtim tractabo.

Inter illas igitur quæ ex Templis Fatidicis (quæ perplurima erant, unde & necesse erat tam diversa ac multiplicia Divinationum genera excogitare) edebantur, erant *Sortes Lyciæ*, *Prænestinæ*, *Antiatinæ*, *Patavinæ* (seu quæ ad Aponi fontem, prope Patavium legebantur) *Herculeæ* (Tiburi nempe, prope urbem,) *Dodonææ*, *Dindymenæ*, & *Cæritanæ;* aliæque plures aliis in locis.

Sic & in Spelunca Herculis ad Buram Achaicam *Sortes* quoque *Herculeæ* edebantur : de quo Hercule Buraico, ipsiusque Sortibus, ita Pausanas, in Achaicis loquitur:

Qui

Qua ad mare ex Bura descenditur amnis est Buraicus nomine, & in [proxima] *speluncâ non ita magnum Herculis signum: Buraico & ipsi cognomen.* ORACULI SORTES CAPIUNTUR EX TABULA PER TALOS. *Qui consultum venere, peccatione ad signum peractâ, votisque nuncupatis, talos, (quorum in promptu est copia ad Herculis signum) quatuor sumentes, eos jaciunt super mensam. Inscripti sunt certis notis tali singuli : earum illi notarum interpretationem in tabula,* (similitudinem secuti,) *requirunt.* Græca verba sunt : Καταβάντων δὲ ἐκ Βούρας ὡς ἐπὶ θάλασσαν, ποταμός τε Βουραϊκὸς ὀνομαζόμενος, καὶ Ἡρακλῆς οὐ μέγας ἐστὶν ἐν σπηλαίῳ· ἐπίκλησις μὲν καὶ τούτου Βουραϊκός. Μαντείας δὲ ἀπὸ πίνακί τε καὶ ἀστραγάλοις ἐστὶ λαβεῖν. εὔχεται μὲν γὰρ πρὸ τοῦ ἀγάλματος ὁ τῷ θεῷ χρώμενος, ἐπὶ δὲ τῇ εὐχῇ λαβὼν ἀστραγάλους (οἱ δὲ ἄφθονοι παρὰ τῷ Ἡρακλεῖ κεῖνται) τέσσαρας ἀφίησιν ἐπὶ τῆς τραπέζης. ἐπὶ δὲ παντὶ ἀστραγάλῳ σχήματα γεγραμμένα ἐν πίνακι ἐπίτηδες ἐξήγησιν ἔχει τοῦ σχήματος.

Notabilia admodum sunt quæ Cicero habet, lib. 2. de Divinatione, de *Sortibus Prænestinis*, hisce verbis : *Quid enim Sors est? idem propemodum quod* MICARE, *quod* TALOS JACERE, *quod* TESSERAS; *in quibus temeritas & casus, non ratio, nec consilium valet. Tota res est inventa fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. Atque ut in Haruspicina fecimus, sic videamus clarissimarum Sortium quæ tradatur inventio. Numerium Suffìcium Prænestinorum monumenta declarant, honestum hominem & nobilem, somniis crebris, ad extremum etiam minantibus, cum juberetur certo loco silicem cædere, perterritum visis, irridentibus suis civibus id agere cœpisse : itaque perforato saxo Sortes erupisse, in robore insculptis priscarum literarum notis. Is est hodie locus septus religiosè propter* JOVIS PUERI, *qui lactens cum Junone in gremio Fortunæ, mammam appetens, castissimè colitur*

tur à matribus. Eodem tempore illo loco, ubi nunc Fortunæ ſita ædes eſt, mel ex olea fluxiſſe dicunt, haruſpiceſque dixiſſe, ſummâ nobilitate illas Sortes futuras, eorumque juſſu ex illa olea arcam eſſe factam, in eàque conditas Sortes, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur. Quid igitur in his poteſt eſſe certi, quæ Fortunæ monitu PUERI MANU *miſcentur atque ducuntur? &c.*

Fortunæ monitu ait Cicero: quod hic ſane notandum. Quippe ſimulachrum Fortunæ Præneſtinæ, proculdubio eodem (aut fere) modo, quo apud Antium Fortunarum ſimulachra promovebantur, poſt preces, &c. conſulentium, movebatur, uti ex Macrobio diſcimus. Quo quaſi miraculo monebat Dea, Sortes eſſe movendas: Poſt quæ tum puer, ad id officium conſtitutus, illas permiſcebat, & ſic poſt commiſtionem extrahebat. Verba Macrobii (quæ inferius latiùs explicabuntur) hæc ſunt, inter alia, ubi libro I. Saturnalium de Deo Heliopolitano loquitur: *Vehitur enim ſimulachrum* DEI HELIOPOLITANI *ferculo, uti vehuntur in Pompa ludorum Circenſium deorum ſimulachra: & ſubeunt plerumque Provinciæ proceres raſo capite longi temporis caſtimonia puri; feruntque divino ſpiritu, non ſuo arbitrio, ſed quo Deus propellit, vehentes: ut videmus apud Antium promoveri ſimulachra* FORTUNARUM *ad danda reſponſa.* Niſi forſan hæc Dea Præneſtina aut nutu capitis, ut Jovis Ammonis ſimulachrum (teſte Strabone) aut alio viſibili ſigno, indicaret quando Sortes eſſent movendæ. In Præneſtino hoc templo etiam *Sortes* deſumptæ prius ex arcâ in quâ ſervabantur, atque in urnam aut ſitulam injectæ, manu pueri miſcebantur, ac poſtea extrahebantur, vel, ut Cicero loquitur, ducebantur: ut ſcilicet eo minor fraudis eſſet ſuſpicio, cave eo minus conſulentibus ſubeleſceret. Cum in Bura ex majori acervo tantum quatuor numero deſumptæ projicerentur

tur in tabulam ſive literis, ſive aliis notis, ſolis Sacerdotibus quæ cognitæ eſſent, depictam (ſive verbis quibuſdam, ſive notis Hieroglyphicis, ſive aliis quibuſdam etiam vulgò notis,) ut quæ à talis contactæ eſſent, ſimul colligerentur, iique Sacerdotes inde, ex ſignis inter ſe compoſitis, *Sortes* ſive Oracula redderent conſulentibus. Fortuna Prænestina vocabatur (uti notum eſt ex Inſcriptionibus pluribus Præneſtæ inventis) aut ſimpliciter *Primigenia*, aut additis etiam Epithetis quandoque *Jovis Pueri*, aut *Jovi puero*. Sic pag. 76. apud Gruterum, num. 6.

FORTUNAE
PRIMIGENIAE
IOVI. PUERO
EX. TESTAMENTO
TREBONIAE
SYMPHERUSAE
P. ANNIUS. HERMA
HERES
L. D. D. D

Item, Num. 7.

FORTUNAE
JOVIS. PUERI
PRIMIGENIAE
D. D.
EX. SORTE. COMPOS
FACTUS
NOTHUS. RUFICANAE
L. F. PLOTILLAE

Notiſſima quoque eſt fabula, Jovem, Neptunum ac Plutonem adhuc Juvenes ac pœnè pueros, poſt expulſum è ſolio

lio Patrem; divisisse universi imperium, atque eorum unumquemque nactum partem quæ ex *Sorte* ipsi obveniret, Jovemque inde accepisse Cœli ac terræ imperium. Unde Jovis proculdubio ac Junonis simulacra in Gremio Fortunæ, isque honor Fortunæ datus ut sit *Jovis*, seu *Jovi*, *Primigenia*, per eamque *Sortes* atque Oracula regi crederentur: ut cujus beneficio Jupiter summum sit adeptus imperium. Verùm hæc in transitu; neque ut certissima aliis ista obtrudere velim. Sed denuo ad rem. In Gerionis Oraculo videntur *Sortes* fuisse non ex urnâ effusæ, sed etiam, ut Prænestæ, manu extractæ, ex verbis hisce Suetonii: *Tiberius juxta Patavium adiit Geronis Oraculum* SORTE TRACTA, &c. Sed verisimile admodum est hasce artes longè diversas fuisse pro diversitate locorum atque ingeniorum istorum hominum, qui aut primi earum Sortium inventores fuerant, aut iis, earumque consultationibus, præerant: ita ut hîc aut illic traherentur ex urnâ; alibi vero ejicerentur. Unde & formula illa loquendi *Sors excidit* (κλῆρος ἐξέπεσε apud Græcos) ortum habet. Sic Livius lib. XXII. inter alia, quæ de prodigiis eo tempore factis narrat, ait (an de Antiatinis loquatur paulò obscurius est, quamquam admodum verisimile sit, ex verborum circumstantiis) *in Antiate metentibus cruentas in corbem spicas cecidisse: & Faleriis cælum findi visum, velut magno hiatu; quaque patuerit, ingens lumen effulsisse:* SORTES *sua sponte* ATTENUATAS, *unamque* EXCIDISSE *ita scriptam:* MAVORS TELUM SUUM CONCUTIT. Extæniatas optimè Lipsius emendat: cujus rationes vide (mihi saltem, optimas) libro II. Elect. cap. XII.

Nec mirum hoc in Antiate vel Faleriis, locum habuisse: cum & in Templo Prænestino quandoque tales *Sortes* exciderent, de quibus paulo inferius adhuc dicendi locus erit. Hinc quoque loquendi formula *tollere Sortes*, quæ tamen etiam de talis aut schedulis, aut aliis instrumentis paratis in hanc

hanc rem, atque in tabulam conjectis, dum inde aut à consulente Deum, aut à Sacerdote tollerentur, usurpabatur. Quod vero & quandoque sive è gremio aut pulvinari Deorum, sine ex urna aut situla, aut alius generis vase (quæ tamen & ipsa, aut gremio, aut pulvinari imponi per Antistites potuerant) in solum *exciderent*, aut in mensam subjacentem simulachro istius Dei cujus excidebant *Sortes*, ac per ipsos Oraculi consultores tollerentur, mihi admodum verisimile est: cum interim, arte ac machinationibus, dictorum Antistitum, post varios ritus ac circumstantias, verè imposturas, quibus attentior horum actuum consideratio in consulentibus impediretur, inde eliderentur. Quod præcipuè puto locum habuisse in verbis ac versibus, qui aut foliis, aut membranis, aut chartulis, aut aliæ materiæ inscriptæ sic prodibant. [De membranis inscriptis notabilis locus extat apud Augustinum, libro 83. quæst. 45. *Cum autem multa vera eos prædixisse dicatur; ideo fit, quia non tenent homines memoriâ falsitates erroresque: sed non intenti nisi in ea, quæ illorum responsis provenerunt, obliviscuntur; & ea commemorant, quæ non arte illâ, quæ nulla est, sed quâdam obscurâ rerum* SORTE *contingunt: quod si peritiæ illorum volunt tribuere: dicant artificiose divinare etiam mortuas* MEMBRANAS *scriptas quaslibet, de quibus plerumque pro voluntate* SORS *exit.*] Huc puto respicit inscriptio, quam exhibet Gruterus Thesauri sui pag. CXXXII. Num. 6.

SACRO
SUSCEPTO
SORTIBUS. SUBLATIS
C. GALLIO
ATTICUS
MEDIOLANIENS

Ad verba ac versus, sive Virgilianos sive alios, transibo,

poſtquam notavero, & apud Oraculum Jovis Dodonæi, hujuſmodi *Sortes*, (ſive per talos certis quibuſdam notis, aut ſignis, aut integris etiam verbis, inſcriptos) locum habuiſſe: cum tamen nil præter columbas, aut quercus vaticinantes, aut Dodonæum æs, in omnium ore verſetur. Ita enim Cicero lib. I de Divinatione, ſub perſona Quinti fratris: *Maximum verò illud portentum iiſdem Spartanis fuit, quod cum Oraculum ab Jove Dodonæo petiviſſent, de victoriâ ſciſcitantes, Legatique* [NB] *illud in quo inerant* SORTES, *collocaviſſent: ſimia quam Rex Moloſſorum in deliciis habebat, &* SORTEIS IPSAS *& cætera, quæ erant ad Sortem parata, diſturbavit, & aliud alio diſſipavit. Tum ea, quæ præpoſita erat Oraculo, Sacerdos dixiſſe dicitur, de ſalute Lacedæmoniis eſſe, non de victoria, cogitandum.* Idem Cicero lib. 2. de Divinat. de iiſdem in Dodone Sortibus: *Simiæ verò Dodoneæ improbitatem hiſtoriis Græcis mandatam eſſe demiror. Quid minus mirum, quam illam monſtroſiſſimam beſtiam urnam evertiſſe,* SORTES *diſſipaviſſe? Et negant hiſtorici, Lacedæmoniis ullum oſtentum hoc triſtius accidiſſe.* Ubi ſalſe horum Hiſtoricorum credulitatem, imò ſtultitiam, ridet.

Addamus & hæc ſequentia, quaſi eidem incluſa parentheſi, quod ſcilicet ſimile quid huic Divinationis generi, partim & ſequenti, occurrat in Divinationibus Arabum: uti in *Specimine ſuo Hiſtoriæ Arabum* narrat Clariſſ. Eduardus Pocockius: cujus verba hic non vereor adducere, præteritis iis quæ circa diviſionem Cameli pulli; de ſagittis notatis atque in ſacculum conjectis, ſive undecim ſive pluribus; atque inde denuò extractis habet; quoniam hoc exemplum, quod adducere volui, & magis huic rei nobis propoſitæ convenit, & ſimul illuſtrandæ S. Scripturæ facit. Verba ejus igitur ſunt hæc: *Generi iſti Sortium Almaiſer (ut vidimus) appellato, affine eſt etiam alterum (cujus antea incidit mentio)*

tio) الازلام *Alazlam dictum, hac differentiâ, quod prius illud partitioni, hoc Divinationi potius inserviebat. Cujus hic fuisse perhibetur modus. Cum esset alicui, vel suscipiendum iter, vel ducenda uxor, vel aliud magni momenti negotium peragendum, sagittas, quas tres vasculo inclusas habebant, consulere solebant. Earum primæ inscriptum erat* JUSSIT ME DOMINUS MEUS: *secundæ* PROHIBUIT ME DOMINUS MEUS: *tertia autem nullâ notâ insignis erat. Harum unam manu extrahenti, si occurreret illa quæ juberet, alacri animo tanquam jubente Deo pergere, sin illa quæ vetaret, desistere; quod si* ἀγράμματος *illa, reponere, donec prodiret, quæ vel jussu præiret, vel interdicto occurreret.* Quibus post plura verba interposita idem Pocockius subjungit: *Certè quæ de hoc* βελομαντείας *genere vidimus, multum conferre videntur ad illustrandum locum istum* EZEK, XXI. 21. STETIT ENIM REX BABYLONIS IN BIVIO, IN CAPITE DUARUM VIARUM לקסם קסם קלקל בחצים שאל בתרפים. AD DIVINANDUM DIVINATIONEM, TERSIT SAGITTAS ROGAVIT IMAGINES (vel ut vulgata DIVINATIONEM QUÆRENS, COMMISCENS SAGITTAS, INTERROGAVIT IDOLA, &c.) *Ad quem quæ affert Hieronymus mire concinunt cum iis quæ de isto Arabum antiquorum more traduntur:* STABIT, *inquit*, IN IPSO COMPITO, ET RITU GENTIS SUÆ ORACULUM CONSULET, UT MITTAT SAGITTAS IN PHARETRAM ET COMMISCEAT EAS INSCRIPTAS, SIVE SIGNATAS NOMINIBUS SINGULORUM, UT VIDEAT CUJUS SAGITTA EXEAT, ET QUAM PRIUS CIVITATEM DEBEAT EXPUGNARE. *Ubi observare licet vocem* קלקל, *quæ alias* TERSIT, POLIVIT *reddi solet, ab Hieronymo notione* COMMISCENDI *explicari. Certè apud Arabes* قلقل *idem valet ac* حرك COMMOVIT *atque idem hic denotare videtur quod* جلجل *apud ipsos in descriptione Sortilegii sui, scilicet* COMMO-

VE-

VERE, *vel* AGITARE, *ut confusè commiſceri poſſint Sortes.*

Sic pluribus (nempe ſeptem) ſagittis quandoque ad *Sortilegia* uſos veteres Arabas idem Pocockius alibi (in eodem ſpecimine) oſtendit.

Hactenus Pocockius: ex quo plura, quam alias feciſſem, citavi, ut ratio quoque conſtaret, cur Hieronymus, ac verſio vulgata hîc magis explicando Ezechieli faciant, quam aliæ aliorum verſiones. Sed & quæ ex eodem Hieronymo non affert Pocockius, hic minime omittenda duco: quæ nempe ille notavit ad Hoſeæ cap. 4. quæque inde adducta heic ſequuntur: *Unde & Propheta quaſi ſtupens & mirabundus eloquitur: Populus meus, qui quondam meo vocabatur nomine,* LIGNUM [NB] INTERROGAVIT ET VIRGAM. *Quod genus divinationis Græci* ῥαβδομαντίαν *vocant. Unde in Ezechiele legimus, quod* VIRGAS *ſuas* MISCUERIT *Nabuchodnoſar contra Ammon & Jeruſalem, &* EXIERIT VIRGA *contra Jeruſalem.* Ubi Theophylactus: *Virgas duas ſtatuentes carmina quædam admurmurant: deinde virgis miniſterio Dæmonum cadentibus, conſiderant quonam utraque cadat retrorſum an antrorſum ad lævam aut dextram: ſicque tandem reſponſa dant inſipientibus, virgarum caſu pro ſignis uſi.* An vero Dæmonum miniſterio id genus Divinationis peractum fuerit, facilius hic aliquis dubitet, hancque opinionem Theophylacti credulitati ac ſuperſtitioni adſcribat. Verum iſta diſquiſitio hujus loci non eſt. Facile vero hæc per humanas præſtigias effici queant operæ pretium eſt, ut contemplemur in hoc lepido ſane exemplo.

Narrat enim Franciſcus Redus (in Experimentis ſuis circa res naturales) de Dervíſis Turcarum hæc ſequentia: *Quatuor ſagittas eligunt hi Impoſtores, & crenam unius mittentes in crenam alterius, ita junctas in pulvinari ita diſponunt, ut par unum ab altero æquidiſtet. Has, illum in modum diſpo-*

positas, duo homines, sibi invicem oppositi, utraque manu fortiter circa cuspidem teneant necesse est. Hinc utrumque par sagittarum conjunctarum, & secundum longitudinem suam extensarum, hujus vel illius imimici exercitus nomine insigniunt, & illud par quod sponte sua loco se movens, alteri opposito pari inequitat, indicio est, exercitum illum, cujus nomen gerit, futurum victorem. At vero necesse est, ut a Turca, calcaneis insidenti, ter legatur longum illud Alcorani caput, cui titulus est Iasin, i. e. O Homo! Quotquot Mahumetanorum minus callidi & magis simplices sunt, usque adeo constanter his ineptiis fidem adhibent, ut confirmandis illis manus in ignem immittere ausint. Quare ut maximam hic fraudem subesse ostenderem, aliquoties id egi, ut experimentum, rei facerent: ac ne deciperer, ipse semper sagittas tenere volui, & hic successus rei fuit, ut nunquam loco se moverint sagittæ, non sine magno præsentium Turcarum dedecore & ludibrio, qui dictum caput nugacissimi Alcorani, servatis omnibus requisitis circumstantiis, legerant & relegerant. Sed enim, quod nonnulli Occidentales adessent, qui in Oriente versantes, ceu oculati testes, huic operationi respondisse eventum assererent, occasionem mihi dederunt, ut sollicite & attentè considerarem, qua ratione hæc fraus atque hic manuum lusus fieri potuisset: nec diu me latuit artificium. Etenim, in duorum illorum, qui sagittas tenent, arbitrio positum est, quas quibus velint imponere sagittas; idque solo & insensibili pulsus & manuum motu: itaque huic joco me accingens, spectantibus multis, evidenter & politè rem peregi. Quare unus Dervisiorum, minus quam reliqui versutus, sponte sua eò descendit, ut fateretur, omnes has imposturas & fraudes in usu esse Mahumetanis, prudenti & politico consilio; ut milites, falsi sui Prophetæ persuasione de victoria certiores redditi, eò audentius pericula contemnerent. Quod si postea effectus non respondet, ut anno 1626. Assani Calafato,

fato, apostatæ Græco, & famosissimo piratæ accidit, qui non obstante hâc sagittarum incantatione, quæ victoriam ei de Pontificiâ, nec non regia Hispaniarum, & Magni Hetruriæ Ducis classe prædicebat, ab eadem circa promontorium Sardiniæ victus, & cum omni suo navali agmine captus est: Si, inquam, effectus non respondet, non desunt eis prætextus, quibus Sacrilegi hujus impostoris auctoritatem sartam tectamque conservent.

Refer & huc, Lector, dum adhuc in eadem Parenthesi te versari putas, ea quæ Tacitus de Germanis, in libro suo, de moribus hujus gentis, tradit. *Sortium consuetudo simplex; Virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputant; eosque, notis quibusdam discretos, super candidam vestem temerè ac fortuitò spargunt. Mox si publicè consulatur, Sacerdos civitatis; si privatim, ipse paterfamiliæ, precatus Deos cœlumque suspiciens, ter singulos tollit: sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eâdem re in eundem diem consultatio: sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam & hic notum, avium voces volatusque interrogare.* In qua re admodum probabile est, surculos istos inter se, postquam sublati fuerant, secundum eum ordinem, quo sublati fuerant, sibi invicem fuisse conjunctos, atque id quod inde componeretur, pro *Sorte* sive *Oraculo* fuisse habitum.

Apud Scythas (quibus proculdubio Germani ortum debent) qualis divinationis forma locum habuerit (non multum videlicet à præcedenti abludens) ita narrat nobis lib. IV. Herodotus: Μάντιες δὲ Σκυθέων εἰσὶ πολλοὶ, οἳ μαντεύονται ῥάβδοισι ἰτεΐνῃσι πολλῇσι ὧδε· ἐπεὰν Φακέλους ῥάβδων μεγάλους ἐνείκωνται, θέντες χαμαὶ, διεξελίσσουσι αὐτοὺς· καὶ ἐπὶ μίαν ἑκάστην ῥάβδον τιθέντες, θεσπίζουσι. ἅμα τε λέγοντες ταῦτα, συνειλέουσι τοὺς ῥάβδους ὀπίσω, καὶ αὖτις κατὰ μίαν συντιθεῖσι. αὕτη μέντοι ἡ μαντικὴ, πατρῴη σφὶ ἐστί. οἱ δὲ Ἐνάρεες καὶ οἱ Ἀνδρόγυνοι τὴν Ἀφροδίτην σφὶ λέγουσι μαν-

τικὴν

κὴν δοῦναι· φιλύρης ὦν φλοιῷ μαντεύονται, ἐπεὰν τὴν φιλύρην τρίχα σχίσῃ, διαπλέκων ἐν τοῖσι δακτύλοισι τοῖσι ἑωϋτοῦ, καὶ διαλύων, χρᾷ. *Apud eoſdem permulti ſunt vaticinatores, qui pluribus virgis ſalignis divinant, ad hunc modum; grandes virgarum faſces quum attulerunt, humi poſitos diſſolvunt ac ſeparatim ponentes illarum ſingulas, vaticinantur. Simulque dum hæc dicunt, virgas rurſum convolvunt (quas videlicet evolverant) & in unum componunt. Hæc eſt illis tradita à majoribus divinatio. Sed Enaries, qui & Androgyni, ajunt ſibi à Venere traditam divinationem, qui tiliæ fronde vaticinantur. Tiliam ubi quis trifariam ſciderit, digitis ſuis eam implicando ac reſolvendo tractat, atque in hunc modum vaticinatur.*

Refer huc denique quæ de Alanis habet Ammianus Marcellinus lib. XXXI. hiſce verbis comprehenſa: *Futura miro præſagiunt modo: nam rectiores virgas fœminæ colligentes, eaſque cum incantamentis quibuſdam ſecretis præſtituto tempore diſcernentes, apertè quid portendetur norunt.* Quæ omnia ſatis benè conveniunt cum ῥαβδομαντείᾳ veterum Græcorum & Latinorum, ſed longè diverſis modis (licet veriſimile ſit, ab eadem origine;) exercitâ.

Homericarum Sortium è Templis Fatidicis datarum exempla admodum notabilia videre poteſt Lector in Jovis Beli in Syria, Sortes è libro ſecundo Rhapſodiæ Homericæ petitas; ſicut etiam in Apollinis Didymæi in Mileto è libro nono.

Quin & Euripidearum Sortium è Templo, jam dicti Jovis Beli, datarum exemplum habemus: ne, ſcilicet, ſoli Epici Poëtæ tali gauderent auctoritate. Sibyllarum Sortes datæ ferè ubique occurrunt. At non ita frequenter Muſæi: ejus namque *Sortes* atque *Oracula* quoque adducuntur. Ita enim Pauſanias in Phocicis, quæ paulò altiùs repetam: τὴν δὲ πληγὴν Ἀθηναῖοι τὴν ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς οὐ μετὰ τοῦ δικαίου συμβῆναι σφίσιν ὁμο-

λογοῦσι. προδοθῆναι γὰρ ἐπὶ χρήμασιν ὑπὸ τῶν στρατηγησάντων. Τυδέα δὲ εἶναι καὶ Ἀδείμαντον. καὶ ἐς ἀπόδειξιν τοῦ λόγου, Σιβύλλης παρέχονται τῶν χρησμῶν.

> Καὶ τότ' Ἀθηναίοισι βαρύστηνα κήδεα θήσει
> Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, οὗπερ κράτος ἐστὶ μέγιστον.
> Νηυσὶ φέρει πολέμοιο μάχην καὶ δηιοτῆτα
> Ὀλλυμέναις δολεροῖσι τρόποις κακότητι νομήων.

Τὰ δὲ ἕτερα ἐκ Μουσαίου χρησμῶν μνημονεύουσι,

> Καὶ γὰρ Ἀθηναίοισι ἐπέρχεται ἄγριος, ὄμβρος,
> Ἡγεμόνων κακότητι. παραίφασιν δὲ τις ἔσται,
> Ἧι γ' ἅλις ἡμύσουσι πόλιν, τίσουσι δὲ ποινήν.

Cladem certè, quâ affecti sunt apud Ægospotamos Athenienses, dictitant illatam sibi non justo prælio, sed prætorum suorum proditione quos pecunia hostes corrupissent: [dona enim qui à Lysandro acceperant] illos Tydeum & Adimantum fuisse. Atque ejus testimonium ex Sibyllinis carminibus proferunt:

> *Ac tum Cecropidis luctum gemitusque ciebit*
> *Jupiter altitonans, rerum cui summa potestas.*
> *Navibus exitium, & crudelia funera bello*
> *Ille feret, culpaque ducum dabit omnia pessum.*

Alia verò ex MUSÆI SORTIBUS *commemorant:*

> *Et fera tempestas urgebit Cecrope cretos*
> *Fraude ducum: sed certa aderunt solatia victis.*
> *Namque urbem hostilem evertent, pœnasque reposcent.*

Porrò, de Orphei Sortibus sive λογίοις plura habet Proclus in Platonem: quæ ibi à magis curiosis indagari poterunt: licet inde excerpta H. Stephanus illa *Poësi* suæ Philosophicæ (anno 1573. excusæ) inseruerit.

Quod attinet autem ad Sibyllarum Sortes, eæ potissimum, inter

inter Græcos, apud Sortilegos locum habuisse videntur. Quum ejusmodi carmina quam plurima & per totam Græciam atque Italiam [uti jam alibi clare ostendi] dispersa venditarentur.

Non igitur solum (ut denuò revertamur in viam) per notas, sive apertas, sive occultas, talis, aliisve instrumentis, vel tabulæ seu mensæ inscriptas, aut per integra verba, sententiasve integras : (ut in exemplo ex Livio adducto vidimus,) sed & per integros versus, sive Virgilianos, sive alios, *Sortes* reddebantur. Quod & ex iis, quæ de Hadriano superius adduxi, patet, & ex jam mox sequentibus fiet manifestum. Sic enim Capitolinus in vitâ Clodii Albini hæc sequentia refert : *Quod cum ille* SORTEM *de fato suo* TOLLERET, *his versibus eidem dicitur esse responsum:*

HIC REM ROMAMAM, MAGNO TURBANTE TUMULTU,
SISTET EQUES, STERNET POENOS GALLUMQUE REBELLEM.

Sic & Lampridius de Alexandro Severo :

Huic Sors in templo Prænestinæ talis excidit, cum illi Heliogabalus insidiaretur,

---- SI QUA FATA ASPERA RUMPAS
TU MARCELLUS ERIS. ----

Ex quo posteriori exemplo videmus, & in Templo Prænestino non tantùm per talos priscarum literarum notis inscriptos, sed & per versus quoque (forsan & aliter quandoque) ac quidem Virgilianos, consulentibus fuisse responsum.

Sortes autem hæ sequentes Alexandro datæ, an è Templo Fortunæ Prænestinæ emanarint, an vero aliter ipsi obvenerint, incertum est. Imo potiùs existimem has nullo è

Templo emanâsse; priores saltem, quæ Græcè redditæ fuerunt. Sunt vero eæ quas idem Lampridius, paginis aliquot interjectis, affert hunc in modum: *Ipse, quum Vatem consuleret de futuris, hos accepisse dicitur versus adhuc parvulus: & primis quidem Sortibus,*

TE MANET IMPERIUM COELI, TERRÆQUE MARISQUE:

Intellectum est, quod inter divos etiam referretur.

TE MANET IMPERIUM QUOD TENET IMPERIUM:

Ex quo intellectum est, Romani illum Imperii Principem futurum. Nam ubi est Imperium nisi apud Romanos, quod tenet Imperium? Et hæc [NB] *quidem de Græcis versibus sunt prodita. Ipse autem quum parentis hortatu animum à Philosophia & Musicâ ad alias artes traduceret,* VIRGILII SORTIBUS *hujusmodi illustratus est,*

EXCUDENT ALII SPIRANTIA MOLLIUS ÆRA,
CREDO EQUIDEM, VIVOS DUCENT DE MARMORE VULTUS,
ORABUNT CAUSAS MELIUS, COELIQUE MEATUS
DESCRIBENT RADIO, ET SURGENTIA SIDERA DUCENT:
TU REGERE IMPERIO POPULOS ROMANE MEMENTO.
HÆ TIBI ERUNT ARTES, PACIQUE IMPONERE MOREM,
PARCERE SUBJECTIS, ET DEBELLARE SUPERBOS.

Et hæ posteriores forsan nullo è Templo redditæ fuerunt: sed à Vatibus aut *Sortilegis* (Ceretanos hodie eos vocant Itali) qui Romæ aut in Triviis aut in Circo per talia artificia simplici, ac credulo ex superstitione, illudebant popello, atque inprimis [ut adhuc hodie] pueris ac puellis, de fortuna circa conjugia sua, aut alia, nimis inconsideraté curiosis, hujusmodi impostores imponebant. Tales enim homines

nes & Homericis & Virgilianis, aliorumque versibus, usos constat, occasione superstitionis inveteratæ erga hosce maximi nominis Poëtas Homerum, Hesiodum, Euripidem, Virgilium, Ovidium; utqui & ipsi de se canerent: *Est Deus in nobis, agitante calescimus illo, &c.* sibique nomen Vatis imponerent; quasi à Musis (uti quoque perhibebant) edocti, ea quæ canebant prompsissent: præsertim cum etiam viderent in Templo Prænestino, uti & in aliis, per talium Poëtarum (saltem Virgilii) versus aut carmina, redditas *Sortes.*

Sed priusquam ad illas *Sortes*, quæ per *Sortilegos* edebantur progrediar, singularem admodum modum consulendi *Sortes*, imò & eas fabricandi, adducam ex Ammiano Marcellino: qui libro 29. & 31. tradit hæc sequentia: *Et prior Hilarius, Construximus,* [*inquit,*] *magnifici judices, ad* CORTINÆ *similitudinem* DELPHICÆ, *diris auspiciis, de laureis virgulis, infaustam hanc mensulam, quam videtis: & imprecationibus carminum secretorum, choragiisque multis ac diuturnis ritualiter consecratam movimus tandem. Movendi autem, quoties super rebus arcanis consulebatur, erat institutio talis. Conlocabatur in medio domus emaculatæ odoribus Arabicis. undique lance rotunda, purè superposita, ex diversis Metallicis materiis fabrefacta: cujus in ambitu rotunditatis extremo elementorum viginti quatuor scriptiles formæ incisæ peritè, disjungebantur, spatiis examinatè dimensis. Has linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis soccis, torulo capiti circumflexo, verbenas felicis arboris gestans, litato conceptis carminibus numine præscitionum auctore, cæremoniali scientia supersistit cortinulis:* PENSILEM ANULUM LIBRANS ARCTUM *ex Carpathio filo perquam levi, mysticis disciplinis initiatum:* [NB. Notetur hîc Dactylomanteia in Sortibus.] QUI PER INTERVALLA DISTINCTA RETINENTIBUS SINGULIS LITERIS

RIS INCIDENS SALTUATIM, HEROOS EFFICIT VERSUS INTERROGATIONIBUS CONSONOS, AD NUMEROS ET MODOS PLENE CONCLUSOS, *quales leguntur Pythici, vel ex Oraculis editi Branchidarum. Ibi tum quærentibus nobis, qui præsenti succedet Imperio, quoniam omni parte expolitus fore memorabatur*, ADSILIENS ANULUS DUAS PERSTRINXERAT SYLLABAS ΘΕΟ *cum adjectione literæ postremâ, exclamavit præsentium quidam, Theodorum præscribente fatali necessitate portendi. Nec ultra super negotio est exploratum; satis enim apud nos constabat, hunc esse qui poscebatur. Cumque totius rei notitiam ita signatè sub oculis judicium subjecisset, adjecit benevolè, id Theodorum penitus ignorare. Post hæc interrogati an ex fide* SORTIUM, *quas agitabant, ea præscierint quæ sustinerent: versus illos notissimos ediderunt, clarè pronuntiantes capitalem eis hanc operam scrutandi sublimiora citò futuram: nihilominus tamen ipsi quoque cum cognitoribus Principi cædes incendiaque flagitantes furias imminere: quarum tres ponere sufficiet ultimos.*

'Ου μὰν ἀλίμηντόν γε σὸν ἔασεται αἷμα, καὶ αὐτοῖς
Τισιφόνη βαρύμηνις ἐφοιζάσεται κακὸν οἶτον,
'Εν πεδίοισι Μίμαντος ἄϊλα καιομένοις κάε.

Libro 31. de hâc eâdem re: *Illud autem præteriri non convenit, quod eum Oraculo Tripodis, quem movisse Patricium docuimus & Hilarium, tres versus illos fatidicos comperisset, quorum ultimus est*

'Εν πεδίοισι Μίμαντος ἄϊλα καιομένοις κάε.

Hoc, ut erat inconsummatus & rudis, inter initia contemnebat; processu verò luctuum maximorum abjectè etiam timidus, ejusdem SORTIS *recordatione Asiæ nomen horrebat: ubi Erythræo oppido suppositum montem Mimanta & Homerum*

rum scripsisse, & Tullium, doctis referentibus, audiebat.

In hac historia videmus & singularem modum *Sortium*, & eas sic per privatos quandoque artibus magicis (prætensis) concinnatas: denique (quod etiam Turnebus libro 5. Adversariorum ostendit, & ex præcedentibus satis elucescit.) Vocem *Sortes* (in plurali numero,) pro tesseris, annulis similibusque sumi instrumentis, *Sors* vero in singulari, pro ipso Oraculo seu responso per *Sortes* dato, capi.

Historiam autem illam, quam Ammianus affert, paulo aliter narratur, tum a Nicephoro, tum a Cedreno, qui id per Alectryomanteriam factum fuisse narrant; ex quibus Cedrenus hæc refert: Λιβάνιος δὲ ὁ σοφιστὴς, καὶ Ἰάμβλιχος ὁ Πρόκλου διδάσκαλος, ἐποίησαν τὴν λεγομένην ἀλεκτρυομαντείαν. Γράψαντες γὰρ τὰ κδ γράμματα ἐπὶ κόνεως, καὶ ἐπιθέντες καθ' ἕκαστον γράμμα κόκκον σίτου, ἀπέλυσαν ἀλέκτορα ἐπὶ τὰ γράμματα, καὶ ἔλαβεν ὁ ἀλέκτωρ τὸν ἐν τῷ Θ κόκκον, ἔπειτα τὸν ἐπὶ τῷ Ε, καὶ Ο, καὶ τὸν ἐν τῷ Δ. καὶ ἐγένετο ἡ τούτων μαντεία ἀμφίβολος. Τοιαῦτα γὰρ τὰ τῶν τοιούτων ἀπατηλά. *Tunc Libanius Sophista, & Jamblichus Procli magister per gallum gallinaceum Divinationem instituerunt. Scribentes enim in pulvere XXIIII. elementa, ac cuivis granum frumenti imponentes, gallum eis immiserunt. atque is granum de litera Θ, item de E, de O, & de Δ abstulit, itaque ambiguam designationem reliquit: quemadmodum id genus res solent imposturarum esse plenæ.* Hoc vere *Sortilegium* erat: verum quod clam ac paucis adhibitis testibus instituebatur.

Per *Sortilegos*, *Agyrtas*, ac *circumforaneas*, ut modo monuimus, (uti per eos, hodie quos *Ceretanos* vocant Itali, exercetur, lucri gratiâ, χειρομαντεία, ac μετωποσκοπία) etiam in triviis atque aliis locis publicis, prostantes, Divinationes peragebant, ac Sortes tollebant creduli homines. Qui *Sortilegi* Romæ tamen in Circo, ad aggerem seu spinam

nam Circi, atque ibi *ad Phalas Delphinorumque columnas*, ut Juvenalis loquitur, imposturas suas ac præstigias venditabant. His erat tabella, in qua versus fatidici erant descripti, atque in ea, talorum arbitrante jactu, divinationes peragebant, quæ tabella, ut Celeber. If. Causaubonus optimè (ad Historias Augustas) notat, Græcis vocabatur πίναξ ἀγυρτικὸς, sive ἀγυρτικὴ σανίς. *Agyrtæ* enim tales vocabantur impostores, qui credulo popello, ac pueris & mulierculis inprimis, per talia, in proprium lucrum, illudebant. Hinc apud Suidam inter alia (in voce ἀγύρτης, ubi antea ἀγύρτην vocaverat μάντιν,) habemus: ἐμέμφετο αὐτοῦ τὸ ἐπὶ τὰς μαντείας ἐπτοημένον, καὶ βουλόμενον ἀεὶ τοῖς ἀγύρταις ἐπιτρέπειν τὰ οἰκεῖα πράγματα. *In ipso accusabatur quod attonitus quasi hæreret circa Oracula, ac perpetuo* AGYRTIS, *sive* SORTILEGIS CIRCUMFORANEIS *rei familiaris suæ fortunas committeret.* Iis autem quæ jam attuli illustrandis, non malè faciunt etiam quæ habent Tibullus ac Juvenalis Poëtæ. Quorum primus lib. I. Eleg. 3. ita canit:

Illa Sacras pueri SORTES *ter sustulit. Illi*
Rettulit E TRIVIIS *omnia certa puer.*

Sive quod pueris administrantibus, Sortesque, (ad imitationem Sortium Prænestinarum) extrahentibus, hæc peragerentur: sive quod puer missus à Delia ad Sortes consulendas talia ipsi nuntiaverit; [de pueris pro semetipsis consulentibus exemplum habemus in Alexandro Severo adhuc parvulo Virgilianas Sortes consulente] sive quod etiam per pueros, (uti apud nos sæpè in encæniarum festis pueri tabulas lusorias ferè ad modum antiquarum πινάκων ἀγυρτικῶν compositas exponunt ac dirigunt) eæ administrarentur. Quod non malè elici videtur ex verbis: *Illa Sacras pueri* SORTES TER SUSTULIT, quasi puero Sortes agitante ipsa Delia illas sustulerit. Puellæ enim ac mulieres Romanæ huic rei

ma-

maximè deditæ erant, uti videri poteſt ex hiſce Juvenalis verſibus, quibus & loci ubi potiſſimum hujuſmodi Vates ac Sortilegi morabantur, deſcribuntur:

Si mediocris erit, ſpatium luſtrabit utrumque
Metarum, & SORTES DUCET, *frontemque manumque*
Præbebit vati crebrum popyſma roganti.
Divitibus reſponſa dabit Phryx augur, & *Indus*
Conductus dabit, aſtrorum mundique peritus;
Atque aliquis ſenior qui publica fulgura condit.
Plebejum in CIRCO *poſitum eſt* & IN AGGERE *fatum.*
Quæ nullis longum oſtendit cervicibus aurum,
Conſulit ANTE PHALAS, DELPHINORUMQUE COLUMNAS,
An ſaga vendenti nubat caupone relicto.

Niſi fortè hæc Delia, de qua Tibullus, & per ſeipſam, & etiam per puerum ſeorſim, Sortilegos iſtos conſuluerit; ob verba hæc ſequentia:

Illi
Rettulit è triviis omnia certa puer.

Duplici [ſi non & pluribus] prætextu pueri ad talia adhibebantur. I. Quod hîc, quaſi, nulla fraus vel impoſtura intercurrere videretur, ſi puer ipſe Sortes tractaret, vel in Speculum, aut pelvem aqua plenam, inſpiceret. II. Quod pueri, & quidem caſti ac nondum Venerem experti, Dîs ſic magis grati atque accepti, adeoque ad talia magis apti crederentur. Hoc & ſuo tempore inter Mauros locum habuiſſe [quamvis Alcoranus Mahometicus omnem Divinationem damnet] narrat Leo Africanus hoc modo: *Venio ad Fatidicos* & *Divinatores, quorum* [Feſſæ] *ingens eſt numerus,*

rus, triaque genera: Horum enim nonnulli Geomanticis uti solent figuris. Alii aquam catino vitreo infusam olei guttula admixtâ, lucidam & transparentem reddunt, in qua tanquam in speculo Dæmones confertim se videre affirmant, qui exercitum numerosum repræsentant, quorum nonnulli in itinere sunt, alii rivum transmittunt, alii terrestre prælium gerunt; quos ubi quietos videt, de rebus quas scire cupit interrogat. Dæmones porro nutibus respondent, vel aliquo manuum vel oculorum judicio: adeo temeraria atque damnanda horum est hâc in re credulitas. Vitreum illud vas [NB] *pueris interdum vix octavum egressis annum in manum dant, a quibus num hunc vel illum Dæmonem viderint interrogant.*

Verum hac occasione videas, mi Lector, quoque bellam ὑδρομαντείαν, ubi cœcus explicat illa, quæ magis oculati (quamvis mente cœci quoque) sibi in aquis turbidis, videre videbantur. Historia habetur apud Nicetam Choniatem, in Andronico Commeno, hoc modo: τὴν μὲν ἀστρονομίαν τῷ τέως ὡς συνεθεστέραν καὶ ἀξυμφώνως τὰ μέλλοντα ὑπεμφαίνουσαν, ὑπερέθετο· ἐφίησι δ' ὅλον ἑαυτὸν τοῖς οἵτινες ἀμυδρῶς ἐν ταῖς πλυνοῖς ὕδασι τεκμαίρουσι τὰ ἐσόμενα καὶ ὡς οἷά τινας ἀκτῖνας ἡλίου διαυγαζούσας, ἰνδάλματα τῶν ἔμπροσθεν ἐκεῖθεν ἐνοπτρίζονται· αὐτὸς μὲν οὖν παρεῖναι τοῖς τελουμένοις ἀπείπατο, ἐκκλίνων, ὡς ἔοικε, τὸ κωΐλον φήμιον, ἢ τὰ ἐν κρυπτῷ δρώμενα διορᾷ, καὶ τίθησι τοῖς ἅπασιν ἔκφορα, ἀνατίθησι δὲ τὴν μυσαρὰν νυκτεργασίαν ταύτην τῷ Ἁγιοχριστοφορίτῃ Στεφάνῳ, οὗ πολλάκις ἐμνήσθημεν· ὁ δὲ τὸν Σὴθ παραλαβὼν, ἐκ βουπαίδου τετελεσμένον τὰ τοιάδε, καὶ τούτων ἕνεκα ἐκκοπέντα τὰς κόρας παρὰ τοῦ βασιλέως Μανουὴλ, ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου λόγοις εἰρήκαμεν, ἐρώτησιν τίθησι δι' ὧν ἔδρασεν (ὅσα ἐμοὶ μὲν γνῶναι τε καὶ μαθεῖν οὐχ ἡδὺ, μαθεῖν δ' ἑτέρωθεν ἔξεστι τοῖς βουλομένοις) εἰδέναι, ὅς ἐστιν ὁ μετὰ τὸν βασιλέα ἄρξων Ἀνδρόνικον, ἢ καὶ παραλύσων αὐτὸν τῆς ἀρχῆς; τὸ δὲ πονηρὸν ἀποκρίνεται πνεῦμα, ἢ μᾶλλον ἀμυδρῶς, ὡς ἐν ὕδασι, καὶ τούτοις θολεροῖς, διαχαράττει τῶν γραμμάτων τινὰ, Ἰσαάκιον ἐννοεῖν ὑπεμβάλλοντα, οὐχ ἅπαν ξυνθὲν τὸ ὄνομα, ἀλλὰ δὴ παραφῆναι ὁποῖον τὸ τοῦ

Σελή-

Σελήνης ἡμίτομον, καὶ τούτου ὄπισθεν περιδιατυπῶσαν Ἰῶτα, εἰς τὸ ἀξυμφανὲς ἄγον εἰτεῦθεν τὸ μάντευμα καὶ οἷον τοῦ ἐσομένου περικέντευμα. *Tum quidem Aſtrologiam, ut magis familiarem & futura obſcurius innuentem ſepoſuit: ſeque totum permiſit iis, qui futura ex aquis, quaſi per caliginem conjiciunt, & imagines futurarum rerum, velut ex umbra ſolarium radiorum conſectantur. Ac ipſe quidem illis* [NB] *Nocturnis Sacris intereſſe noluit, metu famæ, ut arbitror; quæ ea quæ in occulto fiunt perſpicit, & omnibus enarrat. Sed nefarium illud arcanum Hagiochriſtophoritæ Stephano, cujus ſæpius mentionem fecimus, mandat. Is vero Setho adhibito, qui, ab ineunte ætate iſtiuſmodi Oraculis deditus, oculos propterea Manuelis Imperatoris juſſu amiſerat, ut ſupra expoſuimus, certo ritu (quem mihi nec ſcire, nec addiſcere jucundum eſt, & aliunde addiſcere licet) percontatur, quis poſt Andronicum ſit imperaturus? aut Imperium ei erepturus? Reſpondit malus genius, vel potius obſcure, ut in aquis, uſque* [NB] *turbidis, aliquot primas literas, integro nomine non expreſſo, deſignat, unde Iſaacius intelligeretur: ſed primum oſtenſa literâ S. inſtar dimidiatæ Lunæ,* [ita enim, per C, Græci veters S literam exprimebant] *ac deinde ſubjuncta litera I. ut Oraculum eſſet obſcurius, & fati veluti ſtimulus.*

Ad pinacia illa & talos, ſive calculos modumque per ea inſtrumenta vaticinanda, ſpectat & Epigramma incerti Auctoris, quod habetur lib. 2. titulo 5. in Aſtrologos; quo non illepide hujuſmodi irridentur vates, ut & illi qui tales de futuris conſulebant.

Καλλιγένης ἀγροῖκος ὅτε σπόρον ἔμβαλε γαίῃ,
  Οἶκον Ἀριστοφάνους ἦλθεν εἰς ἀστρολόγου,
Ἤτεε δ' ἐξερεείνων εἰ θέρος αἴσιον αὐτῷ
  Ἔσται, καὶ σταχύων ἄφθονος εὐπορίη.
Ὃς δὲ λαβὼν ψηφῖδας, ὑπὲρ πίνακός τε πυκάζων,

 Δάκτυ-

Δάκτυλά τε γνάμπτων, φθέγξατο Καλλιγένει,
Εἴπερ ἐπομβρηθῇ τὸ ἀΰελον ὅσσον ἀπόχρη,
Μηδὲ τιν' ὑλαίην τέξεται ἀνθοσύνην,
Μηδὲ πάγος ῥήξῃ τὴν αὔλακα, μηδὲ χαλάζῃ
Ἄκρον ἀποδρυφθῇ δράγματος ὀρνυμένου,
Μηδὲ νεβροὶ κείρωσι τὰ λήϊα, μηδέ τιν' ἄλλην
Ἠέρος ἢ γαίης ὄψεται ἀμπλακίην,
Ἐσθλόν σοι τὸ θέρος μαντεύομαι, εὖ δ' ἀποκόψεις
Τοὺς στάχυας· μούνας δείδιθι τὰς ἀκρίδας.

Rusticus Calligenes quum jam semina terræ committeret
Adibat ædes Astrologi Aristophanis:
Petebatque ut sibi prædiceret, num æstas sibi bona ac proficua esset,
Magnaque aristarum abundantia proveniret.
Sed ille, ARREPTIS CALCULIS, IISQUE SUPER MENSAM CREBRIUS CONJECTIS
DIGITISQUE [NUMERATO] INFLEXIS, *loquebatur [ita] Calligeni:*
Si ager [tuus] quantum satis fuerit imbre madescat,
Neque è contra Zizaniis nimis efflorescat,
Neque gelu corrumpat sulcos, neque grandine
Jam surgentis segetis summa dilacerentur,
Neque hinnuli depascant sata, neque aliqua alia
Aëris aut telluris vitia patiantur ea,
Prædico tibi bonam messem; ac feliciter aristas demetes.
Solas tamen timeas locustas.

Neque minus accurate sanè conjectaverat ille, de quo Lucillius (cujus omnia fere scoptica) cecinit, hæc sequentia:

Πρὸς

Πρὸς τὸν μάντιν Ὄλυμπον Ὀνήσιμος ἦλθ' ὁ παλαιστὴς,
  Καὶ πένταθλος Ὕλας, καὶ σταδιεὺς Μενεκλῆς,
Τίς μέλλει νικᾷν αὐτῶν τὸν ἀγῶνα, θέλοντες
  Γνῶναι. κἀκεῖνος τοῖς ἱεροῖς ἐνιδὼν,
Πάντες, ἔφη, νικᾶτε, μόνον μήτις σε παρέλθῃ,
  Καί σε καταστρέψῃ, καὶ σὲ παρατροχάσῃ.

Adibant unà Vatem [*nomine*] *Olympium*
  Oneſimus luctator, Hylas quinquertio, & ſtadii curſor Menecles,
Volentes ſcire quis ex ipſorum numero certaminis victor evaderet.
  Atqui ille INSPECTIS SACRIS [LIBELLIS]
Dicebat, vos omnes vincetis: ſi modo nemo te prætercurrat,
  Aut te ſupplantet, aut te curru prætervehat.

Unde non abſona hiſce Ennius, apud Ciceronem cecinit:

Non VICANOS *aruſpices, non* DE CIRCO *aſtrologos:*
Non Iſiacos conjectores, non interpretes ſomnium.
Non enim ſciunt hi; aut arte aut divina ſcientia:
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque arioli.
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat:
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipſi petunt,
De his divitiis ſibi deducant drachmam, reddat cætera.

Per vicos atque oppida quoque tales impoſtores circuibant, ſuaſque *Divinationes* ac *Sortes* venditabant atque omnibus inceptis ac ſucceſſibus adaptabant. Ita enim de iſtis Plutarchus in libello cui titulus, *Cur nunc Pythia non reddat Oracula carmine*: Πλείστης μέντοι ποιητικῆς ἐνέπλησεν ἀδοξίας τὸ ἀγυρτικὸν καὶ περὶ τὰ μητρῷα καὶ σεράπεια βωμολόχον καὶ πλανώμενον

νώμενον γένος, οἱ μὲν αὐτόθεν, οἱ δὲ κατὰ κλῆρον ἔκ τινων γραμματείων, χρησμοὺς περαίνοντες οἰκέταις καὶ γυναίοις, ὑπὸ τῶν μέτρων ἀγομένοις μάλιστα καὶ τοῦ ποιητικοῦ τῶν ὀνομάτων. ὅθεν οὐχ ἥκιστα ποιητικὴ δοκοῦσα κοινὴν ἐμπαρέχειν ἑαυτὴν ἀπατεῶσι καὶ γόησιν ἀνθρώποις καὶ ψευδομάντεσιν, ἐξέπεσε τῆς ἀληθείας καὶ τοῦ τρίποδος.

Maximam Poesi infamiam paraverunt CIRCUMFORANEI *illi &* CIRCULATORES, *&* SCURRÆ MAGNÆ MATRIS DEORUM *ac* SERAPIDIS *vagi: quorum alii ex tempore, alii* SORTE QUADAM EX QUIBUSDAM LIBELLIS, *Oracula dabant servis & mulierculis; quas maximè numeri & nomina Poëtica moverent. Quæ non minima fuit causa, cur Poëtica, tanquam communem se quæ videretur præbere impostoribus & præstigiatoribus ac falsis vatibus, veritate & Tripode arceretur.*

Videmus quoque tam ex superius allatis, quam ex jam nunc sequentibus, quod non Homerici versus, aut Virgiliani solum, aut alii; sive aliorum Poëtarum, sive ab ipsis Antistitibus conficti. huic negotio accommodati fuerint: verum & versus, prætensi, *Sibyllarum.* Unde Plutarchus in vita Ciceronis ita de Lentulo loquitur: τοῦτον ὄντα τῇ φύσει τοιοῦτον, κεκινημένον ὑπὸ τοῦ Κατιλίνα, προσδιέφθειραν ἐλπίσι κεναῖς ψευδομάντεις καὶ γόητες, ἔπη πεπλασμένα καὶ χρησμοὺς ᾄδοντες. ὡς ἐκ τῶν Σιβυλλείων προδηλοῦντας εἱμαρμένους εἶναι τῇ Ῥώμῃ Κορνηλίους τρεῖς μονάρχους, ὧν δύο μὲν ἤδη πεπληρωκέναι τὸ χρεών, Κίνναν τε καὶ Σύλλαν, τρίτῳ δὲ λοιπῷ Κορνηλίῳ ἐκείνῳ φέροντα τὴν μοναρχίαν ἥκειν τὸν δαίμονα, καὶ δεῖν πάντως δέχεσθαι, καὶ μὴ ἀποφθείρειν μέλλοντα τοὺς καιροὺς, ὥσπερ Κατιλίνας.

Tali hunc ingenio, & à Catilinâ incensum, vani insuper vates & præstigiatores spe dementaverant inani, carmina conficta & SORTES *canentes,* QUASI EX LIBRIS SIBYLLINIS; *prænuntiantes in fatis esse ut tres Cornelii Romæ rerum potirentur: eorum duos fatum jam implesse, Cinnam & Syllam: tertio, qui superesset, Cornelio Deos ipsi do-*

dominationem deferre, quin susciperet, nec cunctando, sicut Catilina, corrumperet opportunitatem.

Hinc Sallustius, in Conspiratione Catilinaria: *At Lentulum dissimulantem coarguunt, præter literas, sermonibus, quos ille habere solitus erat, ex* LIBRIS SIBYLLINIS *Regnum Romæ tribus Corneliis portendi: Cinnam atque Syllam antea: se tertium esse cui fatum foret urbis potiri.* Hæc enim non ex istis libris fuisse accepta, qui tam religiosa sub custodia in Capitolio custodiebantur; sed à Sortilegis eorumve similibus, vel alias in totum fuisse conficta, jam ubi de Pseudoprophetis egi, ostensum fuit.

An autem primo (ut vult Joan. Argolus, in notis ad Onuphrium de ludis Circensibus) Carmina illa prætensa Sibyllina hujusmodi *Sortibus* fuerint destinata, postea vero carmina Poëtarum, utpote Vatum quoque, aut ab iis parum distantium; quamvis id quidem incertum (licet admodum verisimile) sit: id tamen apparet ex Plutarcho, ea ante Virgilii ætatem ab aliquibus ad id usurpata fuisse.

Cum igitur illa *Sibyllarum* prætensa *Carmina* ubique pene (etiam inter privatos) haberentur; imò & subinde nova, quasi recens alicubi inventa, confingerentur: minime mirum est Vates, Sortilegos, atque ipsos in Templis Fatidicis (quandoque & in aliis) Sacerdotes, talia, quasi ex monitu Divino, ut per quæ jam Dii ipsis Responsa sua dare dignarentur, subjecisse, ac pro Numinum Responsis venditasse. Quibus demum magis magisque populo subtractis, verisimile admodum est eos sensim eorum Poëtarum, qui maximæ auctoritatis atque honoris essent, versus substituisse: atque hunc natas *Sortes* illas Homericas, Virgilianas, Euripideas, &c.

Hæc autem Divinatio per *Sortes*, quæ per Carmina, sive Sibyllarum, sive aliorum Poëtarum dabantur, fiebat aut ejusmodi artificiis, qualia nunc fuere proposita, aut per a-

perturam codicis hujus illiusve vatis seu Poëtæ, cujus versus in hac re præstigiatores isti sibi maximè usui fore existimabant. Quod, puto clarum fit ex verbis istis Augustini quæ habet lib. IV. Confessionum cap. 3. *A quo ego cum quæsivissem, ait, qua ex causa hoc fieret, ut multa vera à Planetariis pronunciarentur; respondit ille ut potuit, vim Sortis hoc facere, in rerum naturâ usquequaque diffusam. Si enim* [NB] DE PAGINIS POETÆ CUJUSPIAM *longe aliud canentis atque intendentis, cum* SORTEM *quis* CONSULUIT, *mirabiliter consonus negotio sæpè* VERSUS EXIRET; *mirandum non esse, &c.*

Hinc quoque, si tales Vaticinationes ex libris Homericis instituerentur atque peragerentur, ii qui hoc agebant vocabantur ῥαψωδομάντεις; res verò ipsa ῥαψωδομαντεία, vel ῥαψωδομαντικὴ: denominatione, apud Græcos, factâ à nomine Homericis Poëmatibus imposito.

Ex verbis verò Augustini: *Si enim de paginis Poëta cujuspiam, &c.* non malè, meo judicio conjicitur, etiam ex aliis Poëtis præter jam nominatos, talia quibusdam fuisse usitata: quamquam nihil certi de hac re affirmare velim, propter auctoritatem Musæi, Orphei, Homeri, Virgilii, Euripidis, ac Sibyllarum, extra omnem aleam, ratione aliorum, positam: unde longè majori cum veneratione illorum, in hunc finem, fiebat apertio & inspectio.

Tales revera stultas superstitiones locum habuisse inter Ethnicos, vera ac sana Theologia, veráque religione ac pietate orbatos, non multum mirabuntur multi; at magis, puto, eas, etiam per multa secula, obtinuisse in populo Christiano: nec solum iis addictos fuisse hinc inde aliquos è fece vulgi; sed plures ex primariis Christianismi Antistitibus, imò & ipsum Augustinum, quod ex hisce nunc sequentibus patebit.

Audiamus tamen antea, quid jam dictus Augustinus, in Epi-

Epiſtola ſua ad Januarium (quæ 119. numero eſt) de hac re ſentiat. In illa autem loquitur hoc modo: *Hi verò qui de paginis Euangelicis* SORTES LEGUNT, *etſi optandum eſt, ut hoc potius faciant, quam ut ad Dæmonia conſulenda concurrant; tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo,* [NB] AD NEGOTIA SECULARIA, & AD VITÆ HUJUS VANITATEM, *propter aliam vitam loquentia Oracula divina velle convertere.*

Forſan aliquis ex hiſce Auguſtini verbis colliget, eum improbare iſtum morem. Improbat quidem: at ſolum quatenus *ad negotia ſecularia, &c.* hic divinandi modus applicabatur; non vero improbat, ſi in Spiritualibus, ſeu religionis ac pietatis negotiis, talis inſtitueretur, per *Sortes Euangelicas* divinatio; quod clareſcet ex ipſius Auguſtini exemplo, poſteaquam oſtendero, quali modo ac methodo hæc peracta fuerit divinatio. Sic autem de eâ Gregorius Turonenſis lib. IV. timem. 16. *Poſitis Clerici tribus libris ſuper altarium, id eſt,* PROPHETIÆ, APOSTOLI ATQUE EUANGELIORUM, *oraverunt ad Dominum, ut Chriſtiano, quid eveniret oſtenderet.* Ac paulò pòſt: APERTO IGITUR, *primò omnium* PROPHETARUM LIBRO *invenerunt*, AUFERAM MACERIEM EJUS. [Id factum eſſe Kramno Clotharii Regis filio, à Divionenſi Clero, jam dictus Gregorius teſtatur.] Nempe talis erat ipſis agendi modus; ſi primo libro, Euangeliorum videlicet, aperto, in pagina ſic ipſis oblatâ, aliquid quod ad ſcopum faceret, aut facere ſaltem videretur, non occurreret, aperiebant ſecundum, Epiſtolarum ſcilicet Apoſtolicarum. Si neque in ſecundo hoc volumine tale quid, poſt apertum librum, primo intuitu ipſis obveniſſet, aperiebant & tertium. Quod magis adhuc patet ex iis quæ apud eundem Scriptorem inveniuntur, lib. 5. *Ego vero reſerato* SALOMONIS LIBRO, *verſiculum qui primus occurrit, arripui: qui hæc continebat:* OCULUM

QUI ADVERSUS ADSPEXERIT PATREM, &c. Atque iterum paulò inferius: *Post hæc continuato triduo in jejuniis vigiliisque atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accedens, revolvit* LIBRUM *qui erat* REGUM: *versus autem primæ paginæ quam reseravit hic erat*: PRO EO QUOD DERELIQUISTIS DOMINUM DEUM, &c.

Idem porrò auctor (qui tot ac pluribus exemplis abundat) de Merovæo hæc sequentia narrat: *Merovæus Chilperici filius tres libros supra sancti Martini sepulchrum posuit, i. e. Psalmorum, Regum, Evangeliorum; & vigilans* [NB] *tota nocte petiit, ut sibi ventura ostenderentur. Continuato triduo in vigiliis & Orationibus revolvit librum*, &c.

Ex quibus Gregorii verbis hac sequentia sunt notanda. Primo. Quandoque plures, quandoque tantùm unicum librum, seu volumen ad tales divinationes usurpatum. Secundò. Quoscunque libros Biblicos ad eam rem, pro lubitu aut superstitione eorum, qui illam peragebant, fuisse assumptos. 3. Hos non apertos fuisse nisi antea Orationes (nonnunquam & præviis jejuniis ac pervigiliis,) ad Dominum fusæ fuissent: proculdubio, ut ille Sacras hasce Sortes dirigere dignaretur. 4. Versiculum qui primus, jam aperto libro, oculis occurreret, pro *Sorte*, sive Divino Oraculo, venisse: modo, uti superius dictum, aliquid contineret, vel continere videretur, quod ad rem illam, super qua fiebat hæc per Sortes divinatio, pertinebat.

Quod 5. notandum venit est, in Templis talia utplurimum fuisse peracta, intra θυσιαστήριον positis libris super altare: ast hìc supra Sancti Martini, sepulchrum: Altaria autem ubi aut Martyres aut Martyrum reliquiæ erant, iis superstructa erant.

Modi libros hos aperiendi procul dubio varii fuerunt, ac diversi. Quæ de Græcis narrat Nicolaus papa (in Epistola ad Bulgaros) hæc sequentia sunt: *Græci codicem accipientes in manibus clausum, unus ex iis accipiens parvissimam parti-*

ticulam ligni, hanc intra ipsum codicem condit; & si undecunque aliqua vertitur ambiguitas, per hoc affirmant se scire posse quod cupiunt.

Hæc verò non solum in Templis, atque ibi per Clericos, fiebant: sed & alibi & ubicuuque ferè locorum; imò & per Sortilegos, lucri causâ, (uti apud Romanos Sortilegi faciebant) instituebantur. Hinc, puto, Isidorus: *Sortilegi sunt qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam, quas* SANCTORUM SORTES *vocant, divinationis scientiam profitentur, aut* [NB] QUARUMCUNQUE SCRIPTURARUM INSPECTIONE *futura promittunt.*

Ut vero quarumcunque Scripturarum inspectione illa fiebant, sic tamen sæpius utebantur Psalterio Davidico: quod tum ex sequenti, tum ex aliis exemplis, patet. sæpius enim nobis nominatus Greg. Turon. lib. V. cap. 49. rursus, de hac re dum loquitur, inquit: *Mæstus turbatusque ingressus Oratorium, Davidici carminis sumo librum; ut scilicet apertius aliquem consolationis versiculum daret; in quo ita repertum est: Eduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.*

Isidori postrema verba etiam illa, quæ supra ex Augustino ac Gregorio Turonensi adduxi, illustrant. Illa autem quæ de *Sanctorum* Sortibus loquitur, inferius forsan etiam, ut de iis latius aliquid dicamus, locum invenient. Nunc vero ad alias *Sortes Christianorum.* Ac primo consideremus quæ in Martyrologio habet Metaphrastes, in Octobri, ubi loquitur de Cypriano ad fidem converso; quæ hæc sunt: Εἰσιὼν τοίνυν εἰς τὸ κυριακὸν, δεξιὸν ἐποιεῖτο σύμβολον τῆς εἰς τὸν ναὸν εἰσόδου, εἰ τῷ σκοπῷ αὐτοῦ καὶ τὰ τῆς ἀκροάσεως ῥήματα συμβαίνοντα ἔξοι. εἶχε μὲν οὖν τοὺς πόδας τῆς ἐκκλησίας ἐντὸς: εἶχε δὲ παραδόξως καὶ τὸν διάκονον ταῦτα δὴ τὰ τοῦ ἀποστόλου διατρανοῦντα· Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα· ὡς ἦν καὶ τὰ τοῦ προφήτου· Εἶδες Κύριε, μὴ παρασιωπήσῃς· Κύριε μὴ ἀποστῇς

ἀπ' ἐμοῦ· κατ' αὐτὸ δὲ καὶ αὐτὸν τὸν Ἠσαΐαν ὑπανεγίνωσκεν ἕτερος, Ἰδοὺ συνήσει, λέγων, ὁ παῖς μου ὁ ἀγαπητὸς, ὃν ἡρέτισα· ἅπερ ἅπαντα συνᾴδοντα τῷ ἰδίῳ κρίνας σκοπῷ, ἐντελέστερος πρὸς τὴν εἰς Θεὸν πίστιν συνεβίβαζε τὴν ψυχὴν, ἅτε συνετὸς ὢν ἄγαν, καὶ τὸ δέον συνιδεῖν ὀξύτατος. *Quum ingrederetur igitur Ecclesiam, bonum Omen capiebat sui introitus, si verba quæ ibi prælegebantur scopo suo convenientia inveniret. Ac dum intrabat Ecclesiam præter exspectationem contigit, ut Diaconus hæc Apostoli verba personaret:* CHRISTUS NOS REDEMIT AB EXECRATIONE LEGIS, DUM PRO NOBIS FACTUS EST EXECRATIO. *Uti etiam hæc Prophetæ verba:* VIDE SIS DOMINE, NE SILENTIO PRÆTEREAS; DOMINE, NE ABSISTAS A ME. *Eodem tempore & ipsum Esaiam legebat alius:* ECCE INTELLIGET, *dicens*, FILIUS MEUS DILECTUS MIHI, QUEM ELEGI. *Quæ omnia scopo suo quadrare judicans, jam firmior ac perfectior animum ad fidem in Deum applicabat: utpote prudens admodum existens, atque acerrimus ad pervidendum ea quæ facere convenit.*

Ex quibus verbis Metaphrastis adhuc aliud Sortium seu Divinationis genus, ex auditu nempe eorum quæ Diaconus in Ecclesia legebat, deprehendimus. Quod, etiamsi quis dubitare possit, an ita ipsius Cypriani ætate locum habuerit; indicant tamen hæc dicta, id saltem hujus Metaphrastis ævo fuisse usitatum. Uti & Gregorii Turonensis (qui talia tam libenter narrat) ævo, ex sequenti hîc exemplo (narrato lib. 8. cap. 4.) *Nam in die Paschæ, stante fratre meo Sigeberto in Ecclesia, procedente Diacono cum Sancto Evangeliorum libro, nuncius Regi advenit, unaque vox fuit pronuntiantis Lectionem Evangelicam ac nuntii dicentis: Filius natus est tibi.* Sic Arabes quoque (testante id Pocockio) *è voce aliquâ fortuitò prolata Omen capiebant* (atque adhuc capiunt: uti & ex *Inspectione Alcorani*, similiter *omnia capiunt*) imò *si quis peregre profecturus esset, arboris cujusdam ramos con-*

necte-

nectebat; quos si reversus adhuc nexos inveniebat, uxorem suam fidem servasse credebat, sin solutas, violasse. [Videat interim cordatus Lector, an non hæc gemina iis, quæ de Oraculo Buraico ex Pausania attuli: & an non in hisce Christiani ejusmodi superstitionibus dediti, imitati sint illos Ethnicos, de quibus Apuleius, de Deo Socratis hoc loquitur: *Videmus plerosque, qui non suopte corde,* SED ALTERIUS VERBO *reguntur: qui ex angiportu reptantes,* CONSILIA EX ALIENIS VOCIBUS COLLIGUNT, *& ut ita dixerim, non animo, sed auribus cogitant:* sicut de hujusmodi Κληδονίσμασι Plutarchus, Lucianus aliique non uno loco loquuntur: ad quæ & illa quæ jam primo sequuntur, ex Augustino referenda sunt.] Nec mirum, cum & Augustinus, ille Hipponensis Episcopus, similia admodum, huic Divinationis generi, nec magis Sacræ Scripturæ ac sanæ rationi consona) de se tradat lib. 8. cap. 12. Confession. *Dicebam,* inquit, *hæc, & flebam amarissimo contritione cordis mei, & ecce audio vocem de vicina domo, cum cantu dicentis ac crebro repetentis, quasi pueri an puellæ nescio:* TOLLE LEGE, TOLLE LEGE. *Statimque mutato vultu intentissimus cogitare cœpi, utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid: nec occurrebat omninò audivisse me uspiam. Repressoque impetu lachrymarum surrexi, nihil aliud interpretans divinitùs mihi juberi, nisi ut* APERIREM CODICEM ET LEGEREM QUOD PRIMUM CAPITULUM INVENISSEM. *Audieram enim de Antonio, quod ex* EUANGELICA LECTIONE CUI SORTE SUPERVENERAT, *admonitus fuerat,* TANQUAM SIBI DICETUR QUOD LEGEBATUR: VADE, VENDE OMNIA QUÆ HABES ET DA PAUPERIBUS, ET HABEBIS THESAURUM IN COELIS, ET VENI, SEQUERE ME. *Et tali* ORACULO *confestim ad te esse conversum. Itaque concitus redii ad eum locum, ubi sedebat Alypius. Ibi*

enim

enim poſueram CODICEM APOSTOLI, *cum inde ſurrexeram. Arripui, aperui & legi in ſilentio capitulum quò primum conjecti ſunt oculi;* NON IN COMMESSATIONIBUS ET EBRIETATIBUS; NON IN CUBILIBUS ET IMPUDICITIIS. *Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujus ſententiæ, quaſi luce ſecuritatis infuſâ cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum interjecto aut digito, aut neſcio quo alio ſigno, codicem clauſi, & tranquillo jam vultu indicavi Alypio. At ille quid in ſe ageretur, quod ego neſciebam, ſic indicavit. Petit videre quid legiſſem. Oſtendi, & attendit, & ultra quam ego legeram, & ignorabam quid ſequeretur. Sequebatur vero,* INFIRMUM AUTEM IN FIDE ASSUMITE. *Quod ille ad ſe retulit mihique aperuit, &c.* Putaſſetne quiſpiam tantos viros, tantæque famæ per univerſum Orbem Chriſtianum, tantâ detineri potuiſſe ſuperſtitione, ne dicam (quod tamen nomen res iſta non malè meretur) inſania?

At *reſpice divorum rivales*, ferè dixeram cum Junevale; ac conſidera, Lector, quam diu poſt Antoninum & Auguſtinum, ab Heraclio (cujus imagines in nummis apud Antiquarios paſſim videre eſt, ſub Schemate piiſſimi viri atque Imperatoris) hæc Divinatio peracta fuerit. Ita enim de ipſo loquitur Cedrenus: Συμβούλιον δὲ ποιήσας τοῦ παραχειμάσαι, ἁγνίζει τὸν λαὸν ἐπὶ ἡμέρας τρεῖς· καὶ ἀνοίξας τὰ τοῦ θεοῦ ἄχραντα εὐαγγέλια, εὗρεν ἐπιτρέποντα ἐν Ἀλβανίᾳ παραχειμάσαι. *Deinde cum de hybernis deliberaret, triduo exercitum luſtrat:* APERTISQUE POSTEA INVIOLATIS DEI EUANGELIIS *invenit ſibi mandari, ut in Albaniâ hyemaret.*

Neque hic ſolus ex Imperatoribus talia tentabat: nam, ſi non & de aliis quoque, de Andronico certe iſta narrantur a Nicephoro Gregora, lib. 8. in hunc modum: Τούτων οὕτω συμ-

πεπλη-

πεπλωκότων; διηπορεῖτο καθ' ἑαυτὸν ὁ βασιλεὺς γιγνόμενος; καὶ οὐκ εἶχεν ὅτι καὶ διαπράξηται, καὶ ὅθεν εὕρῃ τοῦ κακοῦ λύσιν· ὅσα γὰρ ἂν ἐπιχειροίη πάντ' ἑώρα καθ' ἑαυτοῦ στρεφόμενα παραδόξως· ὅθεν ἀνοίξειν ἔκρινε δεῖν ἐν ψαλτηρίῳ τὸ πρόβλημα τῶν οἰκείων ἀποριῶν καὶ ἀνοίξας, ἐνέτυχεν εὐθὺς τῷ πρώτῳ στίχῳ λέγοντι, Ἐν τῷ διαστέλλειν τὸν ἐπουράνιον βασιλεῖς, χιονωθήσονται ἐν Σελμών. *Quæ cum ſic accidiſſent, Imperator animi dubius, quid agendum eſſet neſciebat, quodve malis remedium quæreret. Quidquid enim incipiebat, mirabiliter in ſeipſum converti cernebat. Itaque aperto Pſalterio, dubitationum ſuarum explicationem quærenti ſtatim oblatus eſt verſus primus: Dum Cœleſtis diſſociat Reges, nive conſpergentur in Selmon. &c.*

Imò Petrus Blæſenſis poſtremo prodeat, cujus tempore adhuc, in uſu fuiſſe haſce Divinationes, atque ut rem Sanctam fuiſſe habitas & exercitas, ex hiſce ejus verbis videmus: *Hanc occaſionem ſecundò ac tertiò eâdem rerum ſerie nox ſecunda replicuit. Cumque curioſitatis humanæ* SORTIBUS *&* REVOLUTIONE PSALTERII, *hujus viſionis eventum diligentiùs explorarem, primùm in oculis meis verſus ille ſe obulit*: MOYSES ET AARON IN SACERDOTIBUS EJUS.

Hujuſmodi tamen Divinationes per Concilia ſæpius ſunt damnatæ ac vetitæ. Sic in Concilio Ancyrano can. 24. habetur: Οἱ καταμαντευόμενοι καὶ ταῖς συνηθείαις τῶν χρόνων ἐξακολουθοῦντες, ἢ εἰσάγοντές τινας εἰς τοὺς ἑαυτῶν οἴκους ἐπὶ ἀνευρέσει φαρμακειῶν ἢ καὶ καθάρσει, ὑπὸ τὸν κανόνα πιπτέτωσαν τῆς πενταετίας, &c. Quæ non malè vertuntur: *Qui Auguria vel Auſpicia, ſive Somnia, vel Divinationes quaſlibet* [quæ omnia commodè comprehenduntur in voce καταμαντεύεσθαι,] *ſecundum morem Gentilium obſervant, aut in domos ſuas hujuſmodi homines introducunt, exquirendis aliquibus arte malefica, aut ut domos ſuas luſtrent, quinquennio pœnitentiam agant, &c.*

Quæ hoc Canone continentur, fateor, præcipuè reſpiciunt

ciunt iſtas Divinationes, quæ inter Ethnicos quidem exercebantur; quas etiam ſuperſtitionis Gentilitiæ adhuc participes Chriſtianos conſulendi gratia adibant: imò & in domos ſuas introducebant, &c. referri tamen etiam poſſe ad illas Divinationes, quas jam tum locum inter Chriſtianos habuiſſe, (per inſpectionem Scripturarum ſcilicet) ex præcedentibus admodum veriſimile eſt.

Nam huc quoque, ſi quid video, reſpicit Concilii Laodiceni can. 36. Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ κληρικοὺς, μάγους ἢ ἐπαοιδοὺς εἶναι, ἢ μαθηματικοὺς ἢ ἀστρολόγους, ἢ ποιεῖν τὰ λεγόμενα φυλακτήρια, &c. *Quod non opporteat ſacris officiis deditos, vel Clericos, magos aut incantatores, aut Mathematicos, aut Aſtrologos, exiſtere, aut facere Phylacteria, &c.* Circa idem tempus ferè edictum contra *Divinatores* Conſtantius & Julianus fecerant hoc ſequens:

Conſtantius A, & Julianus Cæſ. ad populum,

Nemo Auſpicem conſulat, aut Mathematicum, nemo Ariolum.

§ Augurum & vatum prava confeſſio conticeſcat.

§ Chaldæi ac Magi & cæteri, quos MALEFICOS, *ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad partem aliquid moliantur.*

§ Sileat omnibus perpetuò DIVINANDI CURIOSITAS. *Etenim ſupplicio capitis ferietur, gladio ultore proſtratus, quicunque juſſis noſtris obſequium denegaverit.*

Dat. 8. Cal. Febr. Mediolani Conſtantio A. VIII. & Juliano Cæſ. Coſſ. 357.

Hoc edictum (quod Cod. lib. IX. titulo XVIII. quintum numero eſt) non ſolum; ſed & aliud notatu dignum (præter ea quæ ſolos Magos ac Maleficos ſpectant) habetur, ſub eodem titulo atque ab iiſdem Imperatoribus factum, quod numero ſeptimum (datum ad Taurum præfectum prætorio,)

inter

inter alia hæc continet: *Si quis Magus, vel Magicis carminibus adsuetus, qui* MALEFICUS *vulgi consuetudine nuncupatur, aut* ARUSPEX, *aut* ARIOLUS, *aut certè* AUGUR, *aut* MATHEMATICUS, *aut* ENARRANDIS SOMNIIS *occultans artem aliquam* DIVINANDI, *aut certè* HORUM ALIQUID SIMILE *exercens, in Comitatu meo, vel Cæsaris, fuerit deprehensus, &c.*

Ex quonam affectu processerint talia edicta Constantii, sufficienter nobis Ammianus Marcellinus indicat: qui super ea re legendus est. Quæ verò videmus clarè ex jam modo citatis canonibus, sunt Primò. Quod multi Christiani, (aut si non revera, saltem nominetenus tales) Ethnicos Magos, Incantatores, Divinatores, &c. consulendi gratia jam circa seculum quartum, (imò & serius multò, ut ex sequentibus patebit) adirent, &c. Secundò. Quod, si non multi, notabilis tamen eorum numerus Christianorum, interque eos etiam Clerici, si non publicè, clam tamen tales artes profiterentur atque exercerent inter Christianos. Quibus ita, ut vidimus, damnatis ac vetitis, addita capitis pœnâ; videntur homines talibus addicti pro *Sortibus Homericis* ac *Virgilianis* cæterisve, alias excogitasse; ac hisce jam nominatis substituisse *Sortes Biblicas*: quorum exempla superius proposui. Quibus usi sunt & in rebus secularibus, ut Oraculis verè Divinis. Quem modum agendi, ex Cacozeliâ ortum ac nimis superstitiosum, Concilia aliquot, ac multi Pontifices removere omninò conati sunt. Hinc Concilium Aurelianense, uti in Canone 26. habetur, ita definit: *Si quis* CLERICUS, MONACHUS, *vel* SECULARIS, *Divinationem, vel Auguria crediderit observanda, vel* SORTES, *quas mentiuntur esse* SANCTORUM, *quibuscunque putaverint intimandas; cum his qui eis crediderint, ab Ecclesiæ communione pellantur.*

Sic & Concilium Antisiodorense, canon. 4. *Non licet ad*

SORTILEGOS, *vel* AUGURIA, *respicere; nec ad* CHARACTERES, *nec ad* SORTES, *quas* SANCTORUM *vocant*, [NB] *vel quas* DE LIGNO, *aut* DE PANE *faciunt, adspicere: sed quæcunque homo facere vult, omnia in nomine Dei faciat.*

Meritò quis hîc interroget, quæ qualesve fuerint istæ, in Canonibus nominatæ, *Sortes Sanctorum.*

Si particulam *vel* sumamus in vulgari ipsius significatione, distinguentur ab iis quas *de ligno, aut pane* faciebant.

Si verò (ut tam in Patribus, seu scriptoribus Ecclesiasticis, quam in Pandectis, alibique sæpè sumitur) pro *&* sumendum sit: aut non pro notâ disjunctivâ, sed interpretativa (ut sic dicam,) pro unâ eâdemque re sunt capiendæ. Quod mihi quidem admodum verisimile fit. Hæc interim restat adhuc difficultas, ex quo vel quali ligno aut pane tales Sortes fuerint fabricatæ; an ex prætenso ligno Crucis, an ex alio pro sacrato ac Sancto vulgò habito. Et de pane, an ex pane benedicto (sic vocato) an ex reliquiis Eucharistiæ, an ex alio, singulari modo ad id negotii consecrato. Sed nihil hîc concludere ausim, donec major lux circa hanc rem mihi oboriatur.

Hoc interim discimus ex his *Sortibus de ligno,* aut *de pane* factis; ad imitationem, (quasi vero in melius mutationem,) videri tales *Sortes* fabricatas: ligneas illas scilicet pro ligneis istis Prænestinis atque Antiatinis. Sic & loco istarum eæ quæ ex *pane* conficiebantur, quasi consecratus ille panis (modo talis, uti conjicio, fuerit) ad pios usus (quod tamen non ita semper accidebat) applicatus, non ullam Dæmoniacam, sed Divinam aliquam, vim ac virtutem, in se contineret: ac propterea Deus Sortes tales (præsertim præcedentibus orationibus, &c.) dirigeret.

Quis unquam credidisset, nisi per tam clara testimonia coactus, tam pravas superstitiones, Originemque suam vete-

ri

ri Ethnicismo, (ut plurima alia) debentes, tam diu in populo Christiano, specioso licet prætextu obtinuisse!

Sic in Synodi VI. Constantinopolitanæ can. 61. Obscura admodum mihi sunt non tam quæ de ursis tractis vel circumductis habentur, quam unde Vates Circumforanei appellentur *Centuriones*, & in ipso contextu Græco ἑκατόνταρχοι. ita enim Græca Concilii [Trullani] habent: Οἱ μάντεσιν ἑαυτοὺς ἐκδιδόντες, ἢ τοῖς λεγομένοις ἑκατοντάρχοις, ἤ τισι τοιούτοις, ὡς ἂν παρ' ἐκείνων μάθοιεν, ὅ, τι ἂν αὐτοῖς ἐκκαλύπτεσθαι βούλοιντο. κατὰ τὰ πρώην ὑπὸ τῶν πατέρων περὶ αὐτῶν ὁρισθέντα, ὑπὸ τὸν κανόνα πιπτέτωσαν τῆς ἑξαετίας. τῷ αὐτῷ δὲ τούτῳ ἐπιτιμίῳ καθυποβάλλεσθαι δεῖ, καὶ τοὺς τὰς ἄρκτους ἐπισυρομένους, ἢ τοιαῦτα ζῶα πρὸς παίγνιον καὶ βλάβην τῶν ἁπλουστέρων, καὶ τύχην καὶ εἱμαρμένην καὶ γενεαλογίαν, καὶ τοιούτων τινῶν ῥημάτων ὄχλον κατὰ τοὺς τῆς πλάνης λήρους φωνοῦντας, τούς τε λεγομένους νεφοδιώκτας καὶ γοητεύοντας καὶ φυλακτηρίους καὶ μάντεις, &c. *Qui se Vatibus tradiderunt, vel iis qui Centuriones dicuntur, aut eorum similibus, ut ab illis discant, si quid sibi revelari velint; secundum ea quæ prius a Patribus sunt sancita, Canoni, qui est de sexennio, subjiciantur. Eidem pœnæ subjicere opportet qui ursos, aut similia animalia ad lusum & perniciem circumducunt, & eos qui fortunam, fatum, genealogiam, aut similium verborum turbam, ad nugas deceptorias obloquuntur: eosque qui nubes fugare dicuntur, & Imprecatores, & Amuletarios, & Vates*, &c.

Certe nihil hic video: nisi quod forte ejusmodi *Agyrtæ* exinde appellati fuerint ἑκατόνταρχοι, *Centuriones*, quod magnam post se ducerent catervam ex pueris, aliisque de fece vulgi hominibus; quos per ursos, aliaque ad hoc vel istud edocta animalia, alliciebant. Sic tradit Leo Africanus (suo tempore saltem) in urbe Fessanâ inter alios impostores esse *Qui vicatim Simias saltantes deducunt, & collum brachiaque crebris anguibus circumdatas habent. Profitentur & hi*

[pergit auctor] *Geomanticam Sortemque se mulieribus prædicere persuadent.*

Idem hic Leo Africanus sic *Sortes* per *Aviculas redditas* fuisse narrat, hoc modo: *Aliud porro genus, est Histrionum, qui exiguas aviculas capsulæ in abaci formam constructæ annexas ostentant, quæ* [NB] *rostro Sortium chartulas, tam dextri quam sinistri ominis extrahunt. Qui Sortem suam optat scire, obulum aviculæ objicit: quem rostro excipiens, in capsulam defert, deinde foras exiens eodem rostro responsi chartulam profert.*

Unde non mirum nos legere apud Clementem Alexandrinum, *Capras ad divinandum informatas, & Corvos ab hominibus ad reddenda responsa eruditos;* atque apud Ælianum & Nicetam Choniatam, de *Hannone* Carthaginensi, ipsum docuisse *aviculas*, ut canerent *Hannonem esse Deum, ipsasque sic alias alio dimisisse ut volucrum ista cantilena passim audiretur.*

Multa sane quæ huc spectant, in Satyra sua sexta, congessit accerrimus æque ac celeberrimus morum censor Juvenalis; qui dum & alia mulierum vitia notat, sic de ipsarum stultis superstionibus canit:

Ecce furentis
Bellonæ Matrisque Deum chorus intrat & ingens
Semivir, obsceno facies reverenda minori,
Mollia qui rupta secuit genitalia testâ
Jam pridem; cui rauca cohors, cui Tympana cedunt
Plebeja, & Phrygia vestitur bucca tiara:
Grande sonat metuique jubet Septembris & austri
Adventum; nisi se centum lustraverit ovis,
Et Xerampelinas veteres donaverit ipsi:
Ut quidquid subiti & magni discriminis instat,
In tunicas eat, & totum simul expiet annum.
Hibernum fractâ glacie descendet in amnem,

Ter

Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis
Vorticibus timidum caput abluet: inde Superbi
Totum Regis agrum, nuda ac tremebunda cruentis
Erepet genibus: si candida jusserit Jo,
Ibit ad Ægypti finem, calidâque petitas
A Meroë portabit aquas, ut spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.
Credit enim ipsius Dominæ se voce moneri.
En animam, & mentem, cum qua Dii nocte loquuntur!
Ergo hic præcipuum summumque meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo
Plangentis populi currit derisor Anubis.
Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu, sacris observandisque diebus.
Magnaque debetur violato pœna cadurco.
Et movisse caput visa est argentea serpens,
Illius lacrymis; meditataque murmura præstant
Ut veniam culpæ non abnuat, ansere magno
Scilicet & tenui popano corruptus Osiris.
Cum dedit ille locum; cophino fœnoque relicto
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna Sacerdos
Arboris, ac summi fida internuntia cœli.
Implet & illa manum, sed parcius ære minuto,
Qualiacunque voles Judæi somnia vendunt.
Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Testamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato Armenius, vel Comagenus Haruspex.
Pectora pullorum rimabitur, exta catelli
Interdum & pueri: faciet quod deferat ipse.
[Quæ de Astrologis &c. hic sequuntur jam superius allata fuere]
Si mediocris erit spatium lustrabit utrumque

Me-

Metarum, ac Sortes ducet, frontemque manumque
Præbebit Vati crebrum popysma roganti.
Divitibus responsa dabit Phryx Augur, & Indus,
Conductus, dabit astrorum mundique peritus,
Atque aliquis senior qui publica fulgura condit.
Plebejum in Circo positum est, & in Aggere, fatum.
Quæ nullis longum ostendit cervicibus aurum
Consulit ante Phalas Delphinorumque columnas,
An saga vendenti nubat caupone relicto.

Hæc verba sane hîc mererentur justum commentarium, si non multa alia, quæ ad alias Divinationum species spectant, intermixta iis essent, quæ suo loco melius explicantur. Addam tantum ex Apulejo exemplum, quod ad istos Bellonæ, Matrisque Deum, Conjectores, seu scurras, Isiacos spectat, & lectori non injucundum erit lectu. Libro igitur Metamorphoseos XI. ita narrat: *Pauculis illic diebus commorati, & munificentia publica saginati, Vaticinationisque crebræ mercedibus suffarcinati, piissimi illi Sacerdotes novum quæstus genus sibi comminiscuntur: Sorte unica casibus pluribus enodata, consulentes de rebus variis plurimos; adhunc modum cavillantur. Sors hæc erat:*

IDEO CONJUNCTI TERRAM PROSCINDUNT BOVES,
UT IN FUTURUM LÆTA GERMINENT SATA.

Tum si qui Matrimonium SORTE *captantes, interrogarent, rem ipsam responderi ajebant: Jungendos connubio, & satis liberum procreandis. Si possessiones præstinaturus quæreret; meritò boves, ut & jugum & arva sementis florentia pronuntiari. Si quis de profectione solicitus Divinum caperet Auspicium, junctos jam paratosque quadrupedum mansuetissimos, & lucrum promitti de glebæ germine. Si prælium capessiturus, vel latronum factionem persecuturus, utiles necne processus sciscitaretur; addictam victoriam forti præsagio con-*

contendebant: quippe cervices hostium jugo subacturi, & prædam de rapinis uberrimam capturi. Ad istum modum Divinationis [ejus] astu captioso contraxerant non parvas pecunias. Sed assiduis interrogationibus argumenti satietate jam defecti, rursus ad viam prodeunt, &c.

Si quis hic inferre velit, totam istam Metamorphosin, atque ita etiam hanc historiolam, purum putum Scriptoris luxuriantis esse commentum (pro parte præcipua tamen e Luciano desumptum) non repugnare velim. Interim ostendunt hujusmodi ipsorum Gentilium narratiunculæ, quales erant isti Socii: qualibusque imposturis utebantur.

Multa quidem alia (præter hæc *Sortilegia*) sunt *præstigiarum* genera: sed quæ (uti circa *Auguria*, *Haruspicinas*, &c. vidimus) in sequentibus jam capitibus sponte sese oggerent.

CAP. V.

De חוברים Choverim *sive* Incantatoribus, *ex Sacra Scriptura & Judæis. De* Schemhamphorash, *seu* nomine Tetragrammato, *ac nugis de eo confictis: De* virga Mosis, *&c. Quid hîc Maimonides de* Nominum vi atque efficacia, *seu potentia sentiat. Justinum, ac (quod mage miretur quis) Origenem ipsis impense patrocinari; uti & alios Veterum post ipsos. De nominibus* Dei Hebræorum, *&* Dei Abrahami, *&c. in Exorcismis Ethnicorum. De usurpatione Nominis Dei in vanum. Ex Chaldæa, interim, & Assyria hæc & similia commenta defluxisse ad cæteras mundi gentes. Ad*

Medicos quoque transiisse ita eam superstitionem, ut Nominibus Divinis, *aliisque* Barbaris *ac ridiculis sæpe, decantatis, admurmuratis, vel appensis curarentur ægroti. Exempla eò spectantia (imò & circa piscium capturam) adducta. Flavii Josephi sive superstitio, sive (quod potius reare) malignitas, (ut sic Christi nostri facilius elevet atque eludat miracula) in narratione de Eleazare. Ejusdem fabella de radice* Baara. *Quale* Dæmonum *genus is ista occasione confingat.*

NUnc demum tempus est ut loquar de חברים sive *Incantatoribus;* post quos & de מכשפים sive *magi, magicasque*, ita prætensas, *imposturas* excercentibus, loquendum erit.

חובר Deut. cap. XVIII, 11. *Necromanticis* proximè conjungitur; ubi nominatur חובר חבר *incantans incantationem;* ubi & Onkelos vertit רטין רטן a רטן quod Syriace *Murmurare* ac *Mussitare* significat: uti apud Rabbinos verbum לחש *Mussitare, susurrare, clam ac silenter aliquid dicere*, vel *incantare Mussitando* denotat; unde הלוחש על המכה *qui vulneribus incantat*, ac לוחשים Incantatores [Græci Interpretes Επαείδοντες ἐπαοιδὴν] Unde & Sanhedrin cap. II. § 1. והלוחש על המכה ואומר כל המחלה אשר שמתי במצרים לא אשים עליך כי אני הי רופאך *Qui adsusurrat plagæ hæc verba* [Exod. XV, 16.] *Omnem morbum quem imposui Ægyptiis, non imponam tibi. Nam ego Dominus medens tibi.* De cujusmodi hominibus ibi dicitur, eos non habituros sortem in futuro seculo.

Nonnulli autem inter Hebræos per חובר חבר ajunt intelligendum esse [testante id Munstero] *Conjuratorem Dæmo-*

monum: alii vero dicunt per חובר intelligendum eum, qui *Serpentes* & *Scorpiones* in unum congregare poteſt per ſuas *adjurationes* [quod & Ethnicorum *Incantatores* ſe facere jactabant, uti ex Luciani Philopſeude diſcimus] Hinc in Talmude (Sanhed. 65.) *Duplex eſt Incantatio, magna qua magna animalia; parva qua reptilia, Serpentes, Scorpii, incantando ſociantur.*

Quo facit etiam quod, ut חבר *Sociari, aſſociari* &c. ſignificat, ita חברא *Societas*, ac חבר, in Originali ſignificatione, Socians denotet.

Ut autem ulterius videamus quouſque ſeſe hæc extendant, utar rurſus celeberrimo illo Maimonide, qui in jam ſæpius citato tractatu Havoda Zara [de Idololatria] cap. XI. § 11. ita loquitur: איזהו חובר זהו שמדבר דברים שאינן עם ואין להם ענין ומעלה על דעתו בסכלותו שאותן הדברים מועילים עד שהן אומרים שהאומר כך וכך על הנחש או על העקרב אינו מזיק והאומר כך וכך על האיש אינו ניזוק ומהן אוחז בידו בעת שמדבר מפתח או סלע וכיוצא בדברים האלו הכל אסור: *Qualis eſt* [חובר] *Incantator? qui verbis utitur nulli genti uſitatis, & nihil ſignificantibus, ſtultitiâque hâc aliis it perſuaſum, verba iſta prodeſſe. Ita dicunt, ſi quis hæc vel iſta præfatus ſit coram ſerpente aut ſcorpione, nihil damni dabit: vel ſi protulerit in virum nocere, is non poterit. Sunt in his etiam qui clavem arripiunt, aut nummum, vel hujus generis aliud. Omnia hæc nefaria habentur.*

Pergit idem Sectione XII. hoc modo: והחובר עצמו שאחז בידו כלים או שעשה מעשה עם דבורו אפילו הראה באצבעו הרי זה לוקה שנא׳ לא ימצא בך וזו׳ וחובר חבר אבל אם אמר דברים בלבד ולא הניד לא אצבע ולא היה בידו כלים וכן אדם שאמר עליו החובר אותן הקולות והוא יושב לפניו ומדמה שיש לו בזה הנאה מכין אותו מכת מרדות מפני שנשתתף בסכלית החובר וכל אותן הקולות והשמות המשונים המכוערים לא ורעו וגם היטב

 אין

אין אותם: *Incantator aliquid manu prehendens aut verbis* [apud Incantatores] *receptis opus peragens, vel etiam digito quid demonstrans, plectendus est: quia* [Deut. XVIII, 10.] *dicitur: ne inveniatur inter vos. . . . . Incantans incantationem. At quid si verba protulerit, absque digiti vel capitis motu, nec quicquam manu tenuerit? sic quoque is coram quo verba sunt prolata, modo ille iis fidat, ac profore sibi habeat persuasum, plectendus erit verberibus rebellionis; qui particeps fit* STULTITIÆ *Incantoris. Omnia autem verba* [NB] *nominaque illa mutata ac turpia, nihil boni vel mali adferent.*

Videamus & alias adhuc species ex eodem auctore ibid Sect. XIV. הלוחש על המכה וקורא פסוק מן התורא וכן הקורא על תינוק שלא יבעת והמניה ספר תורא או תפלין על הקטן בשביל שישן לא די להם שהם בקלל מנחשים וחברים אלא שהן בקלל הכופרים בתורא שהן עושין דברי תורא רפואת גוף ואינן אלא רפואת נפשים שנאמר ויהיו היים לנפשך: אבל הבריא שקרא פסוקין ומזמור תהלים כדי שתגן עליו זכות קדיאתן וינצל מצרות ומנוקים הרי זה מותר: *Qui vulneribus incantarit, e Lege versum legendo; quive super puero legerit, ne conturbetur; aut qui librum Legis vel Phylacteria puerulo imposuerit ut somnum capiat: hi ut generali* CONJECTORUM *ac* INCANTANTIUM *appellatione continentur; ita etiam comprehenduntur amplo eorum vocabulo, qui Legem negant. Siquidem verba Legis (juxta eum) medicinam faciunt corporalem; cum solum animis medeantur: quia dicitur* [Deut. XIV, 19] *& erunt vita animæ tuæ. At si quis sanus versiculum legat, vel Psalmum, ut protectionem promereatur, angustiasque ac damna evitet; ejusmodi sane nihil illiciti facit.*

Huc sane referenda sunt, meo judicio, illa quæ delirantes Hebræi nugantur de שם־המפורש, seu nomine *Tetragrammato*, ut de nomine tam Divino ut omnium pene miraculorum fuerit instrumentum, tum Mosi, tum & ipsi Salvatori

no-

nostro J. Christo; qui illud dolose furatus e Templo abstulerit. Qua calumnia ipsius Divinis miraculis ipsiusque, Auctoritati obviam ire sibi stultè persuadent.

Notissimum est Judæos semper pro *Jehova Elohim* legere *Adonai Elohim;* eo quod vocales quæ τῷ *Adonai* propriæ sunt literis יהוה suppofuerint; ex veneratione quidem primùm *Nominis Divini* istius: sed quæ tandem in tantam excrevit superstitionem, ut demum eo S. Sancto nomine Idololatrice abusi fuerint.

De usu ipsius admodum frequenti ac tacito, in Benedictionibus publicis Sacerdotis Summi (seu Pontificis Max.) Hebræorum, videat lector illa, quæ a Celeberrimis viris. J. Drusio (in Tetragrammato) & J. Buxtorfio, ac denique aliis, afferuntur.

Verum qualibus ac quantis miraculis perficiendis id inservierit [ex stulta plurimorum, non tamen omnium Judæorum, opinione] patet ex istis quæ de Mose singulari quodam modo asserunt; ipsum nempe Virgæ suæ, cui nomen illud inscriptum erat, virtute omnia sua perpetrasse prodigia ac miracula; uti & per nominis istius pronuntiationem genuinam ac debitam; quæ & aliis tunc, & cunctis hominibus nunc, incognita sit.

Sic in libro Capthor dicitur: *Moses non est usus nisi ipso* NOMINE *maximo, & omnia miracula sua quæ fecit fuerunt facta per Shem hamphorash* i.e. *Nomen expositum, quod est ipsum nomen* יהוה *& Ehjeh ascher Ehjeh.*

In Targum Jonathanis Exod. II, 21. *Et gratias agebat* [Moses] *& orabat coram Domino, eo quod fecisset cum eo miracula & virtutes. Et vidit virgam quæ creata erat inter Vesperas, & sculpsit in eam & exposuit super eam nomen magnum & pretiosum, virtute cujus facturus erat Miracula in Ægypto, & virtute illius secturus erat mare juncosum, & educturus aquas ex petra; & erat fixa in*

medio Thalami, & ſtatim extendit manum ſuam & accepit ipſam, &c.

Ipſa verba Chaldaica Jonathanis ſunt : והוה מודי ומצלי קדם
יי דעבד עמיה ניסין וגבורן ואיסתכי ית חוטרא דאיתבריאת ביני
שמשתא וחקיין ומפרש עלה שמא רבא ויקירא דביה עתיד למעבד
ית תימהיה במצרים וביה עתיד למיבזע ית ימא דסוף ולהנפקא מוי
מן כיפא והוה דעיץ בגו גינוניתא ומן יד אושיט ידיה ונסביה:

De Ægyptio per Moſem occiſo, tradunt quoque Rabbi Salomon, Exod. 2. & R. Bechai, ipſum a Moſe peremptum fuiſſe per virtutem nominis illius Sanctiſſimi *Shemhamphorash*. Videamus autem (ex Buxtorfio) quid idem R. Bechai tradit de modo quo per Moſem occiſus fuit ille Ægyptius : *Scito quod percuſſio iſta linguâ facta fuerit: occidit enim ipſum ſpiritu labiorum ſuorum, unde Rabbini noſtri dicunt* שהרגו בשם המפורש *quod occiderit ipſum per Shemhamphorash*. Cujus ratio dependet ex eo quod mox dicitur, *An ad occidendum me iſtud dicis?* Exod. I, 14. *nempe* באמירה בלבד *ſermone vel verbis duntaxat. Fuerat autem Shemhamphorash* 42 *literarum. Ejus probatio, aut certè indicium eſt ex Scriptura. Nam David dicit : Per te hoſtes noſtros feriemus, &* PER NOMEN TUUM *conculcabimus adverſarios noſtros*, Pſalm. XLIV, 6. *dicitur id de nomine* 42. *literarum. De eodem dictum eſt : Nam exaltatum eſt nomen ejus* לבדו *ſolius*. Pſalm. CXLVIII, 13. [vox לבדו valet in numeris 42. ergo intelligitur eo nomen expoſitum 42. literarum.] *Huc quoque pertinet : Suſpendens terram* על בלימה Job. XXVI, &c. *Item virtute hujus nominis* 42. *literarum factum, ut Elisha pueris per ludibrium acclamantibus ipſi*, ASCENDE CALVE, ASCENDE CALVE, ויקלם בשם יהוה *maledixerit ipſis per nomen Domini* (nempe per nomen 42. literarum) *unde & factum ut duo lupi quadraginta duos ex ipſis dilaniarint*, II Reg. II, 23, 24. *Venit autem locutio iſta : Et egreſſus eſt Angelus Domini & percuſſit in caſtris Aſ-*

Assyriorum II Reg. XIX, 35. שאין הכונה הכאת יד כ״א הכאת כח, *ubi non est intentio vel sensus de percussione manus, sed de percussione per virtutem.*

In Medrash rabba in Exodum [quod ex eodem Buxt.] inter alia habetur : *Cum quo instrumento occidit eum?* (nempe Ægyptium) *R. Ebjathar dixit : Percussit ipsum pugno. Alii dixerunt : Glebis terræ excussit ipsi cerebrum. Rabbini vero dixerunt : Commemoravit super eo* את השם *nomen istud Sanctum, & occidit eum, sicut dictum est : Num ad occidendum me tu loqueris?* Exod. II, XIV.

Nullo modo mihi animus est Lectorem cordatum detinere hujusmodi nugis (quod vereor tamen me facere velle videri) sed tantum ostendere quibus nugacissimis fabellis, ipsorum commenta de Virtute hujus Nominis, superstructa sint : dum præter hæc modo allata fabulentur *Tres literas hujus Sacri nominis Solis cordi inscriptas;* Virgam *per quam* (uti volunt) *Moses omnia sua, Miracula perfecit, creatam fuisse in crepusculo sabbathi traditamque eam fuisse primo homini in Paradiso; Adamum hanc dedisse Enocho; Enochum eam tradidisse Semo, Semum Abrahamo, Abrahamum Isaaco, Isaacum Jacobo, Jacobum denique Josepho filio suo, postquam descenderat in Ægyptum : post mortem vero Josephi, spoliatamque ejus domum eam depositam fuisse in palatio Pharaonis. Pharaonem autem, qui unus erat ex Magis Ægyptiacis, hanc vidisse, uti & literas* [jam dicti Nominis] *in illa exaratas, & vehementer eam expetiisse; delatam vero ipsam ac plantatam fuisse in horto Jethronis; ad eamque nullum hominem amplius potuisse appropinquare. Postquam vero venit Moses ad domum ejus, atque ingressus fuit Hortum Jethronis, eum istam virgam ibi vidisse, literasque ei inscriptas legisse; denique emisisse manum suam, eamque ita accepisse.* Quis hîc non recordetur illud poetæ Juvenalis : *credat Judæus appella?*

At

At longe cordatior hîc, ut pene ubique, R. M. Maimonides. Qui lib. I. cap. 62. more Nevochim post allata Veterum Rabbinorum Talmudicorum verba super verbis tam *Tetragrammato*, seu *Shemhamphorash*, quam *Nominibus* 42. *literarum*, & 12. *literarum*, hæc sequentia adddit: *Quam pauci vero sunt, qui verum horum verborum sensum & scopum rectè percipiunt! Plerique enim existimant de literis tantum & earum prolatione hæc intelligi, neque quicquam aliud hîc latere & exponi: sed per solas illas literas ad cognitionem sublimium illorum mysteriorum perveniri, qualitatibus item ac dotibus illis, quarum facta mentio, ad illas tantum addiscendas opus esse. Verum est, illa omnia nil fuisse, nisi expositionem rerum Divinarum, & ex illorum numero, quæ vocantur* ARCANA LEGIS, *sicut explicuimus. Expositum etiam est inter cætera in Libris, qui compositi sunt de Sapientia Divina, quod hujus Sapientiæ, quæ est Apprehensio Intellectûs agentis, nemo possit oblivisci; quod his verbis significatur: In Ejus manu doctrina confirmatur. Posteaquam autem fatui & mali quidam homines ea, quæ de supradictis Nominibus adduximus invenerunt, ansam inde plura mendacia componendi arripuerunt, literas aliquas, pro lubitu, in dictionem unam colligentes, ac hominibus persuadentes, illam hoc vel illo modo scriptam* [in laminis sc. aut chartulis] *aut dictam, talem vel talem habere operationem vel effectum. Mendaciis his ita ab isto hominum genere confictis, cæperunt illa in certos libros referri; qui cum ad manus bonorum alioquin, sed nimis credulorum virorum, qui solidum non haberent judicium inter verum & falsum discernendi, pervenissent, & ab illis inter* κειμήλια *sua asservati atque abscònditi fuissent, simplices posteri illos invenientes, fidem eis tanquam veris adhibuerunt, & pro talibus receperunt, juxta id, quod Salomon ait,* [Prov. XIV, 15.] *Stultus credit omni verbo.*

Tum ex hoc Maimonade, igitur, tum ex aliis docemur a Chal-

a Chaldæis, hincque a Pharisæis ipsorum discipulis; quin etiam a Platonicis ac Pythagoricis, pro parte quoque Chaldæorum, (non tamen Judæorum uti tam multi nulli innixi fundamento volunt) prodierunt istæ non solum de *Dæmonibus*, de *Astrorum* atque hinc *herbarum, lapidum* &c. similium viribus ac potestate, verum & de *Divinis nominibus* hac illave lingua, hoc illove modo, vel aperte vel clam pronuntiatis aut appensis, superstitiosæ opiniones. quum non solum circa Sacra, ac circa *Dæmones expellendos*, verum & circa profana iis abuterentur non tantum Ethnici, ac semii-Christiani; verum & Christiani primitivæ pene Ecclesiæ Patres iis patrocinarentur: uti tum ex Justino Martyre tum ex Origene aperte patescit.

Primus enim, in Dialogo cum Tryphone Judæo, hoc modo loquitur: Ἐὰν δὲ κατὰ παντὸς ὀνόματος τοῦ παρ' ὑμῖν γεγενημένων ἢ βασιλέων, ἢ δικαίων ἢ προφητῶν, ἢ πατριαρχῶν ἐξορκίζητε ὑμεῖς, οὐχ ὑποταγήσεται οὐδὲν τῶν δαιμονίων. ἀλλ' εἰ ἄρα ἐξορκίζοι τὶς ὑμῶν κατὰ τοῦ Θεοῦ Ἀβραάμ, καὶ Θεοῦ Ἰσαάκ, καὶ Θεοῦ Ἰακώβ, ἴσως ὑποταγήσεται. *Sin vos per nomen quodvis, qui vobis fuere Regum aut Justorum, aut Prophetarum* [quod tamen Flavius Josephus, uti brevi videbimus, negat, contrariumve ostendere nititur] *aut Patriarcharum adjuretis, non subjicietur vobis Dæmonium aliquod: cæterum siquis vestrum adjuret per Deum Abrahæ, & Deum Isaaci, & Deum Jacobi, fortasse subjiciatur.*

Superstitio autem illa uti modo dictum, facillime, tam ex Judæismo quam Gentilismo, inter primitivæ Ecclesiæ patres obtinuit locum ac retinuit; atque imprimis inter eos qui, cum Judæi adhuc essent, nimis studiose Pharisæorum Dogmata affectati atque amplexi fuerant; vel ex Ethnicismo ad Christianismum conversi, nimis tenaciter adhuc dum Pythagoricorum & Platonicorum scitis, in Ethnicismo adoptatis, ad-

adhærebant. Atque uti Pharisæorum opinionibus, doctrinis ac præceptis adhærebat longe potissima pars populi Judaici, præ iis qui aut Sadducæis aut Essæis utebantur Magistris aut Doctoribus; sic & potissima pars Chrstianorum ex Ethnicismo conversa Platonicis vel Pythagoricis vel utrisque, vel horum similibus opinionibus imbuta erat; iisque tincta præjudiciis se Christianæ applicabat Theologiæ.

Quam vero difficile sit, etiam meliora edoctis, in totum exuere cuncta a teneris unguiculis præconcepta præjudicia, id quotidiana adhuc nobis testatur experientia. Præjudiciis autem hujusmodi multis imbutos fuisse plurimos inter primitivæ Ecclesiæ Christianos, ipsorum verba super hâc materia apertè satis declarant.

Ita enim præter modò adductum Justinum Martyrem, loquitur Hebraicæ linguæ ac Doctrinæ inter primos Christianos callentissimus Origenes; cordatus aliàs in plurimis; verum hîc, uti videtur, superstitionis turbine abreptus, lib. I. contra Celsum: Ἐὰν τοίνυν δυνηθῶμεν ἐν προηγουμένῳ λόγῳ παραστῆσαι φύσιν ὀνομάτων ἐνεργῶν, ὧν τισι χρῶνται Αἰγυπτίων οἱ σοφοί, ἢ τῶν παρὰ Πέρσαις Μάγων οἱ λόγιοι, ἢ τῶν παρ' Ἰνδοῖς φιλοσοφούντων Βραχμᾶνες, ἢ Σαμαναῖοι· καὶ οὕτω καθ' ἕκαστον τῶν ἐθνῶν· καὶ κατασκευάσαι οἷοί τε γενώμεθα, ὅτε καὶ ἡ καλουμένη μαγεία οὐχ' ὡς οἴονται ἀπὸ Ἐπικούρου καὶ Ἀριστοτέλους, πρᾶγμα ἐστιν ἀσύστατον πάντη, ἀλλ' ὡς οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ ἀποδεικνύουσι, συνεστὼς μὲν, λόγους δ' ἔχον σφόδρα ὀλίγοις γινωσκομένους· τότε ἐροῦμεν ὅτι, τὸ μὲν Σαβαὼθ ὄνομα, καὶ τὸ Ἀδωναῒ, καὶ ἄλλα παρ' Ἑβραίοις μετὰ πολλῆς σεμνολογίας παραδιδόμενα, οὐκ ἐπὶ τῶν τυχόντων καὶ γενετῶν κεῖται πραγμάτων, ἀλλ' ἐπί τινος θεολογίας ἀποῤῥήτου, ἀναφερομένης εἰς τὸν τῶν ὅλων δημιουργόν· διὸ καὶ δύναται ταῦτα τὰ ὀνόματα, λεγόμενα μετά τινος τοῦ συνήθους αὐτοῖς εἱρμοῦ. ἄλλα δὲ κατὰ Αἰγυπτίαν φερόμενα φωνὴν, ἐπί τινων δαιμόνων τῶν τάδε μόνα δυναμένων, καὶ ἄλλα κατὰ τῶν Περσῶν διάλεκτον ἐπὶ ἄλλων δυνάμεων, καὶ οὕτω καθ' ἕκαστον τῶν ἐθνῶν εἰς χρείας τινὰς παραλαμβάνεσθαι· καὶ οὕτως εὑρεθήσεται τῶν ἐπὶ γῆς δαιμόνων, λα-

χόν-

χόντων διαφόρους τόπους, φέρεσθαι τὰ ὀνόματα οἰκείως ταῖς κατὰ τόπον καὶ ἔθνη διαλέκτοις. ὁ τοίνυν μεγαλοφυέστερον κἂν ὀλίγην τούτων περίνοιαν εἰληφὼς, εὐλαβηθήσεται ἄλλα ἄλλοις ἐφαρμόζειν ὀνόματα πράγμασι, μή ποτε ὅμοιον πάθῃ τοῖς τὸ Θεὸς ὄνομα ἐσφαλμένως φέρουσιν ἐπὶ ὕλην ἄψυχον ἢ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ προσηγορίαν καταχρῶσιν ἀπὸ τοῦ πρώτου αἰτίου, ἢ ἀπὸ τῆς ἀρετῆς καὶ τοῦ καλοῦ, ἐπὶ τὸν τυφλὸν πλοῦτον, καὶ ἐπὶ τὴν σαρκῶν καὶ αἱμάτων καὶ ὀστέων συμμετρίαν ἐν ὑγείᾳ καὶ εὐεξίᾳ, ἢ τὴν νομιζομένην εὐγένειαν. Καὶ τάχα οὐκ ἐλάττων ὁ κίνδυνος τῷ τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ, ἢ τὸ ὄνομα τοῦ ἀγαθοῦ ἐφ' ἃ μὴ χρὴ κατάγοντι, ἤπερ τῷ τὰ κατά τινα ἀπόρρητον λόγον ὀνόματα ἐναλλάσσοντι. καὶ τὰ μὲν κατὰ τῶν ἐλαττόνων φέροντι ἐπὶ τὰ κρείττονα, τὰ δὲ κατὰ τῶν κρειττόνων ἐπὶ τὰ ἥττονα. καὶ οὐ λέγω ὅτι τῷ Διῒ εὐθέως συνεξακούεται τὸ Κρόνου καὶ Ῥέας υἱὸς; Ἥρας ἀνὴρ, καὶ Ποσειδῶνος ἀδελφὸς, καὶ Ἀθηνᾶς καὶ Ἀρτέμιδος πατὴρ, καὶ ὁ τῇ θυγατρὶ Περσεφόνῃ μιγείς· ἢ τῷ Ἀπόλλωνι συνεξακούεται ὁ Λητοῦς καὶ Διὸς υἱὸς, καὶ Ἀρτέμιδος ἀδελφός· καὶ ὅσα ἄλλα φέρουσιν οἱ σοφοὶ Κέλσου τῶν δογμάτων πατέρες, καὶ ἀρχαῖοι θεολόγοι Ἑλλήνων. τίς γὰρ ἡ ἀποκλήρωσις, κυριολεκτεῖσθαι μὲν τὸν Δία; οὐχὶ δὲ καὶ τὸν πατέρα μὲν αὐτοῦ εἶναι Κρόνον, μητέρα δὲ Ῥέαν; τὸ δ' ὅμοιον ποιητέον καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὀνομαζομένων Θεῶν. τούτου δὲ τὸ ἔγκλημα οὐδαμῶς ἅπτεται τῶν κατά τινα ἀπόρρητον λόγον τὸ Σαβαὼθ τασσόντων ἐπὶ τοῦ Θεοῦ, ἢ τὸ Ἀδωναῒ, ἢ τι τῶν λοιπῶν ὀνομάτων. Ὅταν δὲ τὰ περὶ ὀνομάτων τις δύνηται τὰ ἐν ἀπορρήτοις [NB] φιλοσοφεῖν, πολλὰ ἂν εὕροι περὶ τῆς ἐπικλήσεως τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ· ὧν ὁ μέν τις Μιχαὴλ, ἕτερος δὲ Γαβριὴλ, καὶ ἄλλος Ῥαφαὴλ καλεῖται, φερωνύμως τοῖς πράγμασιν, ἃ διακονοῦνται κατὰ βούλημα τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων ἐν τῷ παντί. τῆς δ' ὁμοίας ἔχεται περὶ ὀνομάτων φιλοσοφίας καὶ ὁ ἡμέτερος Ἰησοῦς, οὗ τὸ ὄνομα μυρίους ἤδη ἐναργῶς ἑώραται δαίμονας ἐξελάσαν ψυχῶν καὶ σωμάτων, ἐνεργῆσαν εἰς ἐκείνους ἀφ' ὧν ἀπηλάθησαν. Ἔτι δὲ εἰς τὸν περὶ ὀνομάτων τόπον λεκτέον, ὅτι οἱ περὶ τὴν χρῆσιν τῶν ἐπῳδῶν δεινοὶ ἱστοροῦσιν, ὅτι τὴν αὐτὴν ἐπῳδὴν εἰπόντα μὲν τῇ οἰκείᾳ διαλέκτῳ, ἔστιν ἐνεργῆσαι ὅπερ ἐπαγγέλλεται ἡ ἐπῳδή· μεταβαλόντα δὲ εἰς ἄλλην ὁιανδηποτοῦν φωνὴν, ἔστιν ἰδεῖν ἄτονον καὶ οὐδὲν δυναμένην. οὕτως οὐ τὰ σημαινόμενα κατὰ τῶν πραγμάτων, ἀλλ' αἱ τῶν

φωνῶν ποιότητες καὶ ἰδιότητες, ἔχουσί τι δυνατὸν ἐν αὐταῖς πρὸς τάδε τινὰ ἢ τάδε. *Si igitur potuerimus in hac dissertatione proferre naturam Nominum efficacium, quorum aliquot utuntur Ægyptiorum sapientes, aut Persarum Magi doctiores, aut Indicorum Philosophorum vel Brachmanes, vel Samanæi, atque ita singularum gentium: valuerimusque declarare, quod etiam Magia quæ vocatur, non, ut Epicurus & [NB] Aristoteles existimant, res incongrua sit: sed sicut ejus periti demonstrant, constans quidem, sed habens rationes paucis admodum cognitas: tum dicemus nomen illud Sabaoth & Adonai aliaque apud Hebræos cum magnâ veneratione tradita, non super vulgaribus istis & creatis rebus esse imposita, sed occultam quandam continere Theologiam, quæ universitatis opifici congruat: Quapropter nomina hæc efficacia sunt, si pronuntientur quodam ipsis congruenti modo & ordine. Alia quoque Ægyptiacâ lingua prolata Dæmonum nomina suam quandam vim habent, rursusque aliam alia linguæ Persicæ: & sic apud singulas gentes alias ad quosdam assumuntur usus. Atque ita invenietur, quemadmodum terrestres genii sortiti sunt diversa loca, sic per singula propriis eorum gentibus illos appellari vocabulis. Ergo quisquis ingeniosius vel modicam his rebus cogitationem impenderit, religiose cavebit ne aliena rebus aptet nomina, ne quid tale sibi accidat, quale his qui Dei nomen per errorem tribuunt materiæ inanimæ: aut boni appellationem primæ causæ debitam, virtutique & honesto, transferunt in cæcas divitias, & in carnium, sanguinis, ossiumque decentem proportionem, sanitatemve aut prosperam habitudinem, vel eam, quæ censetur generis nobilitas. Ac fortasse non minus periculum fuerit, nomen Dei aut boni deducere ad ea quæ non opportet, quam in arcanis verbis permutare nomina, &, deteriora potioribus accommodare, potiora deterioribus. Non dico quod ad Jovis mentionem confestim intelligitur Saturni & Opis*

filius,

filius, Junonis vir, Neptuni frater, Minervæ & Dianæ pater, filiæ suæ Proserpinæ stuprator: Aut Apollinis nomine auditur Latonæ Jovisque filius, Dianæ frater, Mercurii germanus eodem patre prognatus, & quæcunque alia produnt sapientes illi Celsi dogmatum parentes, priscique Græcorum Theologi: Qua enim sorte Jovi obvenit ut sic nominetur, nec aliter? utque pater ejus sit Saturnus, Opis mater? Idem censendum & de aliis qui habentur pro Diis, Quod enim crimen non cadit, in eos qui occultâ quadam ratione Sabaoth ponunt pro Deo, aut Adonai, aut reliquorum nominum aliquod. Qui autem potuerit de nominum secreta ratione philosophari, multa facile inveniet & de appellationibus Angelorum Dei; quorum alius Michael, alius Gabriel, alius Raphael nominatur, nomine quisque suo convenienti ministerio, ex voluntate Dei, qui universæ rerum naturæ præsidet. Ad hujusmodi de nominibus philosophiam pertinet noster quoque Jesus, cujus nominis efficaciâ jam innumeri Dæmones conspecti sunt manifeste fugati ex arreptorum corporibus & Animis. His addendum, quod affirmant INCANTANDI PERITI, *eandem incantationem pronuntiatam linguâ suâ propriâ efficere quod pollicetur: sin transferas eam in alias quascunque voces, evidenter vim suam perdere: adeo vis ea* NON IN SIGNIFICATIONIBUS RERUM, SED IN IPSIS VOCUM QUALITATIBUS ET PROPRIETATIBUS *inest, & ad hæc vel illa efficax.*

Hisce adjungam illa quæ habet libro quinto: Οὐδὲ γὰρ ἀπ' ἀνθρώπων τὴν ἀρχὴν ἔχουσιν αἱ ἐν ἀνθρώποις διάλεκτοι, ὡς δῆλον τοῖς ἐφιστάνειν δυναμένοις φύσει ἐπῳδῶν οἰκειουμένων, κατὰ τὰς διαλέκτους, καὶ τοὺς διαφόρους φθόγγους τῶν ὀνομάτων τοῖς πατράσι τῶν διαλέκτων· περὶ ὧν ἐν τοῖς ἀνωτέρω, ἐπ' ὀλίγον διειλήφαμεν, λέγοντες, ὅτι καὶ μεταλαμβανόμενα εἰς ἄλλην διάλεκτον τὰ πεφυκότα δύνασθαι ἐν τῇ δεῖνι διαλέκτῳ, οὐκέτι ἀνύει τι ὡς ἤνυσεν ἐν ταῖς οἰκείαις φωναῖς. ἤδη δὲ καὶ ἐπ' ἀνθρώπων τὸ τοιοῦτον εὑρίσκεται, τὸν γὰρ ἀπὸ γενέσεως Ἑλλάδι διαλέκ-

τῷ καλούμενον τὸν δεῖνα, οὐκ ἂν μεταβαλόντες εἰς διάλεκτον Αἰγυπτίων, ἢ Ῥωμαίων, ἤ τινος ἄλλου, ποιῆσαι μὲν παθεῖν ἢ δρᾶσαι ἅπερ πάθοι ἢ δρᾶσαι ἂν καλούμενος τῇ πρώτῃ θέσει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ. Ἀλλ' οὐδὲ τὸν ἐξ ἀρχῆς Ῥωμαίων κληθέντα φωνῇ εἰ μεταλάβοιμεν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα διάλεκτον, ποιήσαι μὲν ἄν, ὅπερ ποιεῖν ἐπαγγέλλεται ἡ ἐπῳδή, τηροῦσα τὸ κατωνομασθὲν αὐτῷ πρῶτον ὄνομα. εἰ δὲ ταῦτα περὶ ἀνθρωπίνων ὀνομάτων λεγόμενα ἐστὶν ἀληθῆ· τί χρὴ νομίζειν ἐπὶ τῶν δι' ἥνδήποτε αἰτίαν ἀναφερομένων ἐπὶ τὸ θεῖον ὀνομάτων; μεταλαμβάνεται γὰρ, φέρ' εἰπεῖν, εἰς Ἑλλάδα φωνὴν ἀπὸ τοῦ Ἀβραὰμ ὀνόματος καὶ σημαίνεταί τι ἀπὸ τοῦ Ἰσαὰκ προσηγορίας, καὶ δηλοῦταί τι ἀπὸ τοῦ Ἰακὼβ φωνῆς· καὶ ἐὰν μὲν ὁ καλῶν ἢ ὁ ὁρκῶν ὀνομάζῃ Θεὸν Ἀβραὰμ, καὶ Θεὸν Ἰσαὰκ, καὶ Θεὸν Ἰακὼβ, τάδε τινὰ ποιήσαι ἄν, ἤτοι διὰ τὴν τούτων φύσιν, ἢ καὶ δύναμιν αὐτῶν, καὶ δαιμόνων νικωμένων καὶ ὑποταττομένων τῷ λέγοντι ταῦτα. ἐὰν δὲ λέγῃ, ὁ Θεὸς πατρὸς ἐκλεκτοῦ τῆς ἠχοῦσης, καὶ ὁ Θεὸς τῆς γέλωτος, καὶ ὁ Θεὸς τοῦ πτερνιστοῦ· οὕτως οὐδὲν ποιεῖ τὸ ὀνομαζόμενον, ὡς οὐδὲ ἄλλό τι τῶν μηδεμίαν δύναμιν ἐχόντων. οὕτω δὲ κἂν μὲν μεταλάβωμεν τὸ Ἰσραὴλ ὄνομα εἰς Ἑλλάδα, ἢ ἄλλην διάλεκτον, οὐδὲν ποιήσομεν· ἐὰν δὲ τηρήσωμεν αὐτὸ, προσάπτοντες οἷς οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ συμπλέκειν αὐτὸ ᾠήθησαν· τότε γένοιτ' ἄν τι κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν τῶν τοιωνδὶ ἐπικλήσεων, ἐκ τῆς τοιασδὶ φωνῆς. τὸ δὲ ὅμοιον ἐροῦμεν καὶ περὶ τῆς Σαβαὼθ φωνῆς, πολλαχοῦ τῶν ἐπῳδῶν παραλαμβανομένης, ὅτι εἰ μεταλαμβάνομεν τὸ ὄνομα εἰς τὸ, Κύριος τῶν δυνάμεων, ἢ Κύριος στρατιῶν, ἢ Παντοκράτωρ (διαφόρως γὰρ αὐτὸ ἐξεδέξαντο οἱ ἑρμηνεύοντες αὐτὸ) οὐδὲν ποιήσομεν· τηροῦντες δὲ αὐτὸ ἐν τοῖς ἰδίοις φθόγγοις, ποιήσομέν τι, ὡς φασιν οἱ περὶ ταῦτα δεινοί. τὸ δὲ ὅμοιον ἐροῦμεν καὶ περὶ τοῦ Ἀδωναΐ. εἴπερ οὖν οὔτε τὸ Σαβαὼθ, οὔτε τὸ Ἀδωναΐ, μεταλαμβανόμενα εἰς ἃ δοκεῖ σημαίνειν ἐν Ἑλλάδι φωνῇ, ἀνύει τι· πόσῳ πλέον οὐδὲν ἂν ποιῆσαι οὐδὲ δυναθείη παρὰ τοῖς μηδὲν διαφέρειν οἰομένοις Δία Ὕψιστον καλεῖν, ἢ Ζῆνα, ἢ Ἀδωναῖον, ἢ Σαβαώθ.

Nec enim ab hominibus initium ſumpſerunt linguæ hominum, ut liquet animadvertentibus PROPRIETATES *incantationum in linguis variis* : *&* VARIOS ACCENTUS *nominum* PRO DIVERSIS REGIONIBUS. *De quo ſupra paucis*

paucis tractavimus, dicendo, quod voces genuinam vim habentes in lingua quapiam, si transferantur in aliam, non eandem vim obtinent. Idem reperitur IN HOMINIBUS; *hominem enim a nativitate* GRÆCO NOMINE *illo vel illo vocatum, si mutato nomine in Romanum, aut Ægyptium, aut cujusvis gentis incantaveris, non erit efficax Incantatio, alioqui futura, si vocetur nomine illi dudum imposito. Idem accidet in Romano nomine, si in Græcum mutato incantationem tentes; non valebit quæ valitura erat non mutato hominis nomine pristino. Id si verum est in humanis nominibus; quid sentiendum de attributis Deo quacunque de causâ? Exempli gratia; significat aliquid si interpreteris. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob; Adjuret aliquis per Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Jacob, efficiet aliquid, aut per naturam, aut per virtutem eorum nominum, cedentibus Dæmonibus, & Victoris jussa facientibus. Idem adjurator, si dicat: Per Deum patris electi sonantis, per Deum Risus, per Deum supplantatoris, tantundem efficiet, quantum si adhibeat quodcunque nomen inertissimum. Itidem nomen hoc* ISRAEL, *si mutemus in Romanam aliamve linguam, nihil efficiemus: sin servemus ut est, & adjungamus alia quæ solent periti harum artium; tum demum spei respondebit eventus, exerente se vi talium nominum. Idem dicendum de hac voce* SABAOTH, *quæ est frequens in incantationibus. pro ea si supponas,* DOMINUS VIRTUTUM, *aut* DOMINUS EXERCITUUM, *aut* OMNIPOTENS, *(nam varie versa est ab Interpretibus) nihil ages. Quod si vocem Hebræam, non erit inefficax,* SI [NB] CREDIMUS PERITIS EJUSMODI ARTIUM. *Id quod dici potest etiam de nomine hoc* ADONAI. *Ergo si neque* SABAOTH *neque* ADONAI, *servata sua significatione mutatum in Linguam Græcam, est efficax, quantò minus valebit apud eos, qui nihil referre putant,* JOVEM ALTISSIMUM *dicas an* ZENA, ADONÆUM *an* SABAOTH, &c.

Hæc

Hæc autem a *Chaldæis* (& *Ægyptiis*, uti vult Jamblichus,) fluxisse, ulterius tam ex ipso Jamblicho, Nicephoro in Synesium, aliisque, ostendi potest : ita enim prior hîc nominatus, Sect. VII. cap. 5. (postquam capite præcedenti ostendere conatus fuerat, Nomina talia esse ex instituto Divino,) Ἐκ δὴ τοῦδε καταφαίνεται ὡς εὐλόγως ἡ τῶν ἱερῶν ἐθνῶν προκέκριται φωνὴ πρὸ τῆς ἄλλων ἀνθρώπων· οὐδὲ γὰρ πάντως τὴν αὐτὴν διασώζει διάνοιαν μεθερμηνευόμενα τὰ ὀνόματα. ἀλλ' ἔστι τινὰ καὶ καθ' ἕκαστον ἔθνος ἰδιώματα, ἀδύνατα εἰς ἄλλο ἔθνος διὰ φωνῆς σημαίνεσθαι· ἔπειτα κἂν εἰ οἷόν τε αὐτὰ μεθερμηνεύειν, ἀλλὰ τήν γε δύναμιν οὐκέτι φυλάττει τὴν αὐτήν. *Ex his igitur patet Sacrarum Gentium [tales vocat Assyrias atque AEgyptias] merito cæteris esse præpositam. Adde quod eandem prorsus mentem non servant nomina in aliam linguam interpretata ; sunt enim singulis gentibus quædam idiomata, quæ aliis gentibus per sua vocabula significari non possunt : & si forte possint verti , non tamen eandem suam potentiam conservant.*

Quæ Nicephorus ille, qui in Synesium de Insomniis commentatus fuit, de Chaldæorum circa hæc Doctrinâ tradit, sunt hæc sequentia. Περὶ δὲ τῶν ὀνομάτων ἃ φωνοῦσι [Chaldæi] παραγγέλλουσι λέγοντες, ὀνόματα βάρβαρα μήποτ' ἀλλάξῃς· εἰσὶ γὰρ ὀνόματα παρ' ἑκάστοις θεόσδοτα, δύναμιν ἐν τελεταῖς ἄρρητον ἔχοντα, ὥσπερ τὸ Σαβαὼθ, τὸ Ἀδωναὶ, τὸ Χερουβὶμ, καὶ τὸ Ἰακὼβ, καὶ ὅσα τοιαῦτα· ἅ φησιν ἐὰν εἰς τὴν Ἑλληνικὴν μεταθῇς διάλεκτον, ἀφανίζεις τὴν αὐτῶν δύναμιν, καὶ ἐνέργειαν, ὡς καὶ Ὠριγένει δοκεῖ τῷ σοφῷ. Φησὶ δὲ &c. *De nominibus vero quibus utuntur, pronuntiant:* VOCES BARBARAS MINIME IMMUTES. *Sunt enim nomina (apud singulas gentes) Divinitus data, & habentia in Mysteriis vim ineffabilem , veluti voces Sabaoth, Adonai, Cherubim, & Jacobi harumque similes, quas (dicunt) si quis in Græcam linguam transmutes , obscuras (vel infringis) ipsorum vim & potentiam: sicut etiam videtur sapienti illi Origeni*, &c.

Sic

Sic quoque Pſellus in Scholiis ad Oracula Chaldaica, ac quidem ad iſta verba: Ὀνόματα βάρβαρα μή ποτ' ἀλλάξῃς, ex Chaldæorum doctrina hæc notat: Τουτέστιν, εἰσὶν ὀνόματα παρ' ἑκάστοις ἔθνεσι θεοπαράδοτα, δύναμιν ἐν ταῖς τελεταῖς ἄρρητον ἔχοντα. μὴ οὖν μηδ' ἀλλάξῃς αὐτὰ εἰς τὴν Ἑλληνικὴν διάλεκτον· οἷον τὸ Σεραφείμ, καὶ τὸ Χερουβείμ, καὶ τὸ Μιχαήλ, καὶ τὸ Γαβριήλ. οὕτω μὲν λεγόμενα, κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν διάλεκτον, ἐνέργειαν ἐν ταῖς τελεταῖς ἔχει ἄρρητον· ἀμειφθέντα δὲ ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ὀνόμασιν, ἀσθενῆ. *Id eſt,* SINGULÆ GENTES *habent nomina quædam Divinitus data, quæ incredibilem vim habent in ſacris* [*occulte vel magice faciendis*] *Ne igitur illa commutes aut transferas in Græcorum ſermonem: ut eſt nomen Seraphim, Cherubim, Michaël, Gabriel. Sic enim juxta Hebræorum dialectum, prolata ſingularem & ineffabilem in Sacrorum adminiſtratione habent: at in Græca nomina commutata, prorſus imbecillem,*

Hinc idem hic Pſellus (libello de operationibus Dæmonum) vult *Dæmones*, ſi *evocandi* vel *advocandi* ſint, id propria ac quaſi Vernacula ipſis lingua peragi; quod alii Chaldaicis, alii Ægyptiacis, alii Armeniacis, alii denique aliis nominibus compellandi ſint. Atque iſtinc quoque vult Dæmonia, ſi quis increpuerit, increpantem diſcernere noſſe, neque alium quenquam ab iſtis liberari poſſe, dum infeſtant, quam qui Sancte Deum colat, tremendumque Dei Verbi nomen Divina potentia fretus accinat. [ὄνομα τοῦ Θεοῦ Λόγου τὸ φρικτὸν ἐπάδει σὺν δυνάμει θείᾳ] Hæc enim *Materialia* [aëria ſc.] *Dæmonia* verita ita, ne in Abyſſos meatuſque ſubterraneos relegentur, ſibique ab *Angelis eo relegantibus* timentia, cum quis illa eò relegatum iri comminatur, *Angelorumque nomina* exprimit, quibus id Provinciæ demandatum eſt [ἐπὶ τοῦτο τεταγμένων ἀγγέλων ἐπιλέγει κλήσεις] ut vix dici queat quanto metu quantàque perturbatione concutiantur. Ita enim ipſa animo percelli, ut ne comminantem quidem, quiſnam ſit il-

le diſcernere valeant; ſed ſive ſit Anicula quæpiam, ſive vetulus vietuſve homuncio [κἂν γραῦς τις εἴη, κἂν ἀγέρωχόν τι γερόντιον] *comminationes* hujuſmodi expreſſerit tunc tantum illa metum invadere, ut plerumque abſcedant, ac ſi ea qui comminantur. iidem & internecioni dare poſſent. Aliis in gentibus eadem nomina valere negant; uti & illa quæ juſta debitaque ipſis (vernacula ſcilicet) pronuntiatione in ejuſmodi Incantationibus non proferuntur. Et tamen Hebræorum Nomina Divina ab aliis quoque gentibus uſurpata valere, etiam (quod notandum) abſque ulla Magia aut Theurgia, & Ethnici, & ipſe Origenes clarè indicant. Nec *Pacti Diabolici* noſter Origenes hîc ullatenus meminit quamvis non tantum circa Divina Nomina, verum & circa operationes Dæmonum, ſat ſuperque ſuperſtitioſus ſit. Ex Ethnicis ſuffecerit hoc exemplum, quod Photius, in Bibliotheca ſua (in vita Iſidori a Nicomacho conſcripta) ſuppeditat hoc modo: Γυναῖκα παιδοποιὸν ἄγεται· ὡς δὲ οὐκ ἐπείθετο τὸ δαιμόνιον τῆς γυναικὸς ἐξελθεῖν λόγοις ἡμεροτέροις, ὅρκῳ αὐτὸ ἀπηνάγκαζεν ὁ Εὐσέβιος, καίτοι οὔτε μαγεύειν εἰδώς, οὔτε θεουργίας ὤρκιζε τὰς τοῦ ἡλίου προτείνων ἀκτῖνας, καὶ τὸν Ἑβραίων θεόν. ὁ δὲ ἀπελήλατο ὁ δαίμων, ἀνακεκραγών· εὐλαβεῖσθαι μὲν τοὺς θεούς, αἰσχύνεσθαι δὲ καὶ αὐτόν. *Ducit [Theoſebius] uxorem pueros procreandi gratia. Verum cum Dæmonium quod mulierem obſidebat, mitioribus verbis [adjuratum] ab ea exire nollet, cogit ipſum Theoſebius Exoriſmo; quamvis nullam calleret nullaſve Theurgias meditatus fuiſſet. Adjurabat igitur, manibus protenſis,* RADIOS SOLIS *&* HEBRÆORUM DEUM. *Dæmon vero expellebatur exclamans; ſe quidem vereri Deos, ſed & ipſum [Theoſebium] ſe revereri.* At, quod minime prætereundum duco, ut hîc indicatur Hebræorum Dei nomen etiam Gentilibus adjumento fuiſſe; ſic etiam, nomen Abrahami, aliorumque Patriarcharum, horum Gentilium adjurationibus acceſſiſſe. Ita enim Origenes (lib. 1. contra Celſum) diſerte affirmat, his ver-

verbis: τοῦ δ' Ἀβραὰμ τὸ ὄνομα οὐ Μωϋσῆς ἀναγράφει μόνος, οἰκειῶν αὐτὸν Θεῷ· ἀλλὰ καὶ πολλοὶ τῶν ἐπαδόντων δαίμονας χρῶνται ἐν τοῖς λόγοις αὐτῶν τῷ, ὁ Θεὸς Ἀβραάμ· ποιοῦντες μὲν διὰ τὸ ὄνομα καὶ πρὸς τὸν δίκαιον τοῦ Θεοῦ οἰκειότητα· διὸ παραλαμβάνουσι τὴν, Θεὸς Ἀβραάμ, λέξιν, οὐκ ἐπιστάμενοι δὲ τίς ἐστιν ὁ Ἀβραάμ. τὰ δὲ αὐτὰ λεκτέον καὶ περὶ τοῦ Ἰσαὰκ, καὶ περὶ τοῦ Ἰακὼβ, καὶ περὶ τοῦ Ἰσραήλ· ἅτινα ὁμολογουμένως Ἑβραῖα ὄντα ὀνόματα, πολλαχοῦ τοῖς Αἰγυπτίοις ἐπαγγελομένοις ἐνέργειάν τινα ἐνέσπαρται μαθήμασι. *Abrahami vero nomen non in ſolius Moſis Scriptura legitur, cum eum Deo reddit familiarem, verum etiam multi ex iis qui excantant Dæmonia, verbis ſuis inſerunt illud,* DEUS ABRAHAMI, *indicantes hoc nomine familiaritatem ejus cum Deo. quapropter aſſumunt verbum hoc,* DEUS ABRAHAMI, *etſiamſi* [NB] *neſciant, quiſnam fuerit ille* ABRAHAM. *Idem dicendum de* ISAAC *&* JACOB *& Iſraël: quæ cum ex confeſſo Hebræa ſint vocabula, frequenter ſunt interſperſa Ægyptiorum diſciplinis occultioribus.* Videmus igitur hic & alia nomina, Patriarcharum nempe, adhibita: verum abſque ulla vel magiæ vel Theurgiæ, vel Pacti Diabolici mentione; quod tamen vulgo Chriſtiani volunt, ejuſmodi Incantationibus intercedere: Pactum namque Diabolicum (ſeu cum Diabolo factum) ſemper circa talia prætenditur; ut quo Diabolus, ut ejuſmodi verba effectum ſortiantur, efficiat. Interim conſtat Deum Opt. Max perquam ſevere vetuiſſe, ne Iſraëlitæ nomen ſuum ullo modo in vanum abuterentur; uti ex verbis Exodi (cap. XX, 7.) clare patet. ibi enim (uti bene notat Fr. Junius) vox לשוא vertenda, *ulla cauſa ré, aut ratione vana, vel mendace.* Quæ omnia (ait) formula Hebræo ſignificantur.

Itane Deus Opt. Max. conceſſerit Ægyptiis, aliiſque Gentilibus, ut quod tantæ abominationi ipſi erat inter Iſraëlitas, id ipſis cum vera energia in abuſu eſſet, uſurpatio, ſcilicet Nominis Divini in vanum, ad Magicas quippe præſtigias (ac quidem id docente Diabolo, ea enim eſt vulgaris opinio) perficiendas?

Deusque ille tam Zelotypus proprii honoris ac gloriæ tribuerit ipsis Ægyptiis aliis Idololatris istam prærogativam, quam paucis admodum verè piis ac probis, veroque ipsius cultui deditis, per nominis sui pronuntiationem concessit? Aut non vident homines, qui talia credunt, sic Deum Opt. Max. Diabolo concedere illa quæ piis ac probis hominibus minime concessit, præter paucissimos illos, quibus id sub initium Prædicationis Evangelicæ concessit? Diaboloque eum in perpetuum damnato sic media (per proprium scilicet nomen) præbuisse, quibus in æternum exitium pertraheret eos, quos omnes ipse Deus, per Filium Jesum Christum, ejusque Sacrosanctum Nomen, salvos voluit?

Nec solis *Dæmonibus expellendis* inserviebant Sacra illa ac Divina Nomina: verum, ne hic Theologi [de veris ac piis Theologis minime loquor] nimium glorientur talibus, etiam Medici Veteres (atque utinam ii soli id fecissent!) Divinis ejusmodi ac Sacris Nominibus omnes *pene morbos expellebant*; saltem id se facere prætendebant; quandoque iis solis, quandoque & aliis mediis superadditis. Sic enim Alexander Trallianus libro XI. cap. ultimo: Ἱερὰν βοτάνην, ἥτις ἐστὶν ὑοσκύαμος. σελήνης οὔσης ἐν ὑδροχόῳ ἢ ἰχθῦσι, περιορύξας τὴν βοτάνην πρὶν ἢ δῦναι τὸν ἥλιον, μὴ ἁψάμενος τῆς ῥίζης, ὀρύξας αὐτοῖς τοῖς δύο δακτύλοις τῆς ἀριστερᾶς χειρὸς, τῷ ἀντίχειρι καὶ τῷ ἰατρικῷ δακτύλῳ, λέγε· Λέγω σοι, λέγω σοι ἱερὰ βοτάνη, αὔριον καλῶ σε εἰς τὸν οἶκον τοῦ Φιλέα, ἵνα στήσῃς τὸ ῥεῦμα τῶν ποδῶν καὶ τῶν χειρῶν τοῦδε ἢ τῆσδε. ἀλλ' ὁρκίζω σε τὸ ὄνομα τὸ μέγα Ἰαώθ, Σαβαώθ, ὁ Θεὸς ὁ στηρίξας τὴν γῆν, καὶ στήσας τὴν θάλασσαν ῥεόντων ποταμῶν πλεονάζουσαν, ὁ ξηράνας τὴν τοῦ Λὼτ γυναῖκα, καὶ ποιήσας αὐτὴν ἁλατίνην, λάβε τὸ πνεῦμα τῆς μητρός σου γῆς, καὶ τὴν δύναμιν αὐτῆς, καὶ ξήρανον τὸ ῥεῦμα τῶν ποδῶν ἢ τῶν χειρῶν τοῦδε ἢ τῆσδε. καὶ τὸ αὔριον πρὸ ἀνατολῆς λαβὼν ὀστέον οἱουδήποτε ζώου ἀποθανόντος, ὀρύξας αὐτὴν τούτῳ τῷ ὀστέῳ, καὶ λαβὼν τὴν ῥίζαν, λέγε ὀρκίζω σε κατὰ τῶν ἁγίων ὀνομάτων, Ἰάω, Σαβαώθ, Ἀδωναΐ, Ἐλωΐ. καὶ λαβὼν αὐτὴν βάλε ἐν τῇ ῥίζῃ μίαν δράκα ἁλῶν, λέγων,

γων, ὡς οἱ ἅλες οὗτοι οὐκ αὔξονται, μήξε τὸ πάθος τοῦδε ἢ τῆσδε. καὶ λαβὼν τὸ ἄκρον τῆς ῥίζης, περίαπτε τῷ πάσχοντι, φυλάττων ἄβροχον, τόδε τὸ λοιπὸν κρέμα ἐπάνω τῆς ἐχάρας ἡμέρας τξ. &c. *Herbam Sacram quæ est Hyscyomus, cum Luna est in Aquario aut Piscibus, effodito ante Solis occasum, radicem non attingens: ubi effoderis ipsam duobus sinistræ manus digitis, pollice & medio, dicas: Loquor tibi, herba Sacra, cras voco te in domum Philiæ, ut sistas fluxionem pedum & manuum, hujus viri, vel hujus mulieris. Sed adjuro te per nomen magnum Jaoth, Sabaoth: Deus qui terram firmavit, & fixit mare fluviis abundans fluentibus, qui exsiccavit uxorem Loth, & fecit eam statuam Salinariam, accipito spiritum matris tuæ terræ & vires ejus, & siccato fluxionem pedum aut manuum, hujus viri, aut mulieris. Crastino die, ante exortum solis, accepto osse cujuscunque animantis mortui, effodito radicem, & acceptâ ista, dicito: Adjuro te per sancta nomina Jaoth, Sabaoth, Adonai, Eloi: ac in ipsam radicem salis pugillum conjicito, inquiens: Ut sales hi non augebuntur, sic neque affectus hujus viri, aut hujus mulieris. Item extremam radicis partem ægro alligato, cavens ne madescat, reliquum vero suspendito, super crustam diebus tercentum sexaginta.* O brevem ac facilem per Nomina Sacra curam!

Similia nobis exhibet Marcellus Empyricus, qui sequentia hæc ad cordis dolorem præscribit: *Cordis dolori & conco & præcordiis remedia rationabilia diversa de experimentis. ad Concum* CARMEN. *In lamela stannea scribes & ad collum suspendes hæc, ante vero etiam cane,* CORCU NE MERGITO, CAVE CORCU NE MERGITO CANTOREM, UTOS, UTOS, UTOS, PRÆPARAVI TIBI VINUM LENE, LIBIDINEM, DISCEDE A NONITA, IN NOMINE DEI JACOB, IN NOMINE DEI SEBAOTH.

At simplicius longe agebant, qui ad febres curandas collo appendebant initium Evangelii Joannis, Ἐν ἀρχῇ ἦν &c. per-

gameno inſcripta : quique ante febrilis paroxyſmi acceſſum lavatis ſuis, unà cum ægroti, manibus, murmurando pronunciabant (ex Pſalmo 144) *Exaltabo te, Deus, meus Rex.* uti & illi qui Epilepticis curandis accinebant hos verſiculos:

Caſpar fert Myrrham, thus Melchior, Balthazar aurum.
Hæc tria qui ſecum portabit nomina Regum
Solvitur a morbo, Chriſti pietate, caduco.

Quin etiam illa quibus ipſe Cardanus, ut teſtatur, in ſemetipſo ſanguinis fluxum ſiſtere valuit :

Sanguis mane in te, ſicut Chriſtus fecit in ſe :
Sanguis mane in tua vena, ſicut Chriſtus in ſua pœna:
Sanguis mane fixus, ſicut Chriſtus quando fuit crucifixus.

Nec ſolos hominum quidam morbos, verum & pecudum, curare ſe prætendebant; uti qui nominibus *Patris*, *Filii*, ac *Spiritus Sancti* fœde ad *equorum vermes* abutebantur; *ſerpentumque conjurationes*, ſive *Incantationes per quinque vulnera Chriſti* aliaque ſuperſtitioſe, imò & idololatrice, addita peragebant : cum Gentiles circa illa nominibus Barbaris atque incognitis abuterentur.

Nec miretur talia aliquis, quum & *Vinum* ſe ita uti opportet *conſervare* crederent : modo ſuper eo pronuntiarent ex Pſalmo XXXIII. *Guſtate & videte quod bonus eſt Dominus.* quod credo non pronuntiabant, niſi prius vino iſto bene deguſtato. Nec ſtupeat denique *piſcium capturam per Divina nomina* patellis inſcripta peractam : quum ex Geoponico Conſtantini diſcamus hæc ſequentia : *Si teſtas aut patellas tres, a quibus carnes detraxeris, ſtilo inſcribas his verbis,* JAO, SABAOTH; *ad admirationem juxta illas congregabuntur.*

Aſt operæ pretium eſt hic addere illa, quæ *Joannes Tilemannus* (ne neceſſe habeamus etiam ad illa, quæ *Cornelius Agrip-*

grippa perabſurde, ſtulte atque impiè produxit, excurrere) in Appendice de materia Medica ad Aphoriſmos Therapeuticos, ad plurima mala, quam ſerio præſcripſit, nempe ℞ *Mercurii ſeptemplicis Libr.* j. *Salis Armoniaci, Vitrioli Ungarici* ā ℥iiij *Viridis æris lib.* ß *Coquantur in aceto Vini, vel etiam aqua ferrariorum in novâ Sartagine, lentè ſemper cum ſpatula lignea movendo, donec ſpadiceus color appareat & fiat maſſa inſtar pultis, quæ abjecto liquore exſiccanda cautè. Mercurio prius vivo per pannum linteum trajecto, ſicque in annulos argenteos infundenda, in hora, die & anno, Jovis, Solis Veneris vel Mercurii, Lunâ & Sole ingredientibus Scorpionem, eique hi Characteres cupreæ laminæ inſculpti, in medium triangulum inſerendi, ut in facie una:*

יה
אהיה יהוה אלהים אל אלהים גבור α | ω

in altera facere:

יה
אלוה יהוה צבאות אלהים צבאות אלהי : שהי אדוני α | ω

Quæ certe non ſatis capio, ac puto *Filiis Lucis, Illuminatis* atque *Adeptis* conſcripta; quibus nominibus fratres ſuos, atque imbutos ipſorum inſaniis, appellitant iſtius commatis *Chymici,* quorum familiaritate nec utor, nec uti deſidero.

Verum exſpectas, mi Lector, cui uſui, quibuſve potius incommodis medendis, hæc ita parata inſerviant. Audi igitur ipſum Auctorem: *Uſus autem hic eſt: ut collo ad foveam cordis appenſum, ita nude vel ſuper induſium ſingulisque mane ac veſperi cum ſputo, vel aqua calida, vel panno, abſterſum; interdum etiam in terram defoſſum,* DONEC ITE-

RUM

rum splendescat, gestetur. *Sic enim mira præstat circa pestes ejusque præsagia ac curam, aliaque plura mala. ac quidem* (ut rursus ipsius verbis utar) 5°. *Imaginationibus melancholicis, Fascinationibus, Incantationibus & Veneficiis medetur ac prævenit, spiritus turbulentos fugando antipathia suâ. Sic ipse* D. Lutherus *testatur, primæ promissionis verba* Gen. III. v. 15. Parietibus & januis adscripta, Lemures, Spectra, et Diabolos *profligasse: quidni igitur* nomina decem Divina *arboris Sephiroticæ Hebraica & Sancta originali lingua consculpta idem valeant?* &c. Post quæ hæc rationibus atque auctoritabus firmare, ac defendere, ut efficacia, ut bona ac pia, magno conamine nititur. At quis non hîc exclamet: *O curas hominum, O quantum est in rebus inane!*

Dum autem, ut vidimus multi circa ista nugatoria ac verè impia, prætensis Sacris, ac *Divinis* quoque, abutebantur *nominibus;* sic alii, illis neglectis, talia excogitabant, quæ quamvis nihil significarent, tamen grande quid sonarent, suâque Barbarie credulos ac superstitiosos Auditores obstupefaciebant. Qualia erant (ut a carmine tamen incipiam, nec impio quidem, ut talibus addictis videri queat) ista:

Ananisapta ferit, mortem qui ledere quærit
Est mala mors capta cum dicitur ananisapta:
Ananisapta Dei O Miserere mei.

Quæ contra pestem ac febres pestilentiales certo modo scripta collo appendebant.

Verum & *Varro* & *Cato* minori labore morbis medebantur: ut quorum primus, adversus coxendicem, hisce utebatur: *Sista, Pista, Kista, Xista;* ac contra dolores dentium ter exclamabat, *Anasaga, Anasaga Anasaga:* posterior ad luxum & fracturas, paucis quibusdam ritibus superadditis *Vata*

ta Daries Dardaries, *Astaries*, *Dissunapiter*. &c. *Huat*, *hamat*, *huat*, *ista*, *pista*, *sista*, *dominabo*, *damnaustra*, *& lulato*. Vel hoc modo, *huat huat ista sis tar sis ardannabon dunnaustra*. Sic postea quoque Marcellus Empiricus, (qui Lippientes homines sanat aurea lamella collo appensa, modo inscribatur & ΟΡΨΩ ΟΡΨΩΔΗ; ac paronychia laborantibus injungit, ut digito parietem attingentes, ter ingemineant, PU. PU. PU. *Nunquam ego te videam per parietem reperi*) is dico Marcellus, per hæc sequentia, *Sicucuma*, *cucuma*, *ucuma*, *cuma*, *uma ma*, *a*, omne sanguinis profluvium se sistere prætendit.

Sed ne plura tam ex his quam ex aliis, qui nugis ejusmodi abundant adducam, & Lectori meo nauseam, si non & vomitum excitem, paulo majora conabor, atque ad Poëtica me convertam. Legimus certe Odysseæ libro. . . .

Τὸν μὲν ἄρ Αὐτολύκου παῖδες φίλοι ἀμφεπένοντο,
Ὠτειλὴν δ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο
Δῆσαν ἐπισταμένως ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
Ἔσχετον.

Ipsiusque Homeri versum sequentem affert Alex. Trallianus ad dolores Arthriticos:

Τετρήχει δ' ἀγορή, ὑπὸ δ' ἐστοναχίζετο γαῖα.

Uti quoque contra ebrietatem, ante primum poculum pronuntiabatur:

Τρὶς δ' ἄρ ἐξ Ἰδαίων ὀρέων κτύπε μητιέτα Ζεύς.

Ac, ne fructus intempestive deciderent arboribus, appendebatur hic versus:

Χαλκέῳ ἐν κεράμῳ δέδετο τρεῖς καὶ δέκα μῆνας.

Ab aliis quoque ad os piſcis faucibus inhærens commendabantur hi verſus:

> Μὴ μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου
> Ἐξ ἀΐδος πέμψειεν ἀπαίνη περσεφόνεια

Hæc, mi Lector, atque alia plurima nugamenta, quæ prætereo, reperimus apud veteres tum Ethnicos tum Chriſtianos, primum ex Chaldæiſmo, atque hinc ex Cabbaliſtis ortum trahentia; ex Idololatria primum orta atque ad Idololatriam denuo animos retrahentia. Verum ſi ulterius aliquid dicendum fuerit de Verbis, Herbis ac Lapidibus (qui poſtremi maximarum virium ſunt contra ejuſmodi impoſtores, meo ſaltem judicio) id ubi de Magis ac Magia ago, locum ſuum reperiet; eo quod & Ars hæc incantatrix (ut ſic loquar) & Ars Magica ſibi plane gemina ſint, ejuſdemque naturæ, & non aliter hæc quam iſta prætenſa Sacra conſtent.

Non ſolos autem Idololatricos Judæos ſuos habuiſſe *Exorciſtas*; verum & poſterioribus ſeculis, cum jam dudum Idololatria inter ipſos deſierat, ejuſmodi *Præſtigiatores* [namque eo nomine quoque inter Rabbinos hujuſmodi impoſtores veniunt] locum ibi habuiſſe, patet I°, ex Flavio Joſepho; qui libro 8. Antiquitat. Judaic. cap. 2. . . in hunc modum loquitur: Παρέσχε δ' αὐτῷ μαθεῖν ὁ θεὸς, καὶ τὴν κατὰ τῶν δαιμόνων τέχνην εἰς ὀφέλειαν καὶ θεραπείαν τοῖς ἀνθρώποις. ἐπῳδάς τε συνταξάμενος αἷς παρηγορεῖται τὰ νοσήματα, καὶ τρόπους ἐξορκώσεων κατέλειπεν, οἷς ἐνδούμενα τὰ δαιμόνια ὡς μηκέτ' ἐπανελθεῖν ἐκδιώκουσι. καὶ αὕτη μέχει νῦν παρ' ἡμῖν ἡ θεραπεία πλεῖστον ἰσχύει. ἱστόρησα γάρ τινα Ἐλεάζαρον τῶν ὁμοφύλων, Οὐεσπασιανοῦ παρόντος, καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ, καὶ χιλιάρχων, καὶ ἄλλου στρατιωτικοῦ πλήθους, τοὺς ὑπὸ τῶν δαιμόνων λαμβανομένους ἀπολύοντα τούτων. ὁ δὲ τῆς θεραπείας τρόπος τοιοῦτος ἦν. προσφέρων ταῖς ῥισὶ τοῦ δαιμονιζομένου τὸν δακτύλιον, ἔχοντα ὑπὸ τῇ σφραγῖδι ῥίζαν ἐξ ὧν ὑπέδειξε Σολομὼν, ἔπειτα ἐξεῖλκεν ὀσφραινομένῳ διὰ τῶν μυκτήρων τὸ δαιμόνιον. καὶ πεσόντος εὐθὺς τοῦ ἀνθρώπου,

θρώπου, μηκέτ' εἰς αὐτὸν ἐπανελθεῖν ὥρκου, Σολομῶνός τε μεμνημένος καὶ τὰς ἐπῳδὰς ἃς συνέθηκεν ἐκεῖνος ἐπιλέγων. βουλόμενος δὲ πεῖσαι καὶ παραστῆσαι τοῖς παρατυγχάνουσιν ὁ Ἐλεάζαρος ὅτι ταύτην ἔχει τὴν ἰσχὺν, ἐτίθει μικρὸν ἔμπροσθεν ποτήριον πλῆρες ὕδατος ἢ χειρόνιπτρον· καὶ τῷ δαιμονίῳ προσέταττεν ἐξιόντι τοῦ ἀνθρώπου ταῦτ' ἀνατρέψαι, καὶ παρασχεῖν ἐπιγνῶναι τοῖς ὁρῶσιν, ὅτι καταλέλοιπε τὸν ἄνθρωπον. γινομένου δὲ τούτου, σαφὴς ἡ Σολομῶνος καθίστατο σύνεσις καὶ σοφία. *Docuit ipsum &* ARTEM *illam contra Dæmones, ad consolationem & sanationem hominum. Unde componens quoque* [hic Salomo] INCANTATIONES *quibus mitigantur ac curantur morbi. reliquit quoque modos (sive formulas) excantationum, quibus Dæmones in corpora ingressi ita expelluntur, ut eò reverti nunquam valeant.* ET ISTA CURATIONIS SPECIES ETIAM ADHUC INTER NOS PLURIMUM VALET ET IN USU EST. *Accepi enim Eleazarum quendam ex nostræ gentis hominibus, præsentibus Vespasiano ejusque filiis, tum quoque Tribunis militum, aliaque militari multitudine, homines a Dæmone obsessos ab eo liberasse. Modus autem erat talis: Admovebat obsessi naribus annulum qui sub sigillo continebat radicem ex earum genere quas indicaverat Salomo; atque ita extrahebat Dæmonem ex naribus eam odorantis: ac cadente hinc subito homine, recitabat Incantationes quas* [*Salomo*] *composuerat; adjurabatque hominem Salomonis nomen commemorans, ne unquam (Dæmon) ad istum (hominem) reverteretur. Cupiensque persuadere Eleazar illos qui ibi præsentes aderant, se talem possidere potestatem, ponebat ibi prope calicem, aut pelluvium aqua plenum, ac mandabat Dæmoni, ut, exiens e corpore hominis, illud inverteret, atque ita ostenderet se reliquisse hominem. Quod cum fieret ita manifesta reddebatur intelligentia ac Sapientia Salomonis.*

Ad hæc verba Josephi non immerito, mea sententia, magnus ille Petrus Cunæus, (dum lib. I. cap. 12. Reipubli-

cæ Hebræorum de poculo mulieribus Adulterii suspectis propinato loquitur) sequentia apponit: *Judæi Magistri id poculum* סוטה *appellant. Quia autem vis ejus occultior in lege horrendi carminis latet, creditum ab illis est senatores hos cunctos fuisse Magiæ peritos, eamque artem tanti esse, uti qui nescirent eam, recepti in summum illum ordinem non sint. Hæc opinio etiam nunc verpos tenet; sed vanissima est. Jam enim diximus sacrum quendam instinctum non defuisse septuaginta senibus, postquam solemni actu impositæ illis manus essent. Et ipse Deus in Pentateucho eundem spiritum illis promittit, qui in Mose esset. Quare profecto tam futilis scientiæ præsidio non indigebant, qui meliora certioraque edocti cœlitus erant. Nos hunc Judæorum asininum stuporem non traduceremus, nisi Flavius Josephus quoque summus scriptor, popularium commentis deceptus, similia aut stultiora delirasset. Eleazarum enim quempiam majorum gentium sapientem memorat, qui coram Vespasiano incantamenta quædam fanaticis adhibuerit, quæ summus Rex Salomo in hunc usum a Geniis accepta transmisisset ad posteros. Multa ille ibi refert, quæ satis digne exsibilari non possunt. Nos putamus Josephum, quo die istæc scripsit, aliquod purgamentum calcavisse. Adeo infeliciter, & præter morem suum, aliena locutus est.*

Ipse Josephus interim ait, ἱϛόρησα, quod propriè magis denotat *cognovi*, seu potius *percepi* ex auditu ac relatione aliorum, quam visu proprio. Hoc tamen Interpretes reddere malunt, *Vidi;* ut ipsi (prout mihi videtur) hinc nugacissimo figmento eo majorem creent fidem atque auctoritatem, eamque historiam ita pro vera eo melius venditent. P. Cunæus de Josepho, super hoc loco, ita locutus fuerat: *multa ille ibi refert, quæ satis digne exsibilari non possunt. Nos putamus Josephum, quo die istæc scripsit, aliquod purgamentum calcavisse, adeo infeliciter, & præter morem*

suum

suum, locutus aliena est. Cui, ut ita & herbarum & verborum miraculosorum prætensis viribus patrocinetur, regerit Doctissimus *Spencerus : At si eadem ego de Cunæo dicerem; ideone refutarem?* &c. atque adeo hæc Cunæi dicta in ipsum Cunæum retorquere conatur. Ita quandoque etiam eruditissimi viri superstitiosi potius videri, vel esse volunt, quam sapientes: dum non attendunt ad sequelas inde resultantes.

Non videtur sane Spencerus ea legisse, quæ idem ille Josephus, Belli Judaici lib. VII. cap. 23. narrat de radice quadam ipsi Baara appellata: forsan enim ista ipsum tali Dæmonomaniaca (sive, ut mollius loquar δεισιδαιμονιώδει) superstitione liberasset. Josephi verba sunt: Αὕτη φλογὶ μὲν τὴν χροιὰν ἔοικε περὶ δὲ τὰς ἑσπέρας σέλας ἀποστράπτουσα. τοῖς δὲ ἐπιοῦσι καὶ βουλομένοις λαβεῖν αὐτὴν, οὐκ ἔστιν εὐχείρωτος. ἀλλὰ ὑποφεύγει, καὶ οὐ πρότερον ἵσταται πρὶν ἄν τις οὖρον γυναικὸς, ἢ τὸ ἔμμηνον αἷμα χέῃ κατ' αὐτῆς. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τότε τοῖς ἁψαμένοις πρόδηλός ἐστι θάνατος, εἰ μὴ τύχῃ τις αὐτὴν ἐκείνην ἐπενεγκάμενος τὴν ῥίζαν ἐκ τῆς χειρὸς ἀπηρτημένην. ἁλίσκεται δὲ καὶ καθ' ἕτερον τρόπον ἀκινδύνως, ὅς ἐστι τοιόσδε. κύκλῳ πᾶσαν αὐτὴν περιορύττουσιν, ὡς εἶναι τὸ κρυπτόμενον τῆς ῥίζης βραχύτατον, εἶτ' ἐξ αὐτῆς ἀποδοῦσι κύνα, κἀκείνου τῷ δήσαντι συνακολουθεῖν ὁρμήσαντος, ἡ μὲν ἀνασπᾶται ῥᾳδίως. θνήσκει δ' εὐθὺς ὁ κύων, ὥσπερ ἀντιδοθεὶς τοῦ μέλλοντος τὴν βοτάνην ἀναιρήσεσθαι. φόβος γὰρ οὐδεὶς τοῖς μετὰ ταῦτα λαμβάνουσιν. ἔστι δὲ μετὰ τοσούτων κινδύνων, διὰ μίαν ἰσχὺν περισπούδαστος. τὰ γὰρ καλούμενα δαιμόνια, ταῦτα δὲ πονηρῶν ἐστιν ἀνθρώπων πνεύματα τοῖς ζῶσιν εἰσδυόμενα καὶ κτείνοντα τοὺς βοηθείας μὴ τυγχάνοντας, αὕτη ταχέως ἐξελαύνει, κἂν προσενεχθῇ μόνον τοῖς νοσοῦσι. Quæ meo judicio, ita vertenda sunt: *Hæc* [*radix*] *ignem colore refert, ac circa vesperam splendorem diffundit. Illis vero qui ad ipsam extrahendi gratia accedere volunt, difficilis admodum captu est: ac subterfugit, neque immota manet, antequam quis aut urinam, aut sanguinem menstruum mulieris ei superfundat. Verum & tum quoque at-*

tingentibus manifesta mors parata, nisi cui contingat ipsam ita evellere ut e manu evellentis dependens maneat. Extrahitur etiam alio modo sine ullo periculo. Totam enim ipsam circumfodiendo ita denudant, ut parva admodum pars radicis tantum terra occultata maneat. Post quæ canem ipsi alligant: qui dum ligantem consequi nititur, radicem facile extrahit, ipse vero statim moritur; ut qui dependit pœnas solvendas ei qui alias herbam extracturus fuisset. Neque postea metus ullus restat arripientibus eam. Est autem, non obstantibus ejusmodi periculis, desideratissima, propter unicam (in ipsa) virtutem. Namque DÆMONIA, *ita appellata (hæc vero* [NB] *sunt* MALORUM HOMINUM SPIRITUS, *qui vivos invadunt ac perimunt, nisi auxilio subleventur) hæc* [*radix*] *citò expellit, si modo ægrotantibus admoveatur.*

Nihil hîc notatu dignum, quod omnia sint ridicula atque absurda; nisi quod τὰ καλούμενα δαιμόνια esse asserat πονηρῶν ἀνθρώπων πνεύματα τοῖς ζῶσιν ἐνδυόμενα. *Malorum hominum spiritus vivos (homines) invadentes.*

Certe hoc si verum sit, verissimum quoque illud *homo homini Diabolus;* cum pravi homines post mortem non tantum in Dæmonia transformentur, verum & ita vivos invadant ac torqueant, ut inde vel *Incantationibus* sive *Exorcismis*, superaddita tamen radice annulo inclusa, vel sola radice *Baara* (at tali modo ex terra evulsa) Dæmoniacis admota, expelli debeant: ista tamen differentia, ut in illos quibus quoque *Exorcismi* fuerint admoti Dæmonia nunquam revertentur.

Sic autem, ubi aliquis Dæmonio obsidetur (quod supponitur tam piis quam impiis posse contingere) aut anima hominis bona, pia ac proba cum mala atque impia, aut mala atque impia demortui, cum mala adhuc vivi cohabitant: ita ut inde (si illud posterius contingat) Spiritus ille malus, qui

jam

jam actu Diabolus est, atque ille qui jam *Diabolus in fieri* (ut in Scholis loquuntur) est, simul sesqui Diabolum conficiant. Negaretne hîc etiam Spencerus, Josephum eo die quo hæc scripsit purgamentum calcavisse?

Verum enim vero, ut libere dicam quod sentio, Affirmo Josephum hæc atque alia plura, non ex errore superstitioso, verum ex mera malignitate, atque invidia in D. N. J. Christum ipsiusque Apostolos, cæterosque Dono Miraculorum adhucdum gaudentes, confinxisse. Quid enim novi afferebat D. N. Salvator expellendo Dæmonia? aut Apostoli ipsius qui per nomen ejus id quoque efficiebant; si jam dudum ac tum temporis id inter Judæos in frequenti usu fuisset? Hinc certe magis eluscescunt Judæorum contra Christianos calumniæ. Hic Josephus enim, ut elevet ipsorum circa hoc negotium mera miracula, affirmat jam Salomonem id a Deo edoctum; Pharisæi vero, D. nostrum id a Belzebub Diabolorum principe didicisse. Sane hæc nec bene conveniunt nec in una sede morantur; distant vero δὶς διὰ πασῶν ut Græci loquuntur. Nec credo istos homines qui tam libenter (quamvis ridicule) Diabolum pene ubique *Simiam Dei* esse affirmant, hîc ipsum pro Dei Simia velle agnoscere.

CAP. VI.

De Exorcismis *&* Exorcistis *Judæorum*; *adeoque & de* Filiis Scevæ. *Quibusnam promissa fuerit potestas* ejiciendi Dæmonia. *De* curiosis artibus, *atque ista occasione paulò curatius de* Literis Ephesiis; *ac de multiplici ipsarum (etiam* circa expellenda Dæmonia) *vi ac potestate. De* periaptis, *sive*

ſive Amuletis; *de* Totaphoot *ſeu* Tephilin, *&c.* *De Chriſtianorum circa* Amuleta diverſi generis *ſuperſtitione*; *De* Excantationibus. *De* numiſmatis, *De* Abracadabra, *aliiſque, quæ homines ab Angelis edoctos fuiſſe prætendebatur.* *De* Verbis S. Scripturæ, *vel lectis vel appenſis vel alligatis.* *De* parvis, *ſic dictis*, Evangeliis. *De Evangeliis &c. quæ ægrotorum* lectulis *vel* capiti *apponebantur, vel contra pericula &c. a ſanis portabantur: uti & de aliis vanis ac ridiculis* Amuletis. *De origine* Literarum Epheſiarum, *&c.*

VErum, ut hîc γεύματος ſeu δείγματος χάριν, aliquid etiam de *filiis Scevæ* dicam, quorum mentio fit Actor. cap. XIX. v. 14. &c. perpendamus, quæſo, verba ipſa Sacri Evangeliſtæ, quæ hoc modo ſe habent: Ἐπεχείρησαν δέ τινες ἀπὸ τῶν περιερχομένων Ἰουδαίων ἐξορκιστῶν ὀνομάζειν ἐπὶ τοὺς ἔχοντας τὰ πνεύματα τὰ πονηρὰ τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, λέγοντες, Ὁρκίζομεν ὑμᾶς τὸν [vel διὰ τὸν] Ἰησοῦν ὃν ὁ Παῦλος κηρύσσει. Ἦσαν δέ τινες υἱοὶ Σκευᾶ Ἀρχιερέως ἑπτὰ, οἱ τοῦτο ποιοῦντες. Ἀποκριθὲν δὲ τὸ πνεῦμα τὸ πονηρὸν εἶπε. Τὸν Ἰησοῦν γιγνώσκω, καὶ τὸν Παῦλον ἐπίσταμαι· ὑμεῖς δὲ τίνες ἐστέ; &c. *Tentaverunt autem quidam e Judæis Exorciſtis circumforaneis* (ἀγύρταις, *Circulatoribus*) *invocare ſuper eos qui habebant Spiritus malos*, NOMEN DOMINI JESU, *dicentes: adjuramus vos per Jeſum, quem Paulus prædicat. Erant autem filii Scevæ Judæi, Principis Sacerdotum, ſeptem, qui hoc faciebant. Reſpondens autem Spiritus malus dixit: Jeſum novi, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis?* &c.

Conſiderandum circa verba hujus contextus eſt, homines iſtos,

istos, *Scevæ filios*, fuisse *Agyrtas*, seu *Circulatores* ac nebulones Circumforaneos; ejusmodi saltem commatis, qualem descripsi capite præcedenti Simonem Magum, qualesque describuntur, a Josepho, isti γόητες, *præstigiatores ac Pseudoprophetæ*, qui populum Judaicum, sic circa *Salvatoris nostri J. Christi* atque *Apostolorum* tempora, atque adeo circa tempus excidii Hierosolymitani, perpetuò pene decipere ac seducere studebant. Ex *Pharisæorum* discipulis illos fuisse; ad minimum ipsorum Doctrinæ çirca *Dæmones* usos fuisse prætextu; ac *Chaldaica* abusos *superstitione*, *Chaldæisve* saltem *præstigiis*, mihi procul omni dubio est: verum edoctos fuisse hujusmodi artes, ab isto *Chaldæorum* genere, (vel secta) qui, teste Strabone, cæteris *Chaldæis* meliorem Philosophiam sectatis & Astronomiæ quidem, non tamen Genethliacæ deditis, odio atque abominationi erant.

A cujusmodi hominibus, ut Græci *Circulatores* ac *Scurræ* suas didicerunt Imposturas; sic Judæi, *Chaldaica* jam superstitione tincti, facile in tales voragines abripi potuerunt; aliive, sub Judaico nomine ac prætextu (cum quammaxime Dei veri atque Hebræorum nominibus, in ipsa Sacra Scripturâ traditis abuterentur) ipsos nimium credulos ita deludere.

Quod & ipsi Flavio Josepho accidisse facile credere quis posset: si non potius probabile esset (imò pene satis superque ex aliis constaret) ipsum, illa quæ de *Eliezare*, & *radice Baara* affert, ex maligni animi æstu confinxisse; ut sic Domini nostri. *J. Christi Apostolorumque* ejus *Miracula* elevaret plane, & vilia ac contempta redderet Gentilibus (quibus demerendis scripsit;) quasi illi, circa *Dæmonibus* obsessos, nihil aliud, nihil majus certe, perpetrassent, quam quæ jam olim docuerat Rex *Salomo*: cum ista (a *Salomone* tradita) species *Dæmones exorcizandi*, inter ipsos Judæos adhuc (Josephi tempore) cum successu tali, qualem per-

hibet, perduraret: neque adeo tantam mereretur admirationem, opinionemve Divinæ Virtutis, id quod inter vera, ac quidem magis illustria, signa atque indicia posuerat ipse Salvator noster, potestatem scilicet illam *Diabolos*, seu *malos Dæmones*, ex obsessis ejiciendi.

Hisce *Impostoribus*, inter Judæos; (ne, si Nominibus vel Exorcismis Gentilibus uterentur, Gentilium Religionibus addicti viderentur, ac sic vulgus superstitiosum, & metu & horrore Cultus Extranei, a sese depellerent) opus erat abuti Nominibus Dei, Patriarcharum, imò & aliorum Sanctorum hominum, seu Regum seu Prophetarum: quæ voce prolata vel, vel coriis annulis aliisve inscripta aut inclusa (aliaque quandoque istis adjuncta) adhibebant.

Ac certe plurimum inter Judæos istam de virtute Divinorum Nominum Superstitionem viguisse, satis clarè (præterquam & ex aliis) constare potest, ex iis quæ, a talibus Doctoribus Judaicis institutus, nobis contra Celsum affert jam superius adductus Origenes. Quibus addi possunt illa quæ de Nomine *Tetragrammato*, sive *Shem hamphorash*, in priori mea Dissertatione attuli.

At nec solis Nominibus utebantur hi Judæorum Exorcistæ: verum & *Ligaturis* & *Thymiamatis*, aliisque pluribus mediis aut instrumentis, quæ præstigiis suis obumbrandis inservire possent; atque horrori simul ac timori, adeoque & venerationi, essent spectatoribus ex superstitione meticulosis: ut ita magis inepti redderentur ad præstigiatorum istorum imposturas deprehendendas.

De istis *Ligaturis* ac *Thymiamatis* loquitur Justinus Martyr, Dialogo cum Tryphone, hoc modo: Ἤδη μὲν τοί οἱ ἐξ ὑμῶν Ἐπορκισταὶ τῇ τέχνῃ, ὅπερ καὶ τὰ ἔθνη, χρώμενοι ἐξορκίζουσι, καὶ θυμιάμασι καὶ καταδέσμοις χρῶνται. *Exorcistæ certe vestri artem istam edocti, sicuti Gentiles, adjurationibus utuntur; & Thymiamata & vincula adhibent.*

Sive

Sive autem hi Scevæ filii talibus quoque adminiculis usi sint, sive solis Nominibus prætensis Sacris aut Occultis; minime affirmat Sacra Scriptura, illos unquam revera Dæmonia expulisse ex obsessis. Solum ait Evangelista: ἐπεχείρησαν i. e. *tentabant*, *aggrediebantur*, &c. Unde & cum talia revera perficere *tentarent*, mala Dæmonia, sive iis obsessi, in ipsos irruebant: ut sic (rem dirigente Deo Opt. Max.) cunctis manifestum fieret, hos homines meros esse Impostores; nec plus illos posse cæteris prætensis Exorcistis, cum Gentilium tum Judæorum, qui non nisi solis præstigiis atque imposturis humanis (minime super-aut præternaturalibus) stultæ ex superstitione plebi, quandoque & aliis, illudebant.

Si vero quis credat, istiusmodi præstigiatores reipsa Diabolos expulisse, vel expellere valuisse, is credat id quoque adhuc hodie in Ecclesia Romanâ perfici per Sacerdotes, aliosve Exorcistas, ad id ordinatos; eo quod talia ipsius patroni revera per Exorcistas fieri affirment. Vel si ponat aliquis, hos Scevæ filios re verâ Demonia suis Exorcismis expulisse (sive id per Salomonis, sive per alia Nomina fieret) dicat mihi, quid novi, quid usque adeo mirabile ac singulare de sese prædicarit Salvator noster, cum diceret *Ecce ejicio Dæmonia*, &c. & Marci cap. XV. de eximiis fidelium prærogativis locutus, adderet: *per Nomen meum Dæmonia ejicient;* cum vel Judæorum Agyrtæ, per aliorum Nomina, etiam talia perpetrare valerent?

Potestas autem illa expellendi *Dæmonia* solis fidelibus promissa, nec omnibus tamen data, fuit: istis nempe fuit tributa, qui ut Apostoli aut Evangelistæ Evangelium apud Infideles, sive Ethnicos sive Judæos, prædicabant: ut per talia signa Miraculosa (quæ Marci cap. XVI. v. 17 & 18. enumerantur) aliaque similia, demonstrare possent factis, quæ non nisi dono Divino, extraordinario ac supernaturali, Divinaque virtute & potestate per ullum hominem possent perfici.

fici, Doctrinam ipsorum verè a Deo esse. Verba Domini nostri Servatoris super hac re (Marc. XVI.) quidem ita habent: Σημεῖα δὲ τοῖς πιστεύσασι ταῦτα παρακολουθήσει. Ἐν τῷ ὀνόματί μου δαιμόνια ἐκβαλοῦσι· γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς· ὄφεις ἀροῦσι· κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν, οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψει· ἐπὶ ἀῤῥώστους χεῖρας ἐπιθήσουσι, καὶ καλῶς ἕξουσιν· *Porrò* SIGNA *eos qui crediderint hæc subsequentur: per Nomen meum Dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; & si quid lethale biberint, neutequam nocebit eis: super ægrotos manus imponent, & bene habebunt.*

Ut vero non omnes Christianam Fidem ac Disciplinam amplexi erant Apostoli, non omnes Prophetæ, non omnes obtinebant aut Linguarum aut Sanationum aut alia denique Spiritualia Dona; ita non omnes (verum pauci admodum, nec ultra quam necesse esset ad demonstrandas & Veritatem & Virtutes Doctrinæ Evangelicæ) gaudebant istis Miraculorum Donis, quibus e corporibus obsessorum ejicerentur Dæmonia.

Addenda hîc nonnulla sunt super versu 19. ubi habetur: Ἱκανοὶ δὲ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων, συνενέγκαντες, τὰς βίβλους κατέκαιον ἐνώπιον πάντων. *Multi autem ex iis qui curiosas artes exercuerant, comportatos libros exusserunt coram omnibus.*

Concedo lubens, inter alias significationes τὰ περίεργα, quæ hîc *Curiosas artes* vertuntur, quandoque etiam (at raròadmodum) pro *artibus Magicis; & homines curiosos* (quamvis rarissimè) pro *hominibus Magiæ studiosis*, sumi: adeoque & recte a Magno illo H. Grotio verba hæc Irenæi (lib. I. c.) *& quæcunque sunt alia parerga* ita corrigi, ut legatur *Perierga* (quæ correctio lucem certe Irenæo affert:) at nihil hinc in hoc loco pro artibus Miraculosè Diabolicis concludi potest: quantum ego exsculpere valeo.

Interim notissima inter urbes Asiæ Minoris erat (& est adhuc ex Veterum scriptis) urbs Ephesus; cum ob alia, tum

tum præcipue ob Templum Dianæ Ephesinæ; uti & ob illa, quæ Ephesii pro Asyli jure, coram Senatu Romano, regnante jam Tiberio, producebant. *Memorantes non, ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam. ubi Latonam partu gravidam, & oleæ, quæ tum etiam maneat adnixam, edidisse ea Numina: atque ipsum illic Apollinem, post interfectos Cyclopas, Jovis iram vitavisse, & cætera quæ*, Annal. lib. III. cap. 16. *a Tacito afferuntur*; tum ob id postremo, quod (uti Scriba Ephesinus v. 35. loquitur, νεωκόρος esset τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ Διοπετοῦς. De qua νεωκόρου dignitate consulat Lector Eruditissimum P. Petitum & alios; ac de Simulacro Dianæ e cœlo delapso, seu περὶ ἀγάλματος Διοπετοῦς, Theod. Bezam & Cl. Salmasium; quod ulterior istorum explicatio hujus loci minus sit.

In tali, igitur, ac tanta civitate, quæ inter præcipuas Minoris Asiæ erat; ubi plurimi Sacris Dianæ ministrantes erant; ac quo quotidie magnus superstitiosorum numerus affluebat, non deërant quoque plurimi, qui sub prætextu Divinarum Revelationum, aut aliter, perhibebant, *sibi esse Adjurationes & Exorcismos*, aliaque media ac remedia, sive *Magica*, sive (quod majori auctoritate pollet) *Divina*, ἀποτρόπαια ἀγώγιμα, θελκτήρια, aliaque, inter Hæreticos Christianorum brevi quoque acceptata, & ab Irenæo *Incantationes*, *Philtra*, *Charitesia*, *Amatoria*, & *Adlectantia*, atque in genere *Malignationes* appellata: quæ, literis ac vocabulis confictis & obscurissimis consignata, libris vel libellis continebantur, *Literarumque* (vel Nominum, Vocumque & Incantationum) *Ephesiarum* veniebant. De cujusmodi *Ephesiis literis* Hesychius in Lexico suo hæc sequentia habet: Ἐφέσια γράμματα· ἦν μὲν πάλαι [vel ut alii, nec male meo judicio, corrigunt, ἦν μὲν πάλαι ταῦτα ς.] ὕστερον δὲ προσέθεσαν τινὲς ἀπατεῶνες μὲν ἄλλα. Φασὶ δὲ τῶν πρώτων τὰ ὀνόματα, τάδε· ἄσκι, κατάσκι, αἴξ, τέτραξ,

δαμναμενεὺς, αἴσιον. δηλοῖ δὲ ὁ μὲν ἄσκι, σκότος. τὸ δὲ κατάσκι, φῶς. τὸ δὲ αἴξ, αὐτός. δαμναμενεὺς, δὲ ἥλιος. αἴσιον δὲ, ἀληθές. ταῦτα οὖν ἱερὰ ἐστὶ καὶ ἅγια.

Nomina vero illa *Sacra*, quibus, prout hîc exprimuntur, ſolum Titulos vel appellationes Incantationum &c. comprehendi exiſtimem, vel diverſarum circa illas ſpecierum; a Clemente Alexandrino paulò aliter exprimuntur: verumtamen non eſt quod in ipſorum ſcriptura vel pronuntiatione nos multum torqueamus; eo quod meræ fuerint nugæ, quiſquiliæ & impoſturæ. Sufficiat ut videamus cujus generis fuerint iſti libri, qui a poſſeſſoribus ad Chriſtum converſis, dum Ap. Paulus [cap. 19. Act.] Epheſi verſatus fuit, comburebantur.

Epheſiæ hæ *Literæ* multiplici in uſu (ſeu potius abuſu) erant inter Gentiles, cum apud Epheſios, tum apud Minoris Aſiæ populos, tum denique reliquos Græcos; erantque I°. multis Symbola quædam occulta ac Sacra: forſan per imitationem *ex literis iſtis* ſeu *vocibus* (φωναῖς αἳ ἦσαι ἐπὶ τῆς στεφάνης καὶ τῆς ζώνης καὶ τῶν ποδῶν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος αἰνιγματωδῶς γεγραμμέναι) *quæ coronæ & Zonæ & pedibus Dianæ Epheſinæ* [uti Euſtathius in Ω', *ſeu libro ultimo* τῆς Ὀδυσσείας narrat] *ænigmaticè inſcriptæ vel inſculptæ erant*. Unde & [eodem teſtante Euſtathio] καὶ τοῖς ἀσαφῶς καὶ δυσπαρακολουθήτως λαλουμένοις ἐπιλέγεται τὸ, Ἐφέσια γράμματα

Sic enim & Ἀνδροκύδης ὁ Πυθαγορικὸς τὰ Ἐφέσια καλούμενα γράμματα, ἐν πολλοῖς δὲ πολυθρύλλητα ὄντα, συμβόλων ἔχειν φησὶν τάξιν. Androcydes Pythagoricus [teſtante id in Stromat. lib. V. Clemente Alexandrino] *Literas illas Epheſias; quæ in multis, (ſeu circa multa) celeberrima erant, pro Symbolis [ſacris] veniſſe aſſerit.* Quales quoque fuiſſe idem Clemens affirmat, τὰ λεγόμενα Δελφίκα παραγγέλματα, ac (præter alia etiam Ægyptiaca) quæ, auctore Brancho Vate, apud Mileſios obſervabantur; & quidem Epheſiis iſtis pene ſimi-

miles erant: ut βέδυ, ζάψ, χθών, πλῆκτρον, σφίγξ, δρώψ, uti & μάρπτης, σφίγξ, κλώψ, συνχθηδὸν, &c.

II°. Erant *Amuleta* quædam vel Magica, vel (prætensa) Divina; quæ secum portabant superstitiosi nimis Gentiles, I°. ut inde redderentur felices, atque in certaminibus Victores. II°. ut a malis occurrentibus, atque infortuniis, imò & summis periculis, liberarentur; vel sibi ab iis cavere valerent. III°. ut Fascinationibus cujuscunque generis ipsarum ope occurrere possent.

Patent hæc ex sequentibus Eustathii, ad Homeri Ὀδυσσείαν, verbis; Ἐφέσια γράμματα, ἐπὶ τῶν ἀσαφῆ τινα λαλούντων καὶ δυσπαρακολούθητα. ἐπῳδαὶ γάρ τινες φασὶν ἐκεῖνα ἦσαν, ἃς καὶ Κροῖσος ἐπὶ τῆς πυρᾶς εἰπὼν ὠφελήθη· καὶ ἐν Ὀλυμπίᾳ δὲ φασὶ μιλησίου τινος καὶ ἐφεσίου παλαιόντων, νικᾶν τὸν μιλήσιον μὴ δύνασθαι, διὰ τὸ τὸν ἕτερον ἐπὶ τῷ ἀστραγάλῳ ἔχειν τὰ Ἐφέσια γράμματα. ὧν γνωσθέντων, καὶ λυθέντων τριακοντάκις τὸ ἐφεξῆς πεσεῖν τὸν ἐφέσιον. Παυσανίας δὲ φησιν, ἐν τῷ κατ' αὐτὸν ῥητορικῷ λεξικῷ, καὶ ὅτι φωναὶ ἦσαν τὰ Ἐφέσια γράμματα φυσικὸν ἐμπεριέχουσαι νοῦν ἀλεξίκακον, ἃς καὶ Κροῖσον ἐπὶ πυρᾶς, φησὶ καὶ αὐτὸς, εἰπεῖν. καὶ ὅτι ἀσαφῶς καὶ αἰνιγματωδῶς δοκεῖ ἐπὶ ποδῶν καὶ ζώνης καὶ στεφάνης ἐπιγεγράφθαι τῆς Ἀρτέμιδος τὰ τοιαῦτα γράμματα. *Ephesiæ Literæ, proverbium in illos, qui obscura valde ac difficilia intellectu proferunt. dicunt enim illas fuisse Incantationes quasdam, quas & Crœsus jam rogo impositus pronuntiarit atque ita liberatus fuerit. Etiam in Olympiâ dicunt, Milesio atque Ephesio simul luctantibus, Milesium luctando vincere non potuisse, eo quod alter ad talum alligatas haberet Ephesias Literas: quibus cognitis atque illi ademptis, per tringinta vices ordine succubuisse Ephesium. Pausanias vero, in Lexico suo Rhetorico, ait, Ephesias Literas fuisse Voces quasdam, quæ naturalem quandam virtutem malorum depulsoriam haberent; quas, ut etiam ille testatur, Crœsus rogo impositus pronuntiaverit: præterea, quod obscurè & ænigma-*

maticè videantur Dianæ pedibus & Zonæ & coronæ inscriptæ fuisse ejusmodi Literæ.

Quales verò Præstigiæ Magicæ per easdem perpetrari posse jactarentur idem nobis ibidem narrat, in persona Eurybati Ephesii, hoc modo: Ὡς δὲ κλέπτης ἦν Εὐρύβατος, ἢ ὁ ῥηθεὶς ἢ καὶ ἕτερός τις, ἡ ἱστορία δηλοῖ. καθειρχθεὶς γάρ φασι πολλάκις καὶ διαδρὰς εἶτα πάλιν ἁλοὺς, καὶ παρακαλούμενος ἐπιδείξασθαι ὅπως διέδρασκε· τὰς ἐγκεντρίδας ὑποδησάμενος, καὶ σπόγγους λαβὼν, καὶ ἀναρριχώμενος διὰ τοῦ τείχους τῆς εἱρκτῆς· οἷα δῆθεν δεικνὺς οὕτω φεύγειν, ὡς ἐπὶ τοῦ ἄκρου γέγονε, καὶ τὸν ὄροφον τῆς οἰκίας ἐξεῖλε, βλεπόμενος καὶ καταπλήττων, κατεπήδησεν καὶ ᾤχετο ἐν ὅσῳ οἱ φύλακες περιῄεσαν ὅπως ἴδοιεν αὐτὸν κατιόντα. *Fuisse vero furem Eurybatum, sive illum de quo dixi sive alium quempiam, notat historia. Nam dicunt illum captum multoties atque iterum fuga elapsum, denique rursus captum fuisse rogatum, ut ostenderet quomodo fugâ elaberetur: illumque pedibus alligantem aculeos & spongias, ita secundum parietem manibus pedibusque reptasse, ut sic quasi monstraret, quomodo aufugeret: ut vero ad summum pervenerat & domus tectum excusserat, sic visum, ac (spectatores) obstupefacientem, desiliisse atque abiisse, dum interim custodes circumcursarent, ut conspicerent ipsum descendentem.*

Suidas, qui (sicut etiam Etymologici Magni auctor) priora a me ex hoc Eustathio allata pene iisdem verbis, quamvîs magis contracta, affert: hæc posteriora, de Eurybato, hoc modo refert: Λέγεται τὸν Εὐρύβατον κλέπτην ὄντα, εἱρχθέντα παραφυλαττόμενον, ἐπειδὴ συμπίνοντες ἔλυσαν αὐτὸν οἱ φυλάσσοντες, καὶ ἐκέλευσαν ἐπιδείξασθαι τὴν ἐπὶ τοὺς οἴκους ἀναρρίχησιν, τὸ μὲν πρῶτον διωθεῖσθαι· δεομένων δὲ ὡς οὐ βουλόμενον· ἐπεὶ μόλις ἀνέπεισαν, περιθέμενος τοὺς σπόγγους καὶ τὰς ἐγκεντρίδας ἀναδραμεῖν εἰς τοὺς τοίχους· ἀναβλέποντες δὲ ἐκεῖνοι καὶ θαυμάζοντες τὰς τέχνας. λαβεῖν αὐτὸν τὸν ὄροφον καὶ ὑπερβάλλοντα, πρὶν ἐκεῖνοι κύκλῳ περιέλθωσι διὰ τοῦ τέγους καταπηδῆσαι· *Ferunt autem Eurybatum furem, dum in carcerem esset conjectus & custodiretur, a suis custodibus com-*

compotantibus solutum fuisse , & jussum edere specimen suæ solertiæ, in ædibus conscendendis , primum quidem id recusasse, deinde vero ipsis eum recusantem rogantibus, cum hoc illi ægre persuasissent, tandem circumpositis spongiis ac stimulis (vel aculeis) ferreis, in parietes cursim adscendisse : illis autem suspicientibus , & has artes admirantibus , ipsum occupasse tectum , eoque superato , priusquam illi domum circumivissent, de tecto desiliisse.

Modò ante hæc allata verba dixerat : Ἀριστοφάνης Δαιδάλῳ, ὑποθέμενος τὸν Δία εἰς πολλὰ ἑαυτὸν μεταβάλλοντα, καὶ πλουτοῦντα καὶ πανουργοῦντα, εἰ δή τις ὑμῶν εἶδεν Εὐρύβατον Δία. *Aristophanes, in Dædalo, introducens Jovem in multas formas se mutantem, & divitem & callidum, ait:*

SI JAM QUIS VESTRUM VIDERIT EURYBATUM JOVEM.

Quæ posteriora verba illa prius a me allata magis explicant; & non obscure, meo judicio, ad *Literas Ephesias* alludunt.

Ut autem sic *Literas Ephesias* (vel nomina vel voces) sibi alligabant, atque occulte circumferebant, contra Fascinationes pluraque alia mala ac pericula, a quibus sibi metuebant: ita & Annulos diversi generis, ratione sculpturæ, vel Telesmatum ipsis impressorum, tam Athenienses quam alii, inter Græcos & Asiaticos, superstitiosi gestabant. Unde apud Aristophanem, in Pluto, occurrit :

Οὐδὲν προτιμῶ σοῦ. Φορῶ γὰρ πριάμενος
Τὸν δακτύλιον τονδὶ παρ' Εὐδάμου, δραχμῆς.

Nihili te æstimo, namque hunc annulum (digito) *fero, quem mihi ab Eudemo drachmæ prætio emi.*

Ad quæ verba Scholiastes sequentia hæc notat : Ἀλεξιτήριον τῶν δηκτηρίων δείκνυσιν αὐτῷ καὶ βασκανίας ἀποτρεπτικὸν δακτύλιον, ὃν καλοῦσι Φαρμακίτην. *Amuletum contra morsus venenatos o-*

ſtendit ipſi, & faſcinationis depulſorium annulum, quem Medicamentarium vocant. Quæ interpretatio quoque lucem mutuatur hiſce: Ἀλλ' ὐκ ἔνεςι συκοφάντυ δήγματ☉, *Verum nihil virium habet contra Sycophantarum morſus.* Uti & his ſequentibus verſibus Antiphanis, in Comœdia ipſius Omphale:

. . . . . . Ἐν χύτρᾳ δὲ μοι
Ὅπως ὕδωρ ἔψοντα μηδὲν' ὄψομαι
Οὐ γὰρ κακόν ἔχω μηδ' ἔχοιμ'. ἐὰν δ' ἄρα
Στρέφῃ με περὶ γαστέρα, ἢ τὸν ὀμφαλὸν,
Παρὰ Φερτάτυ δακτύλι☉ ἐςί μοι δραχμῆς.

Aquam in olla mihi qui coquat neminem aſpicere ſuſtinebo:
Non enim male valeo, & Dii faxint ne valeam. verum,
Si tormina circa ventrem & umbilicum cruciarent,
Adeſt a Phertato mihi drachma emptus annulus.

Quod pretium ſane nimis vile erat, tantarum in ipſis latentium virtutum.

Epheſias haſce *Literas* (ſive mavis *Epheſia Nomina*) ſecum portabant, ſi non ſemper certè ſæpius, *in coriis conſutis:* uti non obſcure liquet ex Athenæi Deipnoſophiſt. lib. 12. ſub finem: ubi Anaxilas, in Lyrico [ita enim optime emendat incomparabilis ille Iſ. Caſaubonus] ait:

. . . . Χῖον πίνων, καὶ πρὸς τύτοις ἐν σκυταρίοις
ῥαπτοῖσιν φορῶν Ἐφέσια γράμματα καλά.

Quod ſuperſtitionis genus an ab Hebræis mutuati ſint Gentiles, doctioribus ulterius indagandum relinquo. Judæi ſane ſua טוטפת vel טטפות *Totaphoot* membranis coriaceis, ſive inſuta ſive illigata, membris (fracti, collo ac brachiis) alligata portabant; neque ſolum in pios uſus, ut inde magis

Le-

Legis Divinæ memores essent; sed & contra fascinationes, aliaque mala aut infortunia. Quod nos docet Buxtorfius, ex Gemara; quæ ita loquitur: מאי טוטפת, *Quid est* (vel sunt) *Totaphoot?* Dixit R. Joseph חומרתא דקטפיתא *Alligamentum Abscissionis*, hoc est, *membrana Sacra collo appensa, ad abscindendum periculum ab hoste vel invido.* Ubi plane eandem circa *Totaphoot*, sive *Tephilin* תפלין, habes superstionem, quâ Ethnici circa *Literas* suas *Ephesias* laborabant.

Christianos vero talia a Judæis (forsan & ab Ethnicis, quod ob multa alia ab ipsis desumpta securius credimus) desumpsisse; ostendunt illa quæ in præcipuorum Scriptorum Ecclesiasticorum monumentis reperimus. Sic enim Basilius Homilia in Psalmum 45. Νοσεῖ τὸ παιδίον, καὶ σὺ τὸν ἐπαοιδὸν περισκοπεῖς, ἢ τὸν τοὺς περιέργους χαρακτῆρας τοῖς τραχήλοις τῶν ἀναιτίων νηπίων περιθέντα, &c. *Non ægrotat puerulus, quin statim Incantatorem circumspicis, aut aliquem qui curiosos (i.e. Magicos) Characteres infantulorum appendat illis.*

At, quamvis sæpius Ethnicos hîc sequerentur; tamen &, pio sub prætextu, per *verba Evangelica* talia exercebant. Hinc namque Chrysosthomus, Sermone De Mulierum ornatu, ita loquitur: *Non ligaturas tantum, sed etiam excantamenta tibi conducis, vetulas ebrias & titubantes domum ducens. Nec confunderis nec erubescis post tantam ad hæc trepidans disciplinam? & quod gravius est errore, quando hæc admonemus & dissuademus, putantes se excusari, dicunt: Christianam esse hanc mulierem excantantem, nihilque aliud loqui quam Dei Nomen. Propterea enim magis eam odi & aversor, quod Dei nomine ad contumeliam Dei utitur, dum se dicens Christianam Gentilium opera facit*, &c.

Si ipsa Chrysosthomi verba desideras, mi Lector, sunt illa hæc sequentia: Οὐ περίαπτα δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐπῳδὰς σαυτῷ περιάπτεις, γραΐδια μεθύοντα καὶ παραπαίοντα εἰς τὴν οἰκίαν σου εἰσάγων

καὶ οὐκ αἰσχύνῃ οὐδὲ ἐρυθριᾷς μετὰ τοσαύτην φιλοσοφίαν πρὸς ταῦτα ἐπτοημένος; ἀπολογεῖται δὲ φασιν, ὅτι χριστιανὴ ἡ γυνὴ ἐστὶν ἡ ταῦτα ἐπᾴδουσα, καὶ οὐδὲν ἕτερον φθέγγεται, ἢ τὸ Θεοῦ ὄνομα. Διὰ τοῦτο μὲν οὖν αὐτὴν μάλιστα μισῶ καὶ ἀποστρέφομαι, ὅτι τῷ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ πρὸς ὕβριν Θεοῦ κατακέχρηται· ὅτι λέγουσα χριστιανὴ εἶναι τὰ τῶν ἑλλήνων ἐπιδείκνυται· καὶ γὰρ οἱ δαίμονες τὸ Θεοῦ ὄνομα ἐφθέγγοντο, ἀλλ' ἦσαν δαίμονες, &c.

Paulo ante, in eadem dixerat oratione: τί ἄν τις εἴποι περὶ τῶν ἐπῳδαῖς καὶ περιάπτοις κεχρημένων, καὶ νυμίσματα χαλκᾶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακέδονος ταῖς κεφαλαῖς καὶ τοῖς ποσὶ περιδεσμούντων; *Quid verò aliquis dicat de istis, qui Incantationibus & annuletis (appensis) utuntur, & numismata ærea Alexandri Macedonis & collo & pedibus circumligant.*

Quis, cum talia de Christianis veteribus legit, miretur istud Abracadabra: de quo Q. Serenus Sammonicus, in Medicinâ sua, Hæmitritæo depellendo præscribit:

Inscribans chartæ, quod dicitur ABRACADABRA:
Sæpius & subter repetas, sed detrahe summam,
Et magis atque magis desint elementa figuris:
Singula quæ semper rapies, & cætera figes,
Donec in angustum redigatur litera conum.
HIS LINO NEXIS COLLUM REDIMIRE MEMENTO?

Aut illud Marcelli Empyrici:

Εἶδον τρίμερῆ χρύσεον Τοάναδον,
Καὶ ταρταροῦχον Τουσάναδον,
Σῶσον με σέμνον νερτέρων ὑπέρζατε?

Quod ut certum remedium, & faucium doloribus proficuum (modo inscriptum, ac Phœnicio lino obvolutum, alligetur collo) commendat? aut denique πύγγια illa, dicta; quæ vincula quædam erant ex sericis filis contexta: quæ ita a Φυλακτηρίοις, sive Impostoribus *Amuletariis*, parabantur; ut quan-

quandoque quidem intus haberent Scripturas, quandoque vero falsa quædam alia, prout libebat ejusmodi superstitiosorum illusoribus: ut ad Concilium Trullanum (in commentariis suis) notat Balsamo?

Canon illius Concilii 61. post νεφοδιώκτας & γοητευτὰς nominat etiam φυλακτηρίους: qui, procul omni dubio, erant οἱ ποιοῦντες τὰ λεγόμενα φυλακτήρια. Qualia quidem ab ipsorum Auctoribus ac patronis, (ac procul dubio Angelorum cultoribus) inter Christianos, prætendebantur ab Angelis, ac quidem bonis, fuisse composita.

Verba Gelasii Papæ, quæ hoc indicant reperiuntur in Decretis ejus: ubi præter multa alia Apocrypha (inter quæ & *Sortes Apostolorum*, ita appellatas, inter Apocrypha scripta numerat) sunt hæc sequentia: *Phylacteria omnia quæ non Angelorum, ut illi* [Phylacterii nempe] *confingunt, sed Dæmonum magis arte conscripta, sunt Apocrypha.*

Nec solas mulierculas, aut e fæce vulgi homines, hâc laborasse insania, indicat canon 36. Conc. Laodiceni, qui ita habet: Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ κληρικοὺς, μάγους ἢ ἐπαοιδοὺς, εἶναι ἢ μαθηματικοὺς ἢ ἀστρολόγους, ἢ ποιεῖν τὰ λεγόμενα φυλακτήρια· ἅτινα ἐστὶ δεσμωτήρια τῶν ψυχῶν αὐτῶν. τοὺς δὲ φοροῦντας ῥίπτεσθαι ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκελεύσαμεν. *Quod non opportet Sacerdotes aut Clericos, Magos aut Incantatores esse, vel Mathematicos vel Astrologos;* AUT FACERE QUÆ DICUNTUR PHYLACTERIA, *quæ quidem sunt animarum ipsarum vincula. Eos autem qui (illa) portant, abjici ab Ecclesia præcipimus.*

Gaudebant quoque multi Christianorum Sacerdotes ejusmodi ornamentis, quo magis pii cæteris viderentur, ut Amuletis contra Diabolum aliaque mala: uti per hæc sequentia Chrysosthomi [tum & alia paulo inferius adducendia] apparet. Ita enim ille Serm. 43. in Matthæum: *Sacerdotes ex eo, quod ab hominibus volunt videri justi, Phylacteria alligant circa collum; quidam vero partem aliquam Evangelii*

Scriptam. Dic Sacerdos insipiens, nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur, & auditur ab hominibus? cui ergo, in auribus posita Evangelia nihil prosunt, quomodo eum poterunt circa collum suspensa salvare? Deinde, ubi est Virtus Euangelii, in figuris literarum, aut in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis: si in intellectu, ergò melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa. Videmus ex hisce, (ut & ex aliis modo allatis) & quidnam fuerint Phylacteria, & ubi alligata fuerunt, & quem denique in finem, illa se sic gestare prætendebant etiam multi Christianorum Clerici.

Ad morbos tamen & dolores ut plurimum a vulgo gestata illa fuisse (sive Gentilium ritu id fuerit, sive aliter) ostendunt hæc Augustini verba (Tractatu 7 in Joannis Evangelium) *Non quando vobis dolet caput, curramus ad Præcantatores, ad Sortilegos &* REMEDIA VANITATIS. per quæ postrema Phylacteria ejusmodi designantur.

Evangelia tamen, sive essent particulæ ex istis decerptæ, sive toti Evangeliorum libri, hîc primas obtinebant partes: ex quibus particula talis, *Parvorum Evangeliorum* nomine veniebant.

Quod præterquam ex illis, quæ ad Matth. XXIII. modo adduxit Chrysosthomus, satis clare perspicitur ex ejus Homilia 19. ad Populum: οὐχ ὁρᾷς (ait) πῶς αἱ γυναῖκες καὶ παιδία τὰ μικρὰ ἀντὶ φυλακῆς μεγάλης Εὐαγγέλια ἐξαρτῶσι τοῦ τραχήλου καὶ πανταχοῦ περιφέρουσι ὅσουπερ ἂν ἀπίωσι; σὺ τὰ γράμματα τοῦ Εὐαγγελίου καὶ τοὺς νόμους ἔγγραψον σου τῇ διανοίᾳ. οὐ χρεία χρυσίου καὶ χρημάτων ἐνταῦθα, οὔτε βιβλίον πρίασθαι, προαιρέσεως δεῖ μόνης καὶ διαθέσεως, καὶ ἀσφαλέστερον ἕξεις τὸ Εὐαγγέλιον, οὐκ ἔξωθεν περιφέρων, ἀλλ' ἔνδον αὐτὸ τοῖς τῆς ψυχῆς ἀποτιθέμενος ταμείοις. *Annon vides, quomodo mulieres & pueruli* PARVA [sic dicta] EVANGELIA, *pro magno Amuleto, collis appendant, ac, quocunque locorum tendant, circumferunt? Tu vero Literas Evan-*

Evangelii & Leges (ipsius) cordi tuo inscribe. Nihil opus auro aut supellectile ibi, aut librum (ad id) emere: sed opus est solo mentis proposito ac constitutione: & ita tutius tibi possidebis Evangelium; non externè (ita uti alii videant) id circumferens, sed intus in animæ thesauris absconditum gerens.

Nec sufficiebat ejusmodi hominibus *Parva illa*, sic appellata, *Evangelia*, de collo suspensa circum gestare; verum & capiti (aliisve membris) ægrotorum *Evangelium* admovebant: uti in modo nominato Tractatu Augustinus clare indicat: *Cum caput tibi dolet, laudamus si Evangelium* [de toto Evangelii libro hîc ipsum loqui credo] *ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta est infirmitas hominum, & ita plangendi sunt homines qui currunt ad ligaturas, ut gaudeamus quando videmus hominem in lectulo suo constitutum, jactari* FEBRIBUS *&* DOLORIBUS, *nec alibi spem posuisse, nisi ut sibi* EVANGELIUM *ad caput poneret, non quia hoc* [NB] *ad factum est, sed quia prælatum est Evangelium ligaturis.* Ex quibus Augustini verbis videri potest quam alte adhuc istorum temporum Christianis (ac quam pene cunctis) superstionum Gentilium radices inhærebant.

Quin & Lectulis suis *Evangelia* appendebant, contra nocturnas antiqui hostis insidias. [ut Aloysius Novarinus loquitur] Quod ex Chrysosthomo quoque disci potest; ubi, in primam Epistolam ad Corinthios, ita scribit: καὶ γὰρ τοῦ Εὐαγγέλιον κρεμᾶσθαι παρὰ τὴν κλίνην οὐκ ἔλαττον τὸ ἐλεημοσύνην κεῖσθαι. Εὐαγγέλιον μὲν γὰρ ἐὰν κρεμάσῃς μηδὲν ποιῶν, οὐδὲν τοσοῦτον ὠφεληθήσῃ. *Etenim non minor fructus redundat ab Eleemosynis, quam ab Evangelio ad Lectum suspenso. Namque Evangelium, licet (ita) suspendas, nihil plane juvabit, si ipse nihil feceris.* Clarius tamen id patet ex iis quæ ad Joannis Evangelium Hom. 31. de Evangeliis in fidelium domibus servandis loquitur: ***Si in quacunque Domo*** **EVANGELIUM** ***est, illuc***

illuc Diabolus, ingredi non audet : quanto minus animum ei assiduis lectionibus familiarem, neque Dæmon neque peccatum attinget?

Talium institutione usus videtur ille senex septuagenarius, qui (teste Petro de Natalibus) *ad Carnis concupiscentiam refrænandam Evangelium super se ferebat ; & dum lupanar intrasset, oblitus Evangelium deponere ; audivit a meretrice* [vide hìc grande Miraculum!] *quod videbat mirabilia: quæ etiam se ab illo tangi non permisit.* Quæ si vera est historiola, majori efficaciâ ac virtute operabatur istud Evangelium in meretricem, illi ex improviso appropinquantem, quam in eum, qui id tam studiose secum quocunque circumferebat.

Verum enim vero ne plura, ac nimis tædiosa tandem, superstitionis indicia circa Evangelia huc comportare videar, redeamus ad Phylacteria; de quibus tamen hoc unicum exemplum (ut sic tandem ad Literas Ephesias revertar) adducam. Est illud ex Gregorio Papa ; qui lib. 12. cap. 7. ita loquitur : *Excellentissimo filio nostro Adulovuddo Regi transmittere Phylacteria curavimus ; i. e. Crucem cum ligno Sanctæ Crucis Domini, &* LECTIONEM SANCTI EVANGELII *theca Persica inclusum.* Vide hìc ergò & aliud Phylacterii genus ; sicut & ex talibus iisque similibus tota circa Sanctas, ita dictas, Reliquias superstitio exorta atque adaucta fuit.

Non solis vero istis prætensis Sacris (quippe ex ipsa Sacra Scriptura desumptis) περιάπτοις & *Amuletis* seu Phylacteriis, contenti erant : verum uti circa Omina ita & hìc, Ethnicorum more, eosque æmulati, insaniebant permulti inter veteres Christianos. Ita enim Chrysosthomus : Κρόκαι δὲ καὶ στήμων καὶ τὰ ἄλλα περιάμματα τὰ τοιαῦτα τοῦ παιδὸς ἐμπιστεύονται τὴν ἀσφάλειαν. *Subtegmini enim & stamini, & ejusmodi aliis Amuletis pueri securitatem (ac custodiam) concredunt.* Alibi

vero:

vero: Τί ἂν τις εἴπῃ τὰ περίαπτα, καὶ τοὺς κώδωνας τοὺς τῆς χειρὸς ἐξηρτημένους, καὶ τὸν κόκκινον στήμονα, καὶ τὰ ἄλλα τὰ πολλῆς ἀνοίας γέμοντα, δέον μηδὲν ἕτερον τῷ παιδὶ ἢ τὴν ἀπὸ τοῦ σταυροῦ φυλακήν; *Quid vero aliquis dicat de Amuletis ac tintinabulis manui appensis, ut & de coccineo stamine, & cæteris pluribus plenis dementia: cum opporteat nihil aliud adesse, quam ista custodia* [seu *Phylacterium*, ad istam enim alludit vocem] *quæ a cruce (Christi) illi contingit.* Neque hic stabat ipsorum hæc insania: οὐ γὰρ (ut idem Chrysosthomus narrat) περίαπτα δὲ μόνον ἀλλὰ καὶ ἐπῳδὰς σοὶ περιάγεις, γραΐδια μεθύοντα καὶ παραπαίοντα εἰς τὴν οἰκίαν σου εἰσάγων. *Non enim sola Amuleta vel Incantationes tibi circumfers; mulierculas ebrias & insanas in domum tuam introducens.*

Sic enim in Thalysiis suis (dulcissimo illo Idyllio) canit Theocritus:

> Ἄμμιν δ' ἡσυχίᾳ τε μέλοι, γραῖα τε παρείη,
> Ἅις ἐπιφθύσδοισα, τὰ μὴ καλὰ νόσφιν ἐρύκοι.

Nobis autem quies curæ sit, Vetulaque adsit quæ susurrans [quod & verti potest, *sputo utens*; cujus rei hîc sequitur exemplum] *mala procul arceat.*

Aliàs ipsæ quoque nutrices ac famulæ talia operabantur (sicut idem Chrysosthomus) Βόρβορον αἱ γυναῖκες ἐκ τοῦ βαλανείου λαμβάνουσαι τροφοὶ καὶ θεραπαινίδες, καὶ τῷ δακτύλῳ χρίσασαι, κατὰ τοῦ μετώπου τύπτουσι τοῦ παιδίου· κἂν ἔρηταί τις, τί βούλεται ὁ βόρβορος, τί δὲ ὁ πηλός; ὀφθαλμὸν πονηρὸν ἀποστρέφει, φησί, καὶ βασκανίαν καὶ φθόνον. *Lutum ex balneo desumentes mulieres nutrices ac famulæ, & digito illinentes, frontem infantis eo signant. Ac si quis interroget, quid sibi vult lutum istud? Malignum oculum avertit, inquit, & fascinum & invidiam.*

Ubi plane vides illa Ethnicorum, quæ Persius, in Satyra sua secunda notat:

Ecce avia, aut metuens Divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque & uda labella,
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, &c.

Chrysosthomi tamen verbis magis appropinquant hæc Petronii: *Mox turbatum sputo pulverem medio sustulit digito, frontemque repugnantis signavit. Hoc peracto carmine, ter me jussit exspuere.*

Hinc igitur non immerito noster, jam toties adductus Chrysosthomus (qui certe Christianis eruditis ob permulta utilia atque elegantia non satis familiaris est) ita de sui temporis Christianis loquitur, in Commentariis super epistola ad Galatas: Ἑλλήνων ἔθη παρά τισι τῶν ἡμετέρων φυλάττεται κληδονισμοὶ καὶ οἰωνισμοὶ, καὶ σύμβολα, καὶ ἡμερῶν παρατηρήσεις, καὶ ἡ παρὰ τὴν γένεσιν σπουδὴ, καὶ τὰ πάσης ἀσεβείας γέμοντα γραμματεῖα, ἃ τικτομένων τῶν παιδίων εὐθέως ἐπὶ κακῷ τῆς ἑαυτῶν ἐπιτιθέασι κεφαλῆς. *Græcorum mores apud aliquos nostrum observantur* (κληδονισμοὶ) *Ominationes &* (οἰωνισμοὶ) *Auguria &* (σύμβολα) *Auspicia* [quæ diversa nominibus, re tamen fere eadem sunt] *& Dierum Observationes, & circa Observationes Genethliacas auxietas (& studium:) & omni impietate pleni* LIBELLI (*vel* TABELLÆ) QUAS, JAM NATIS *infantibus, statim in proprium sui damnum capiti applicant.*

Non solis autem Poëtis auctoribus, tales in Gentilismum (atque hinc in Christianismum) irrepserere superstitiones: sed & in Historia mendacibus æque ac audacibus scriptoribus prosaicis: quorum A. Gellius, data occasione, lib. IX. cap. 4. nonnullos (uti & ipsorum mendaica) enumerat, Aristæam sc. Proconesium, Isigonum Nicæensem, & Ctesiam, & Onesicritum, & Polystephanum, & Hegesiam. Ipse ait: *Id etiam in istis libris scriptum offendimus, quod postea quoque in libro Pli-*

Plinii Secundi Naturalis Historiæ septimo legi; esse quasdam in terra Africa hominum familias voce atque lingua effascinantium, qui si impensius forte laudaverint pulchras arbores, segetes lætiores, infantes amæniores, egregios equos, pecudes pastu atque cultu optimas; emoriantur repente hæc omnia nulli aliæ causæ obnoxia: oculis quoque exitialem fascinationem fieri in iisdem libris scriptum est: traditurque esse homines in Illyriis, qui interimant videndo quos diutius irati viderint, &c. Quæ omnia Gellius, ac merito, pro confictis fabellis ac meris mendaciis habet.

Ut igitur redeamus ad *Literas* illas *Ephesias*, seu Nomina illa, ex quibus *Incantationes*, vel *Phylacteria* & *Amuleta* erant composita; ea coriis inscripta, (sicut *Tephilim* & *Totaphoot* Judæorum,) non solum portabantur; verum & recitabantur (murmurando proculdubio) vel ab ipsis illis, qui auxilia ejusmodi expetebant; vel per istos, qui hanc excantandi, &c. artem callebant, super aliis murmurabantur. Hoc posterius patet ex Menandro; qui in παιδίῳ, Comœdia, ait:

> Ἐφέσια τοῖς γαμοῦσιν οὗτος περιπατεῖ
> Λέγων ἀλεξιφάρμακα.

Ne scilicet aliquid mali obveniret his modò nuptis; verum omnia fausta ac felicia: vel saltem ne fascinum intercedere valeret, in novorum conjugum damnum.

Posterius patescit cum ex exemplo Crœsi (pro cujus tamen Historiolæ veritate cum nemine digladiari velim) qui ex rogo illa pronuntians ex periculo mortis liberatus fuit: tum ex verbis Plutarchi; qui, Symposiac. VII. cap. 5. ita, loquitur: Ὥσπερ γὰρ οἱ Μάγοι τοὺς δαιμονιζομένους κελεύουσι τὰ Ἐφέσια γράμματα πρὸς αὑτοὺς καταλέγειν καὶ ὀνομάζειν, οὕτως ἡμεῖς, &c. *Nam sicut Magi illos qui malis Geniis sunt obsessi, jubent, secum legere & recitare Ephesia Nomina; sic nos, &c.*

 Ex

Ex quibus Plutarchi verbis videmus Gentiles iſta quoque (ſive Excantiones ex illis compoſita) adhibuiſſe ad Excantandos illos, qui malis Dæmoniis perhibebantur obſeſſi.

Quod ad originem ſpectat harum ſive Literarum ſive Nominum, ſive etiam Libellorum Epheſiorum, nonnulli inter veteres, teſtante id Clemente Alexandrino, illorum originem altius, ac quidem a Dactylis Idæis repetebant. ita enim ille Stromat. I. loquitur: Τινὲς δὲ μυθικώτερον τῶν Ἰδαίων καλουμένων Δακτύλων σοφοὺς τινὰς πρώτους γενέσθαι λέγουσιν, εἰς οὓς ἥ τε τῶν Ἐφεσίων λεγομένων γραμμάτων, καὶ ἡ κατὰ μουσικὴν εὕρεσιν ῥυθμῶν ἀναφέρεται. *Quidem vero magis fabuloſe narrant, inter Dactylos Idæos aliquos primos fuiſſe Sapientes, ad quos tam Epheſiarum Literarum quam Muſices inventio refertur.*

Quamvis exiſtimem potius illa fuiſſe conficta vel efficta, primum per Sacerdotes, poſtea etiam per alios, ad æmulationem iſtarum Literarum quæ & Coronæ & Zonæ & pedibus Dianæ Epheſinæ inſcripta viſebantur. An vero filii Scævæ iſtis quoque abuſi fuerint in incerto eſt: magis tamen veriſimile videtur, illos Nominibus illis Ἰάω Σαβαώθ ſimilibuſque aliis vel Dei vel Patriarcharum (uti Eliezer ille Salomonis) nominibus abuſos fuiſſe, forſan & annulis prætenſis Magicis, quibus radix ſive Baara, ſive alia quæpiam, incluſa ſervabatur: per quæ cum minus res procederet, illi ad S. Sanctum Jeſu nomen confugiebant; cum exitu tamen maxime illis pudendo.

Sed tœdium me dudum Lectori creaſſe vereor his nugis: quare &, antequam ad alia tranſeam, id aliquo modo abſtergere nitar, ſequentibus non injucundis, meo judicio, exemplis, primum eſt Hiſtoriola, quam Doctiſſimus ille Delrio, in Diſquiſitionibus ſuis Magicis (ſecunda parte) nobis narrat, verbis Joannis Beetzii Carmelitæ, ex ejuſdem Præceptorio; quæ ita ſonant: *Quædam vetula dierum malorum plena, volens impedire ex invidia lac vaccæ vicini ſui, accepit cultel-*

lum pergens ad oſtium , & ponens ſe contra ſplendorem Lunæ, dixit :

Hier ſnijd ik een ſpaan
In molkens gedwaan
En een ander daar toe ,
So neem ik het molk van deſer koe.

Hæc verba audiens dominus vaccæ arripuit fuſtem , & currens poſt eam , atque percutiens ; ajebat :

Hier ſla ik een ſlag ,
En een anderen ſo ik mag ,
En den derden daar toe ,
So behold ik 't molk metter koe.

Hoc erat optimum remedium. Poſt quæ allata Beetzi verba, Delrio (qui anno circiter 1600 hæc ſcripſit) addit : *Hæc Beetzius vir eruditus , qui ante annos ferme centum triginta vixit inter Carmelitani Ordinis viros illuſtriores :* i. e. antequam Hæretici talia ceperant , ut cordatiores Chriſtiani ſemper fecerunt , aut parvi aut nihili pendere.

Secundum eſt remedium , quod contra huiuſmodi mulieres *Magas* aut *Sagas* , præſcribunt , ſi non validum , ſatis olidum , certe. Ita enim in Peſachim habetur : אמרה לי רישתינה דנשים כשפניות הא מן דפגע בהו מנשים כשפניות נימא הכי המיני בדקולי בזייא לפומייכו נשי חרשייתא: i. e. *Dixit mihi Principiſſa mulierum maleficarum : qui obviam fit mulieribus maleficis , dicat ſic : Stercus calidum in caniſtris foraminoſis in os veſtrum mulieres Maleficæ.*

CAP. VII.

De Ordine Exorciſtarum *in Eccleſiam introducto. Hinc de* Exrociſmis circa Baptizandos, *cum infantes, tum adultos, ut ſic expelleretur Diabolus: ubi & de* Exſufflationibus, Inſufflationibus, Exſpuitionibus, *aliiſque in* Exorciſmo *peragendo ritibus.* Clericos *quoque iſtud jus (Cypriani ſaltem tempore) obtinuiſſe. Quamvis aliàs* Exorciſtæ, *quatenus membra eſſent Ordinis Eccleſiaſtici (quaſi hîc Dii minorum gentium) æque ac* Subdiaconi, Acolythi, Lectores *ac* Cantores, *extra Clerum haberentur. De* Exorciſmiſmis circa Hæreticos Baptizandos. *Quodnam* munus *fuerit* Exorciſtarum; *uti & de circumſtantiis nonnullis circa iſtud obſervatis.*

HAc occaſione & aliquid dicendum eſt de *Exorciſtis* atque *Exorciſmis* Veteris Eccleſiæ Chriſtianæ, qui poſt S. Apoſtolorum tempora locum habuerunt.

Exorciſmis quandoque uſos fuiſſe Chriſtum Jeſum ac S. Apoſtolos, ex Sacra Scriptura abunde liquet; ſic & formulæ ac circumſtantiæ quibus uſi ſunt; uti & denique qua vi ac virtute id ab ipſis peractum ſit.

Eandem illam virtutem (ſive Donum Spiritus Sancti) etiam viros nonnullos Apoſtolicos præter Apoſtolos, ac quidem poſt ipſorum deceſſum, poſſediſſe, tam ex promiſſis Salvatoris noſtri Marci c. XVI. v. 17. datis, quam ex primorum Chriſtianorum teſtimoniis, ſatis aperte liquere videtur. Verum enim

enim vero ſimul liquet, uti ſenſim cætera miracula (neceſſitate ipſorum jam in Eccleſia ceſſante) deſierunt; ita & donum iſtud Dæmonia expellendi deſiiſſe; imò & *Exorciſmos* & *Exorciſtas* (*ordinemque Exorciſtarum* in Eccleſias ſenſim introductum) nullum alium uſum inter Chriſtianos habuiſſe, quam *Auguriorum obſervatio* & *Collegium Augurum*, apud Veteres Romanos: cum nemo jam amplius crederet revera dari Divinitus Auguria. Quod non obſcure patebit ex iis quæ nunc ex Scriptoribus ac Canonibus Eccleſiaſticis afferam.

Primi qui inter Chriſtianos *Exorciſmi* & *Exorciſtarum* (poſt Apoſtolos) meminere, ſunt Juſtinus, Irenæus ac Tertullianus. Ex quibus Juſtinus adverſus Tryphonem. Καὶ νῦν ἡμεῖς οἱ πιστεύοντες ἐπὶ τὸν σταυρωθέντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου Ἰησοῦν κύριον ἡμῶν τὰ δαιμόνια πάντα καὶ πνεύματα πονηρὰ ἐξορκίζοντες ὑποτασσόμενα ἡμῖν ἔχομεν. *Et nunc nos qui in crucifixum ſub Pontio Pilato Jeſum Dominum noſtrum credimus, Dæmonia cuncta Spiritusque malignos adjurantes ſub poteſtate eos noſtra ſubditos habemus.* Sic idem Juſtinus alibi, & Clemens Alexandrinus & Minucius Felix, & Arnobius. A quibus tamen nulla mentio fit alicujus Miniſterii aut Ordinis Eccleſiaſtici ab Apoſtolis ad illud peragendum inſtituti.

Primis Chriſtianiſmi temporibus *Exorciſmi* valebant duntaxat in manifeſte *Dæmoniacis*, ſive ut aliter loquebantur, *Energumenis*. Aſt invaluit iſta opinio magis magiſque inter primorum ſeculorum Chriſtianos, *Omnes ab infantia homines Dæmonio eſſe obſeſſos*, eumque adeo debere expelli. Hinc tandem *Ordo* ille *Exorciſtarum* in Eccleſiam introductus; quaſi ubique pene occurrerent Dæmoniaci (quod & tandem creditum fuit, uti ex pueris, Catechumenis adultis Baptiſmo paratis, & Hæreticis Baptizandis vel baptizatis, patet) atque unuſquiſque, (ſaltem ſi munus iſtud ipſi ab

Epiſ-

Episcopo collatum esset) istam virtutem vere adeptus fuisset.

De verè *Dæmoniacis* (vel qui pro talibus habebantur) loquuntur Justinus Martyr, Irenæus, Clemens Alexandrinus ac Tertullianus. Quorum postremus, id per quemlibet Christianum (S. Scriptura ipsa contrarium plane testante) perfici posse affirmat, tum libro de Corona, cap. 11. tum Apologetici cap. 23. ubi inter alia habet: *Edatur hîc aliquis sub Tribunalibus vestris,* QUEM DÆMONE AGI CONSTET, *Jussus a quolibet Christiano loqui Spiritus ille, tam se Dæmonem confitebitur, quam alibi Deum de falso.* Sic & libro de Præscriptione Hæreticorum, cap. 41. *Ipsæ mulieres, hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere,* EXORCISMOS AGERE, *curationes repromittere, forsitam & tingere:*

Pamelius istos mulierum *Exorcismos* Baptismo applicat: Verum cum de *Exorcismis* hîc exserte loquatur Tertullianus, ac de Baptismo admodum dubitanter (per *forsitan*;) patet illos quoque ejusmodi fuisse, quales ii de quibus in Apologetico locutus fuerat. Sic *Exsufflabant* vel *Insufflabant*, etiam extra Baptismum [de qua re statim quoque] Dæmones quasi propinquos, ne ipsis nocerent; uti patet ex Tertulliano, tum libro ad Uxorem cap. 5. tum lib. de Idololatria cap. 41. Quin & Oleum & Sal, ad administrationem Baptismi, *Exorcismis* seu Exorcizando consecrabant. Quasi tanta Dæmonum caterva ipsos circumvolitaret quotidie (imò & per noctem) ut non videretur adhuc completa ista prophetia, quod *Semen mulieris serpentis caput conteret;* verum e contrario Deus Opt. Max. cum adventu Domini nostri Salvatoris, Dæmonum potestatem in tantum adauxisset, ut ipsis, ipsorumque operationibus, totus repleretur mundus.

Vereor sane ne nimium secure id (τὸ ἐξορκίζειν nempe) tam in universum de quibuscunque Christianis asserat Tertullianus:

nus: cum nulla ejusmodi exempla in Sacra Scriptura compareant, (quod tamen in Actis aut Epistolis Apostolicis alicubi patere deberet) ac promissio illa Marc. XVI. v. facta minime omnes quoscunque Christianos spectet, uti superius modo a me ostensum est. Rarissima quoque apud primos Christianismi Scriptores inveniuntur exempla: ac posteriores paulò Scriptores, Minutius & Arnobius, magis utuntur verbis Tertulliani atque Justini (uti pridem quoque a Pamelio ostensum est) quam quod exemplis illa confirmant. At non solum circa vere Dæmoniacos vel saltem ita prætensos, quum æque, improvido licet bono cum Zelo, in ea falli possent veteres Christiani, quam hodiernis temporibus illi qui Exorcismos exercent, verum & circa Catechumenos, & Hereticos Exorcismi adhibebantur; uti modo a me indicatum est. Interim consideranda sunt verba illa Tertulliani, quæ libro de Idololatria cap. II. habet: ubi hoc sequenti modo loquitur: *Quo ore Christianus thurarius, si per Templa transibit, quo ore fumantes aras despuet, &* EXSUFFLABIT *quibus ipse prospexit?*

An de Baptizandis hæc Tertullianus tradat quam meritò dubites: neque ego facile eò adducar ut credam jam Tertulliani tempore, circa Baptizandos, eo modo quo apud paulo posteriores (hoc est eos qui Cipriani Tempore, 50. circiter post annos vixere) usum Exorcismi obtinuisse: aut saltem per omnes Christianorum Ecclesias fuisse (ut sic loquar) Exorcizatos Catechumenos. Pamelius tamen eo alludere Tertullianum, verbis iis quæ (de præst. adversus Hæreticos) de Hæreticorum mulieribus profert, existimat.

Opinio regnabat inter primos Christianos, (inter plurimos saltem, jam a tempore Tertulliani) nullum pœne hominem carere Dæmonio. Hinc illa Tertulliani verba lib de Anima cap. 57. *Nam & suggessimus nullum pene hominem carere* DÆMONIO &c. Ea quæ, uti loquitur, suggesserat,

rar, habentur eodem in libro cap. 39. hoc modo: *Cui enim hominum non adhærebit Spiritus nequam, ab ipsa etiam janua nativitatis animas aucupabundus, vel qua invitatus, totâ illa puerperii superstitione? Ita Omnes Idololatria obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc uteri infulis redimiti, genimina sua Dæmoniorum candidata profitentur, dum in partu Lucinæ & Dianæ ejulatur, dum per totam hebdomadam Junoni mensa proponitur, dum ultima die fata scribenda advocantur, dum prima etiam constitutio infantis super terram Statinæ Deæ Sacrum est. Quis non exinde aut totum filii caput reatui vovet, aut aliquem excipit crinem, aut tota novacula prosecat, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat, pro gentica, pro avita, pro publica aut privata devotione. Sic igitur & Socratem puerum adhuc spiritus Dæmonicus invenit. Sic & omnibus genii deputantur, quod Dæmonum nomen est, adeo nulla ferme nativitas munda est, utique Ethnicorum. Hinc enim & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu Sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativa quam ex institutionis Disciplina. Ceterum (inquit) immundi nascerentur, quasi designatos tamen Sanctitatis, ac per hoc etiam salutis, intelligi volens fidelium filios: ut hujus spei pignora matrimoniis quæ retinenda censuerat patrocinarentur. Alioquin meminerat Dominicæ definitionis, Nisi quis nascatur ex aqua & Spiritu; non introibit in Regnum Dei, id est non erit sanctus.*

Circa Gentilium liberos id necesse fuisse, videtur concludere hîc Tertullianus: De Omnibus tamen, tam Christianorum quam Ethnicorum, liberis id pronuntiabant isti Christiani, qui tempore Augustini stabant pro Peccato Originali, atque exinde parvulos (imò & juvenes nondum baptizatos) sub potestate Diaboli (ut ipsius Augustini verbis utar) captivos esse, nisi inde Lavacro regenerationis & Christi sanguine redimantur.

Sic ut necesse fuerit, *ut prius* (sunt iterum Augustini verba)

ba) *exorcizetur in eis & exsuffletur potestas contraria, cui & verbis eorum a quibus portantur sese renuntiare respondent. Quibus omnibus rerum occultarum sacratis & evidentibus signis a captivitate pessimo ad optimum Redemptorem transire monstrantur.* Sic quoque Optatus Milevitanus lib. 4. adversus Parmenianum: *Nam neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu mundi esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum, ab homine excludi & separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur.*

Quod non minus signanter exprimit jam modo adductus Augustinus, nempe lib. de Ecclesiasticis Dogmatis, hoc modo: *Illud etiam quod circa Baptizandos in universo mundo Sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamus intuitu. Cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius ad fontem vitæ adeant, quam Exorcismis & Exsufflationibus Clericorum spiritus ab eis immundus abigatur.*

Exsufflationem tamen primam conjicio in hoc ritu locum invenisse (uti & *Desputationem;*) eamque primum in usum fuisse introductam a Christianis contra Gentilium Idola, Templa, atque Aras; eo quod talibus vel inhabitarent vel adhærerent (secundum hor. opinionem) sub nominibus Deorum Dæmonumque Ethnicorum, Diaboli; nidorique altarium ibi inhiarent, &c. statuasque Dis Ethnicis consecratas animarent quandoque; ac per illas Miracula perpetrarent, & Vaticinia proferrent: uti abunde tam ex Justino & Tertulliano, quam aliis Patribus liquet; ac satis superque ex præcedentibus patet.

Hinc enim & Prudentius libro, contra *Symmachum*

. . . . . Quis in Urbe est
Qui Jovis infectam sanie non despuat aram

Idemque in Agone Martyris *Romani:*

> *Ingressus ille ut hos paratus perspicit*
> *Insufflat ipsos ceu videret Dæmonas.*

Ad quam *Dæmonum Exsufflationem* spectant, quæ sæpius nunc memoratus Tertullianus *ad Uxorem* (cap. V.) habet: *Latebisne tu cum lectulum, cum corpusculum tuum signas, cum aliquid immundum flatu exspuis, cum etiam per noctem surgis oratum? & non Magiæ aliquid videberis operari?*

Ad Ararum fumantium Odoris Nidorisve Exsufflationem &c. hæc quidem refert Eruditissimus in Tertullianum commentator Rigaltius; verum ex ipso Tertulliano satis liquido patet, hæc mulieres, æque quam viros, domi, atque in occulto quantum poterant, peregisse.

Nec tantum in *Dæmones* præsentes, (vel quos sibi tales, ac præsentes imaginabantur) *exsufflare* ac *despuere* consueverant; verum id quoque circa *Hæreticos seductores*, ut *Dæmoniacos*, seu *Dæmone* vel *impuro spiritu actos*, quandoque observabant.

Patet hoc ex Irenæo, ubi, libro I. cap. 9. de Marco Hæretico loquens, inter alia hæc affert: *Jam vero quædam ex fidelissimis mulieribus, quæ habent timorem Dei, & non sunt seducibiles, quas similiter ut reliquas affectavit seducere, jubens eas Prophetare, exsufflantes & anathematizantes eum, seperaverunt se ab ejusmodi insano.*

Ut autem procedente tempore *Exorcismus* ex ejusmodi opinionibus, circa *Baptismum* fuit in usum introductus; sic ipsi & *Exsufflatio* & *Exsputatio*, & *Obsignatio* (sive *signatio crucis signo*) & *Consecratio aquæ Baptismo destinatæ*, aliaque plura, tum verba tum ritus, adjuncta fuerunt: & æque quidem circa Infantes ac circa adultos ætate, licet paulum modo mutatis circumstantiis, huic illive ætati magis minusve convenientibus.

Apud

Apud Christianos secundi ac tertii seculi fiebat hæc *Exsufflatio*, æque ac *Renuntiatio* Diaboli ac pompæ ejus (uti loquitur Tertullianus) ab ipsis Baptizandis. Sed post introductum in Christianam Ecclesiam Pædobaptismum [quem ex oborta opinione de Necessitate Baptismi, sensim irrepsisse constat; uti & in Africa consuetudo etiam ipsis puerulis dandi S. Eucharistiam] ea per presbyteros aliosve Clericos circa Infantes Baptizandos (imò & adultos) præstabatur.

Hinc Augustinus, contra asserentes non habere Diabolum potestatem ante Baptismum (lib 2. cap. 17. &c.) inter alia ita loquitur: *Et sic accusat Ecclesiam toto orbe diffusam; in qua ubique omnes Baptizandi infantuli, non ab aliud* INSUFFLANTUR, *nisi ut ab iis Princeps mundi mittatur foras, a quo necesse est vasa iræ possideantur, cum ex Adam nascantur.*

Ipsi interim Baptizandi jam satis adulti *renunciabant Diabolo* &c. ipsique *Exsufflabant;* uti tum ex Gregorio Nazianzeno, tum ex Dionysio illo Pseud'areopagita (qui circa Nazianzeni tempora, prout mihi videtur, vixit) patescit. Namque ut *Sathanam adjurabant ad occasum conversi, sic conversi ad ortum Deum confitebantur:* quomodo loquitur Nazianzenus. Sic & majori adhuc apparatu id nobis represenrat, jam dictus Dionysius; qui in Hierarchia Ecclesiastica, consuetudines sui seculi, proculdubio, discribens ita loquitur: Εἶτα στήσας ἐπὶ δυσμαῖς προσέχοντα, καὶ τὰς χεῖρας ἀπωθοῦντα πρὸς τὴν αὐτὴν ἀπεστραμμένας χώραν, ἐμφυσῆσαι μὲν αὐτὸν τρὶς διακελεύεται τῷ Σατανᾷ, καὶ πρὸς ἔτι τὰ τῆς ἀποταγῆς ὁμολογῆσαι· καὶ τρὶς αὐτῷ τὴν ἀποταγὴν μαρτυρούμενος, ὁμολογήσαντα τρὶς αὐτὸν μετάγει πρὸς ἕω, καὶ πρὸς οὐρανὸν ἀναβλέψαντα καὶ τὰς χεῖρας ἀνατείναντα κελεύει συντάξασθαι τῷ Χριστῷ καὶ πάσαις ταῖς θεοπαραδότοις ἱερολογίαις. *Post hæc in Orientem mundi plagam collocans (Catechumenum) eo se inclinantem, & manus eam versus projicientem, jubet ipsum ter insufflare Sathanæ, insuperque renuntiationem confite-*

fiteri : ac ter ipsi renuntiationem testatus , confitentem ter convertit in Orientem , & ad cœlum respicientem & manus (eò) extendentem , jubet pacisci cum Christo , & cum omnibus per Patres traditis dogmatibus : Eadem plane paulo inferius , in eodem capite , habet ; nisi quod , ibi addat , & Γυμνὰς & ἀνυποδήτους *nudos* ac *discalceatos* spectasse ad Occidentem , &c.

Quod autem talia facerent ipsi Baptizandi videtur posteriorum ævorum Clericis non suffecisse : qui ista , æque ac cæteros peragendos *Exorcismorum* actus , sibi arrogabant ; ac Baptizandis istam soli , aut præcipue saltem , atque ex munere, conferebant : *uti inde tandem ordo Catechistarum exortus fuit ;* quamvis & ipsi Baptizandi interim quoque jam dictas actiones (vel proprio ex motu , vel prisca consuetudine Ecclesiæ) usurparent.

Nam quod accuratè notandum venit ; primis seculis , uti Baptismus , sic ex *Exorcismus* Catechumenorum & Hæreticorum , per Clericos , (atque inter ipsos quandoque per Diaconos) administrabatur.

Patet id tum ex Augustino , tum quoque ex Synodo 5 . Constantinopolitana. Augustinus enim asserit , *sive parvulos sive Juvenes , cum ad regenerationis veniunt Sacramentum , non prius fontem vitæ adire quam* EXORCISMIS *&* EXSUFFLATIONIBUS CLERICORUM *spiritus ab eis immundus abigatur.*

De Diaconis loquitur Synodus Constantinopolitana modo nominata his verbis : *Stephanus & alter Stephanus , dixit : Cum essemus in Baptisterio ad Neophotistarum sine tunicis , & calceamentis existentium ,* DIACONIS IPSOS EXORCIZANTIBUS , &c.

Fuisse tamen & jam Cypriani tempore in Ecclesiâ *Exorcistas ,* peculiari ita nomine ac munere gaudentes , ostendunt tum ipse Cyprianus , tum ipsius comtemporaneus Cornelius Urbis

Urbis Romæ Episcopus. Cyprianus quidem id paulò obscurius indicat, dum Epistola 67. ita loquitur: *Quod hodie etiam geritur, ut per* EXORCISTAS, *voce humana & potestate Divinâ, flagelletur & uratur & torqueatur Diabolus*, &c. quæ ibi de Diaboli, in Baptismo oppressione, addit.

At clarius longe de ipsis Cornelius, ut de Ordine Ecclesiastico, loquitur (Euseb. lib. 6. c. 33. Historiæ Ecclesiasticæ) ac quidem hoc modo: οὐκ ἠπίστατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει, πῶς γὰρ, πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαρακονταὲξ, διακόνους ἑπτὰ, ὑποδιακόνους ἑπτὰ, ἀκολούθους, δύο καὶ τεσσαράκοντα, ἐξορκιστὰς δὲ καὶ ἀναγνώστας ἅμα πυλωροῖς δύο καὶ πεντήκοντα. *Ignorabat sc.* [de Novatiano loquitur] *in Ecclesia unum Episcopum esse debere, ubi videbat esse Presbyteros* 46. *Diaconos* 7. *Subdiaconos* 7. *Acolythos.* 42. EXORCISTAS *cum Lectoribus & Ostiariis* 52.

Ubi videmus ipsos ne inter Clericos quidem nominatos, verum & quodam intervallo (Subdiaconorum atque Acolythorum) ab istis fuisse distinctos: dum interim, uti modo vidimus, ipsi Clerici id muneris sibi vindicabant quandoque, atque exorcismos perpetrabant. Quod tamen & in Baptizandis Catechumenis, atque in Hæreticis præcipue locum habuit; cum præter Episcopum vel Presbyteros, nemo ex Clericis (nisi in summa necessitate) aut Baptizare auderet, aut hæreticos denuò conversos suscipere.

Munus vero *Exorcistarum* ita describitur nobis Can. 7. Concilii quarti Carthaginensis: *Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi; dicente sibi Episcopo; accipe & commenda memoriæ; &* HABETO POTESTATEM IMPONENDI MANUS SUPER ENERGUMENUM SIVE BAPTIZATUM, SIVE CATECHUMENUM.

Plenius paulò id declarat Hugo a Sancto Victore, de Sacramentis lib. I. c. 35. his verbis: *Exorcistæ dicuntur quasi ad-*

adjuratores. Hi [loquitur de Exorciſtis Judæorum] *per carmina quædam, quæ Salomon compoſuiſſe dicitur, Dæmones adjurabant. Exorciſtæ autem* [NB] NOSTRI CATECHIZANDOS EXORCIZANT EX OFFICIO, ET DÆMONES *ejiciunt, vel eis infantium corpora interdicunt.* Quod poſterius primo notatur in Gemma animæ, ubi (poſt fere eadem de Salomone) habetur. *In Eccleſiâ autem habent* [Exorciſtæ] *Officium infantes Catechizandos Exorcizare per verba Dei. i. e. Baptizandorum corpora Dæmonibus interdicere; ac de Energumenis. i. e. de obſeſſis corporibus per Exorciſmos Dæmones arcere. Et his codex ab Epiſcopo traditur dum ordinantur: ut videlicet monita librorum impleant, quæ Dæmones ab iis expellere valeant.*

Hinc nulli licuit *Exorcizare*, qui non ab Epiſcopo ad id munus erat promotus. Sic enim Can. 25. Concilii Laodicenſis decernitur, Ὅτι οὐ δεῖ ἐπορκίζειν τοὺς μὴ προαχθέντας ὑπὸ ἐπισκόπων, μήτε ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, μήτε ἐν ταῖς οἰκίαις. *Quod non opporteat iſtos Exorcizare, qui ab Epiſcopo promoti non ſunt, neque in Eccleſiis, neque in* [privatis] *ædibus.*

Interim in iſtis modo allatis nulla Hæreticorum fit mentio. Neque exiſtimo, ullibi ipſorum *Exorciſmos* in uſu fuiſſe, ubi Anabaptiſmus, circa Hæreticos, non frequentabatur.

In Africa vero ipſum (ac quidem Cypriani tempore) in uſu fuiſſe, patet ex Concilio Carthaginenſi illius tempore collecto: ut ibi *Vincentius a Thibari dixit: Hæreticos ſcimus pejores eſſe quam Ethnicos: ſi igitur converſi ad Dominum venire voluerint, habemus utique regulam veritatis, quam Dominus præcepto divino mandavit Apoſtolis, dicens: ite in nomine meo, manum imponite, Dæmonia expellite; Et alio loco: Ite & docete Gentes; Baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Sp. Sancti. Ergo primò per* MANUS IMPOSITIONEM IN EXORCISMO, *ſecundo per Baptiſmi regene-*

nerationem, tunc possunt ad Christi pollicitationem venire: alias autem fieri censes non debere:

Quibusnam verbis concomitata erat ista *Manuum impositio*, qualive *formulâ*, docet nos Alcuinus, his sequentibus: EXORCISMUS *Græcè, Latine dicitur* SERMO ADJURATIONIS *sive* INCREPATIONIS: *& inde Exorcista* ADJURATOR. *Illorum Officium est ut* PONANT MANUS *super Dæmoniacos, ut* PER INVOCATIONEM NOMINIS DEI *repellant Dæmones ab eis, dicentes:* ADJURO TE IMMUNDE SPIRITUS, PER DEUM PATREM, FILIUM ET SPIRITUM SANCTUM, UT RECEDAS AB HOC FAMULO DEI.

Certe ex hujusmodi praxi videmus plane eodem modo ut, cessante *Auguriorum* superstitione, ipsa tamen *Auguria*, dicis gratia, ipsorumve observationes solemnes remanebant: sic quoque *Exorcismos* in Veteri Ecclesia. ac quæ apud Gentes, temporibus antiquis, populo ducendo commodius, quasi Divinum quid, ut religio populo incuteretur, exercebantur; sibi simile quid quoque reliquisse in populo Christiano, quo Sacerdotes ac monachi sub superstitionis jugo ipsum perpetuo continerent; dum *veritatem vertentes in mendacium*, quæ revera Salvator noster J. C. ipsius, & per ipsum Apostoli patraverant in corporum & animarum salutem; hi sic falsò, atque in proprium lucrum, commodum atque auctoritatem, æmularentur.

Quonam, vero, tempore in Catechumenis, qui nunc per omnes Catecheseon gradus provecti fuerant, Exorcismus exercitus fuerit, docet nos. Ferrandus Diaconus, Epistolâ ad Fulgentium; hoc modo: *Universa quoque Religionis Catholicæ veneranda mysteria cognoscens ac percipiens, celebrato solemniter scrutinio* [in quo, quibusve, id consisteret forsam alibi explicatius tradam] *per Exorcismum, contra Diabolum vindicatur: cum se renuntiare constanter, sicut*

 hîc

hic consuetudo poscebat, auditurus Symbolum profitetur. Ipsa insuper sancta Symboli verba in conspectu fidelis populi clara voce pronuntians, piam regulam Dominicæ Orationis accepit.

Hîc nonnulla quidem essent curatius paulò consideranda, si quidem tam de Baptismi ritibus in universum, quam de particula ejus quadam (ac quidem per occasionem,) nunc agerem Verum ut illa nos ducerent ad huc magis a scopo proposito; sic alia occasione ac tempore [si tractatum meum de *Baptismo* unquam edidero] locum commodiorem inventura sunt. Quare nunc ad *Exorcismos* earumque circumstantias, &c. me adhuc parumper convertam.

Definitur igitur Exorcismus ab Isidoro (lib. 2. de Officiis Divinis, cap. 20.) hoc modo: *Exorcismus sermo increpationis est contra immundum Spiritum, in Energumenis sive Catechumenis factum, per quem ab illis Diaboli nequissima virtus & inveterata malitia expulsa fugetur.*

At præter istum *sermonem*, qui, teste Gregorio Nazianzeno (qui quoque Bapizandos monet ne tædio temporis afficiantur, ex longa ipsius duratione) per aliquot dies, repetitis vicibus, durabat, etiam *Manus Impositio*, & *Signum*, sive *signaculum Crucis* (præter *Exsufflationes*, &c.) & *ignis*, & alia adhibebantur.

Non ubique tamen æque longas fuisse & cæremonias, & formulas, vel sermones, patet tam ex Socrate, quam ex hac Fl. Alcuini descriptione Sabbati Sanctæ Paschæ: *Post horam denique tertiam Sabbato præparantur ad Ecclesiam qui Baptizandi sunt, simul cum patrinis & matrinis; & ordinantur ab Acolyto masculi ad dextram, fœminæ vero ad sinistram: & tunc, qui possunt reddunt Orationem Dominicam & Symbolum, sive patrini pro ipsis, atque matrinæ eorum, qui eos suscepturi sunt. Deinde facit Presbyter cum pollice in frontibus eorum signum Crucis, dicendo, in nomine Patris, Filii, &*

& Spiritus Sancti. Post hæc ponit manus super capita eorum & dicit Orationem ad Catechumenum faciendum : Omnipotens sempiterne Deus. Hîc, juxta S. Gregorium, reddunt Symbolum & Orationem Dominicam, aut Patrini pro ipsis. Post hæc sequuntur Orationes in Sabbato Sancto ad Catechizandum infantem. Inde verò tangit ei nares & aures de sputo, & ad aurem dextram, EPHETA, i. e. APERIRE; *ad nares,* IN ODOREM SUAVITATIS, *ad sinistram,* TU AUTEM ET FUGARE DIABOLE, APPROPINQUABIT ENIM JUDICIUM DEI. *Postea verò tangit ei pectus, & inter scapulas de* OLEO EXORCIZATO *crucem faciendo cum pollice, & vocato nomine ejus dicitur :* ABRENUNTIAS SATHANÆ? *Respondet,* ABRENUNTIO. ET OMNIBUS OPERIBUS EJUS? *Respondet,* ABRENUNTIO. ET OMNIBUS POMPIS EJUS? *Respondet,* ABRENUNTIO. *Inde sequitur Symbolum. Hîc, secundum Gregorium, sequuntur Lectiones & Cantica.*

Attamen non semper, seu ab omnibus Christianis, hæc plane secundum literam intelligebantur : verum Mysticè quoque, ac sensu quodam magis spirituali : uti patet ex Augustino; qui lib. II. cap. 75. de Consensu Evangelistarum, ita loquitur: *Ut illud, quod ait,* EJICIO DÆMONIA ET SANITATES PERFICIO HODIE ET CRAS, ET TERTIO DIE CONSUMMOR, *referatur ad corpus ejus, quod est Ecclesia. Expelluntur enim Dæmonia, cum relictis paternis superstitionibus, credunt in eum Gentes : & perficiuntur Sanitates, cum secundum ejus præcepta vivitur, posteaquam fuerit Diabolo renuntiatum.*

Notaveram paulo superius (ex Concilio IV. Carth. & Gemma animæ) aliquid, de Libellis vel Codicibus *Exorcismos Ecclesiasticos* continentibus; ubi etiam *de Carminibus quibusdam, quos Salomon composuisse dicitur, quibusque Exorcistæ Judæorum, Dæmonas adjurabant dixi.* Ad quæ ulterius

notari potest, *Exorcistas Ethnicos* & *Judæos*, (post ortum jam inter eos Pharisæismum,) suos habuisse *Libellos Exorcismorum*, ex quibus, sive carmine sive aliter, compositas adjurationes, ad expellendos *Dæmones* ex corporibus eorum, *qui Dæmoniaci aut Energumeni* (uti in veteri Ecclesia ut plurimum) appellabantur, vel Diabolo, Diabolisve obsessi credebantur.

De *Ethnicis* id constat: ac quidem non admodum obscure, ex Laërtio, de Empedocle, Pythagoræ discipulo (qui multa a Chaldæis didicit) id patere videtur, tam ex fragmento Carminis illius, quod apud hunc Laërtium extat; quam ex eo, quod permultis versibus de καθαρμοῖς sive Expiationibus scripserit, ac de *Apno* remedio quodam Magico, ipsi usitato, Pausaniæ quædam dictaverit. Nisi hæc magis ad *Lapides* & *Radices*, & *Herbas Magicas* referenda sint. Versus autem illi qui apud Laërtium supersunt, ita sonant:

Φάρμακα δ' ὅσα γεγᾶσι κακῶν καὶ γήραος ἄλκαρ
Πεύσῃ· ἐπεὶ μούνῳ σοι ἐγὼ κρανέω τάδε πάντα.
Παύσεις δ' ἀκαμάτων ἀνέμων μένος, οἵτ' ἐπὶ γαῖαν
Ὀρνύμενοι, πνοιαῖσι καταφθινύθουσιν ἀρούρας·
Καὶ πάλιν ἢν κ' ἐθέλῃσθα, παλίντιτα πνεύματ' ἐπάξεις.
Θήσεις δ' ἐξ ὄμβροιο κελαινοῦ καίριον αὐχμὸν
Ἀνθρώποις, θήσεις δὲ καὶ ἐξ αὐχμοῖο θερείου
Ῥεύματα δενδρεόθρεπτα, τὰ δ' ἐν θέρει ἀήσαντα·
Ἄξεις δ' ἐξ Ἀΐδαο καταφθιμένου μένος ἀνδρός.

Pharmaca queis pellas morbos, lenesque senectam
Percipies, quæ cuncta tibi communico soli:
Compescesque truces ventorum rite procellas
Exorti insanis qui vastant flatibus agros.
Sursum (si libeat) mox flamina pigra ciebis,
Et media indnces e tempestate serenum,
Induces media pluvias æstate salubres,

Et

Et flatus ſicca qui perſlent omnia meſſe:
EXTINCTUMQUE HOMINEM NIGRO REVOCABIS AB ORCO.

Fuiſſe autem ipſum γόητα *ſeu Magum*, teſtatur, apud eundem, Georgius Leontinus ipſius diſcipulus, (prout Satyrus tradit,) ut qui ipſi Artes Magicas exercenti præſens affuerit.

Clarius vero id de *Exorciſmorum Libellis* patet ex Philopſeude Luciani: qui quidem Hiſtoriolas ibi adductas ut falſas atque omnino ridiculas exſibilat: at interim eo indicat, quibus mediis *Magi* ac *Chaldæi* abuti ſolebant, ut imponerent per illa credulis ſuperſtitione conſultoribus. Ita igitur is primo loco: Ἐπειπὼν ἱερατικά τινα ἐκ βίβλου παλαιᾶς ὀνόματα ἑπτὰ, καὶ δᾳδὶ καθαγνίσας τὸν τόπον, περιελθὼν εἰς τρὶς, ἐξήλασεν ὅσα ἦν ἑρπετὰ, ἐντὸς τῶν ὅρων. *Quum pronuntiaſſet Sacra quædam ex vetuſto codice ſeptem nomina, ſulphure ac face luſtrato loco, in orbem ter obambulans ſerpentes omnes excivit, quicumque intra eam regionem erant.*

Secundo vero, Ἐγὼ δὲ ἐπεὶ ταῦτ᾽ ἤκουσα, τὰς βίβλους λαβὼν εἰσὶ δέ μοι Αἰγύπτιαι καὶ μάλα πολλαὶ περὶ τούτων, &c. *Ego vero ubi hæc audivi, libellos ſumens, ſunt autem Ægyptii mihi, de talibus rebus admodum multi*, &c. ac paulò poſt: Ἐγὼ γὰρ προχειρισάμενος τὴν φρικωδεστάτην ἐπίρρησιν, Αἰγυπτιάζων δὲ φωνῇ, &c. *At ego correpto in manum quam maximè horrendo carmine, ſimulque pronuntiationem Ægyptiam imitatus*, &c.

Poſt Lucianum hunc proderat Diogenes, qui (ſentiente ita Photio, accuratiſſimo talium critico) non ita diu poſt Alexandri Magni tempora vixit. Is, inter alia narrat, *ut Mantinias cum Dercyllide, Paapidis pera cum Libris, herbarumque arcula ſublata, Rhegium e Leontinis trajecerint, &c. ac poſtea ut Azulis, cum comperiſſet quo modo Paapis Mantiniam & Dercyllidas faſcinaverat, malum illud depulerit,*

cum modum & rationem cruciatus, ejusque curandi viam didicisset, ex [NB] *perula Paapidis, quam secum Mantinias atque Dercyllis attulerant.*

Si verò hæc nimis fabulosa videantur, mi Lector, quam ut vera rerum testimonia ex ipsis petantur; respicias, quæso, ad Actor. Apostol. cap. XIX. versum 19. & libros ibi combustos, simulque ad *Literas Ephesias*, de quibus jam capite præcedenti egi) ac videbis, credo, hos *libros Ephesiorum*, non solum Doctrinas ac præcepta Magiam addiscendi; verum & *adjurandi*, sive *Excantandi* & *Incantandi*, &c. *formulas* comprehendisse.

Ut autem ad Judæos deveniam; in Josepho talia videmus de Salomone affirmata: hunc Salomonem, scilicet, *a Deo accepisse.* [καὶ τὴν κατὰ τῶν δαιμόνων τέχνην, εἰς ὀφέλειαν καὶ θεραπείαν τοῖς ἀνθρώποις, ἐπῳδάς τε συνταξάμενον αἷς παρηγορεῖται τὰ νοσήματα, καὶ τρόπους ἐξορκώσεων καλαλιπεῖν, οἷς ἐνδούμενα τὰ δαιμόνια ὡς μηκέτ' ἐπανελθεῖν ἐκδιώκουσι.] *etiam artem contra Dæmones, in auxilium ac sanationem hominum; &* INCANTATIONES (seu EXORCISMOS) *composuisse, quibus a morbis homines subleventur ac curentur) ita ut nunquam redeant: quin & modos exorcizandi (posteris) reliquisse; quibus sic illigatos vincantur Dæmonia* [artis periti homines] *ut nunquam revertantur.*

An hæc vero comprehensa fuerint *Claviculâ* illâ *Salomonis*, libello Apocrypho, quod Decreto Gelasii Papæ damnatum fuit; an alio quopiam, nescire me fateor: fœtum interim fuisse supposititium nemo sani cerebri dubitare potest; imprimis si noverit quot scripta ejusmodi commatis antiquis Patribus ac Prophetis tum a Judæis, tum a Christianis, piis [verè impiis melius dicas] fraudibus, nimium delectatis conficta fuerint: qualia, ne plura nominem, fuere inter alia ***Liber Ogiæ Gigantis**, qui cum Dracone post diluvium pugnasse perhibetur; **Pœnitentia Adam**, **Testamentum Job**, **Pœni-***

nitentia Jannes & Mambræ; *tum & Phylacteria quæ ab Angelis composita perhibebantur* ; *uti & Liber qui Sortes Apostolorum* appellabatur; sive is Sententiolis ex eorum Epistolis constaret desumptis; sive illæ in totum confictæ, falso Apostolorum titulo insignitæ fuerint.

Porro sub nomine *Salomonis* Librum quendam Exorcismorum inter Judæos (imò & multos Christianorum) in abusu fuisse, ostendunt satis clare ea quæ Origenes, Sermone XXXV. in Matthæum habet : *Quæret aliquis si convenit vel Dæmones adjurare : & qui respicit ad multos, qui talia facere ausi sunt, dicet, non sine ratione fieri hoc. Qui autem aspicit Jesum imperantem Dæmonibus, sed etiam potestatem dantem suis discipulis super omnia Dæmonia, & quod infirmitates sanarent, dicet quoniam non est secundum potestatem datam a Salvatore adjurare Dæmonia :* JUDAICUM EST ENIM. *Hoc etsi aliquando a nostris tale aliquid fiat, simile fit ei quod* A SALOMONE SCRIPTIS ADJURATIONIBUS *solent Dæmones adjurari. Sed ipsi qui utuntur adjurationibus illis, aliquoties nec* IDONEIS *constitutis* LIBRIS *utuntur : quibusdam autem &* DE HEBRÆO *acceptis adjurant Dæmonia.*

Secundo id monstrant verba Nicetæ Choniatæ in quibus (libro IV. de Manuele Commeno) & mirabiles *Dæmonum Evocationes* videmus, hoc modo : Ἑάλω δὲ καὶ βίβλον Σαλομώντειον ἀνελίττων, ἥτις ἀναπτυσσομένη τε καὶ διερχομένη, κατὰ λεγεῶνας συλλέγει καὶ παρίστησι τὰ δαιμόνια, συχνάκις ἀναπυνθανόμενα, ἐφ' ὅτῳ προσκέκληνται; καὶ τὸ ἐπιταλτόμενον ἐπισπεύδοντα περατοῦν, καὶ προθύμως δρῶντα τὸ κελευόμενον. *Deprehensus quoque est evolvere (ac legere) Librum Solomoneum : quo evoluto ab ipso ac percurso, Dæmoniorum totas Legiones præsentes sistit, crebro interrogantium quibus de causis advocata fuerint; & mandata gnaviter exsequi nitentium, ac propensè jussa (ejus) perficientium.*

Ita

Ita ut non ſolas *Dæmonum Expulſiones* hic prætenſus Salomonis liber operaretur, verum & *Dæmonum Evocationes*; imò & in alios (ut ſic loquar) *immiſſiones;* uti paulo poſt de Sclero quodam narrat, qui per medium mali Perſici *Dæmonem Virgini cuidam* ab ipſo adamatæ *immiſerat;* ac de Sycidite, qui, præter alias præſtigias horrendas, κατὰ φάλαγγας ἐπισυνιστῶν τοὺς δαίμονας, οὓς ἂν ἐκπλῆξαι βούλοιτο, potens erat *Totas Dæmonum phalanges immittere iis, quos exterritos volebat.*

Unde & Libri illi, qui tales artes docere perhibebantur, magis inter Magicos, quam Adjuratorios numerandi fuerint: quamvis res ipſæ (uti ex ſequenti capite adhuc clarius patebit) ſpecie quidem, at genere nullatenus differant.

Aſt minime hic omittendus *Liber* ille prætenſus *Enochi* quem tam maximi facit, ac pro fœtu genuino habet, inter alios Veteres imprimis, Tertullianus (ne de hominibus noſtri ævi aliquid dicam) qui hunc librum, ante Diluvium ab Enoch fuiſſe conſcriptum, ac, Deo ita dirigente, per Noë aut conſervatum, aut de novo, ex inſtinctu Spiritus Divini, inſtauratum ab eo credit. Hic ergo Enochi Liber, ſeu Scriptura [namque inter Sacras Scripturas eam numerat dictus Tertullianus] inter alia, quæ ex libro primo excerpſit Georgius Syncellus, habet hæc ſequentia. quæ ſola δείγματος χάριν affero: Καὶ ἦσαν αὐξανόμενοι μετὰ τὴν μεγαλειότητα αὐτῶν, καὶ ἐδίδαξαν ἑαυτοὺς, καὶ τὰς γυναῖκας ἑαυτῶν, φαρμακείας καὶ ἐπαοιδίας. πρῶτος Ἐξαὴλ ὁ δέκατος τῶν ἀρχόντων ἐδίδαξε ποιεῖν μαχαίρας, καὶ θώρακας, καὶ πᾶν σκεῦος πολεμικὸν, καὶ τὰ μέταλλα τῆς γῆς, καὶ τὸ χρυσίον πῶς ἐργάσωνται, καὶ ποιήσωσιν αὐτὰ κόσμια ταῖς γυναιξὶν, καὶ τὸν ἄργυρον. ἐδίδαξεν δὲ αὐτοὺς, καὶ τὸ στίλβειν, καὶ τὸ καλλωπίζειν, καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς λίθους, &c. *Et erant multiplicati ſecundum magnitudinem (ac potentiam) eorum; & docuerunt ſeſe; & uxores ſuas veneficia & Incantationes. Primus Exaël, decimus (inter illos) principium, docuit ipſos procudere gladios*

ac

ac thoraces, & omne armaturæ genus, & metalla e terra quomodo ſibi pararent; & aurum quomodo inde ornamenta muliebria conficerent, uti & argentum. Quinimò & docuit ſplendorem (ſibi conciliare) & artem coſmeticam, & lapides electos, ſeu pretioſos, &c. Ac paulo inferius: ὁ δὲ Φάρμαρος ἐδίδαξε φαρμακείας, ἐπαοιδίας, σοφίας, καὶ ἐπαοιδῶν λυτήρια. *Pharmarus vero docuit Veneficia & Incantationes, & Sapientias (occultas,) uti & Incantionum ſolutiones, (ſive ab iis liberationes.)* Hîc habemus ergo ipſos Angelos, vel potius Dæmonas Incantationum, Excantationumque ſive Exorciſmorum, auctores, ſi huic impoſtori ſit habenda fides. Ac certe tam bene ipſi hæc impoſtura ſucceſſit, ut plures ex antiquis Scriptoribus, interque illos Tertullianum, tam ſecure deceperit, atque ita quidem; ut ille, libro de habitu muliebri (cap. 3.) ſcribere non dubitaverit; *Scio Scripturam Enoch, quæ hunc ordinem Angelis dedit, non recipi a quibuſdam; quia nec in armarium Judaicum admittitur. Opinor, non putaverunt illam ante Cataclyſmum editam poſt eum caſum orbis, omnium rerum abolitorem, ſalvam eſſe potuiſſe. Si iſta ratio eſt, recordentur pronepotem ipſius Enoch fuiſſe ſuperſtitem cataclyſmi, Noë; qui utique domeſtico nomine & hæreditariâ traditione audierat, & meminerat de proavi ſui penes Deum gratia, & de omnibus prædicatis ejus: cum Enoch filio ſuo Mathuſalæ nihil aliud mandaverit, quam ut notitiam eorum poſteris ſuis traderet. Igitur ſine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione ſucceſſiſſe: vel quia & alias non tacuiſſet, tam de Dei conſervatoris ſui diſpoſitione, quam de ipſa domus ſuæ gloria. Hæc ſi non tam expedita haberet, illud quoque aſſertionem Scripturæ illius tueretur: proinde potuit abolefactam eam violentia Cataclyſmi in Spiritu rurſus reformare: quemadmodum & Hieroſolymis Babylonia expugnatione deletis, omne inſtrumentum Judaicæ literæ per Eſdram conſtat reſtauratum,* &c.

Quo postremo certe prætenso argumento hic bonus Tertullianus, ut in proverbio est ἥλῳ τὸν ἧλον κρούσ, seu clavum clavo extrudere conatur.

Ac quæso videamus qua nitatur auctoritate? Legerat in Apocrypho lib. IV. Esdræ hæc sequentia: *Et apertum est os meum, & non est clausum amplius. Altissimus dedit intellectum quinque viris, & scripserunt quæ dicebantur excessiones noctis, quas non sciebant. Nocte autem manducabant panem, ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam. Scripti sunt autem per quadraginta dies libri* [NB] *ducenti quatuor. Et factum est, cum complevissent, locutus est Altissimus, dicens, priora quæ scripsisti in palam pone, & legant digni & indigni; novissimos autem septuaginta conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen. Et feci sic*

Vide Lector, quanto hîc ac quam veraci innitatur auctori noster Tertullianus!

Eum interim ad illa verba, quæ ex prætensi Enochi fragmento modò attuli (quæque ulterius ex Georgio Syncello, cum Scaliger, tum alii produxerunt) plane respicere, ostendunt hæc sequentia, ex libro ejus de cultu fœminarum: *Artibus autem per Angelos peccatores, qui & ipsas materias prodiderunt inductis, operositas cum raritate commissa pretiositatem, ex ea libidinem possidendæ pretiositatis feminarum excitavit. Quod si iidem Angeli, qui & materias & ejusmodi illecebras detexerunt, auri dico & lapidum illustrium, & operas eorum tradiderunt, & jam ipsum calliblepharum, vellerumque tincturas inter cetera docuerunt, damnati a Deo sunt,* UT ENOCH REFERT, *quomodo placebimus Deo gaudentes rebus illorum qui iram & animadversionem provocaverunt.*

CAP.

CAP. VIII.

De מכשפים *sive* Magis *&* Veneficis. *Qualesnam fuerint hominos, secundum Hebræos; ipsorumque ulterior descriptio ex R. M. Maimonide. Ethnicorum quoque (Ciceronis, Senecæ Plinii, aliorumque) de hujusmodi hominibus & Imposturis judicium. Qualia ac quanta, & simul quam ridicula & absurda, Poëtæ talium Auctores Magis ac Sagis suis adscripserint: istaque occasione de Argo nave ac de Xantho Achillis equo, aliisque Poëtarum absurdissimis commentis. Quomodo Dii superi subjecti sint imperio Deorum Infernalium, hi rursus (quin etiam & ille,* quem scire nefastum*) imperio miserrimarum quandoque muliercularum. De Dis ipsis ab hominibus miserè deceptis atque irrisis. De Magarum miraculis circa Lunam, deque transformatione hominum, per ipsas, in bruta animalia. De Deorum Evocationibus, ac potestate Carminum, ex Plinio; uti & de Magiæ Origine. Denique de mediis Magicis (seu per qualia Veneficia sua peregerint;) uti ex adverso de remediis contra talia, facile quidem, ac pene ubique, parabilibus, &c.*

QUi nunc considerandi veniunt sunt isti homines, qui Hebræis מכשפים i. e. *Magi* ac *Venefici*, Græcis vero

Interpretibus Φαρμακοὶ appellantur; eo quod illi qui vulgo, tam inter Græcos quam inter Latinos, Magorum nomine veniebant inter *Veneficos* haberentur.

Vocabuli radix eſt כשף: quod verbum a Lexicographis (Munſtero, Schindero, Buxtorfio, Caſtello, aliiſque) redditur *Præſtigiari & faſcinare;* hincque מכשף *Præſtigiator* & *Faſcinator*, adeoque & אוחז העינים, qui *præſtringit* vel *tenet oculos:* atque ita confunditur cum קוסם & קוסמים, ſeu cujuſcunque demum generis *Divinatoribus*, *Magicæve artis* peritis: ſic, ut & המנחשים *Menachſchim* vel המעוננים & העוננים *Habonenim*, & *Mehonenim* & הקוסמים *Hakoſemim* (illi qui a Chaldæis appellantur רמין רטן vel חרשים) & הבעלי vel הבעלות אוב, ſicut & הידעונים *Hajideonim*, ac denique השואלים ſeu הדורשים אל המתים ſpecie quidem diverſi eſſent, at in uno tamen tertio (ut loquuntur) convenirent; quod omnes & *Fatidici* eſſent & *Præſtigiatores*.

Neque admodum credibile eſt repertos fuiſſe hujus generis nebulones, qui unica duntaxat harum præſtigiarum ſpecie uterentur: verum eos aut omnibus, aut pluribus ſaltem ſimul, ut ſic multiplici arte ac fraude deludere valerent ſimplicium nimis credulos oculos, abuſos fuiſſe.

Notatu digna ſunt illa, quæ in Deuteron. XVIII. habent tam Jonathan Ben-Uziël, quam Targum Hieroſolymitanum; quorum primus ſequenti paraphraſi utitur: לא ישתכח
בנון מעברין בנהון ובנתיהון בנורא לא קסומי קוסמין ולא חרודי
עינים ולא נטורי נחשין ולא חרשין: ומחברין ואסרין חיוין ועקרבין
וכל מיני רחשין ושאלין אובא טמיא וגרם ידוע ותבע מן מיתיא:
& verſu 14. ארום עממיא האלין דאתון עתידין למירות יתהון
לחרודי עינא ולקיסומי קסמיא צייתין: *Non invenietur inter vos transſire faciens filios ſuos, aut filias ſuas, per ignem, non Divinantes Divinationes, nec Præſtigiatores, neque Obſer-*

van-

vantes Divinationes & Auguria; qui incantent vel ligent serpentes aut scorpiones, aut omnes species reptilium, aut Interrogantes Ob per ossa (aut *Os animantis dicti*) *Jadduah, aut Quærentem a mortuis.* & versu 14. *Quoniam populi isti quos possessuri estis Præstigiis & Divinationibus auscultant.* Quibus plane gemina sunt illa, quæ habet Targum Hierosolymitanum.

Munsterus, eruditissimus ille in Hebraicis literator, כשף explicat *sciscitari rem occultam:* ac *per* מכשף (ait) *intelligi dicunt (Hebræi)* משנה הדברים לבראה עין *Præstigiatorem, & qui Magica arte sub oculis rem aliquam mutat: in qua* [pergit] *Chaldæi insignes scribuntur olim fuisse, sicut & Magi Pharaonis, qui Virgas in serpentes verterunt. Sic impius ille scriptor Nizachon dicit, Christum nostrum signa edidisse* על ידי כשוף, *per Magicam artem. Alii ajunt illum Miracula fecisse* על שם המפורש, *per cognitionem sacri Nominis Divini; quod ejus expositionem noverit.*

Atqui non mirum hoc; quum & Salvatori nostro objicere ausi fuerint, dum adhuc inter ipsos versabatur, eum per Belsebub Dæmonum Principem ejecisse Dæmonia. Quod plane falsum atque absurdum commentum ipsorum fuisse, & plane impossibile esse, Salvator noster clare ostendit, Matthæi cap. XII. & Lucæ cap. XI.

Ut autem קסם per R. D. Kimchi, in Radicibus, sumitur pro generali nomine, atque applicando ad *Omne opus, quod faciunt ejusmodi impostores ad sciendum, seu potius prædicendum futura;* sic (uti jam supra dixi, ubi de קסמים tractavi) Elias Levita destinguit inter קסם & כשוף: quod כשוף sit *ad lædendum & maleficiendum,* cum קסם sit *cogitatio de futuro.*

Quæ de hac re tradit R. Moses Maimonides, videri possunt in ipsius *Havoda Sara* jam sæpius memorata: ubi cap. XI. Sect. XVI. hoc modo loquitur: והמכשף חייב בסקילה והוא שעשה מעשה בשפים אבל האוחז את העינים והוא שיראה

שעשה והוא לא עשה לוקה מרדות: & Sect. XVII. ודברים
האלו כולן דברי שקר וכזב הן והם שהטעו בהן עבדי כו״ם הקדמונים
לגויי הארצות כדי שינהגו אחריהן ואין ראוי לישראל שהם חכמים
מחוכמים להמשך בהבלים אלו ולא להעלות על לב שיש תועלת בהן:
uti & Sect. XVIII. כל המאמין בדברים האלו וכיוצא בהן
ומחשב בלבו שהן אמת ודברי חכמה אבל התורא אסרתי אינו
אלא מן הסכלים ומחסרי הדעת ובכלל הנשים והקטנים שאין דעתן
שלמה אבל בעלי החכמה ותמימי הדעת ידעו בראיות ברורות
שכל אלו הדברי׳ שאסרה תורה אינם דברי האמת בגללן ומפני זה
אמרה תורה כשהזהירה על כל אלו ההבלים תמים תהיה עם השם
אלהיך: *Præstigiator* [vel *Magus*] *lapidatur : nempe (ille) qui reapse præstigiosa facit. At qui oculos eludit, nec ea præstat, quæ facere videtur pœna rebellium afficitur*, &c. Et Sect. XVII. *Omnia vero ista sunt fraudulenta, ac falsa: perque ea Idololatræ primi seduxerunt Gentes. Nec decet Israelitas sapientiæ eximios vana ejusmodi sectari; imò ne quidem cogitandum iis, utilitatis inde aliquid redundare*, &c. Et Sect. XVIII. *Si quis his rebus vel similibus habuerit fidem, cogitans veras esse, ac sapientiam continere, quamvis legibus Mosaicis prohibeantur; pro insano, simulque imperito haberi debet, puerisque & mulieribus accensendus, quorum ratio est imperfecta. Sapientes vero & eruditi certis indiciis sciunt, quæcunque in Lege vetita sunt non sapientiæ opera esse, sed inania & stolida: eoque imperitos illa amplecti; relicta quæ ad veritatem ducit via. Ideoque in Lege, ubi a vanis istis dehortatur, scriptum est :* [Deut. XVIII. 13.] *Perfectus eris cum Domino Deo tuo.*

Idem Rabbi Moses Maimonides, more Nevochim lib. III. c. 37. hæc sequentia habet, dignissima certè quæ huc afferantur : *Præcepta quæ secunda classis complectitur, sunt ea, quæ enarravimus in Halachoth* HAVODA SARAH; *de quibus manifestum est, illa ad homines ab Idololatria arcendos*

dos fuisse tradita, aliisque falsis & hæreticis OPINIONIBUS, *quæ Idololatriæ sunt affines; ut sunt* PRÆSTIGIATORUM, INCANTATORUM, ASTROLOGORUM *vel* MAGORUM, DIVINATORUM, PYTHONUM, *& Consulentium ipsos, aliorumque hujus farinæ hominum. Quod si perlegeris omnes illos Libros* [Zabiorum sc.] *quorum mentionem apud te feci, patebit tibi quod Astrologia vel Magia fuerit opus Zabiorum, Casdæorum & Chaldæorum: frequentior tamen inter Ægyptios & Cananæos.*

Persuadebant autem hominibus, & ipsimet credebant, quod illa arte admiranda in Rerum natura, tum in certis personis, tum in integris provinciis, faciant opera. Opera vero illa ita sunt comparata, ut neque RATIO POSSIT CAPERE, *neque* INTELLECTUS CREDERE, *qua ratione aliquid per illa queat effici! ut cum certo tempore certam aliquam herbam colligunt, vel ex re aliqua certum ac definitum capiunt numerum, vel similia faciunt; quorum magnam habent copiam. Comprehendam autem ea sub tribus speciebus.* PRIMA SPECIES *est illorum, quæ versatur circa* PLANTAS, ANIMALIA *&* METALLA. SECUNDA *consistit in circumscriptione & determinatione temporis, quo opera illa sunt facienda.* TERTIA *consistit in Gestibus & Actibus humanis, ut Saltatione, manuum Complosione, Clamore, Risu, Cubatione vel prona expansione super terram, Rei alicujus combustione, Fumi accensione; quorundam Verborum denique, sive Intelligibilium sive non Intelligibilium prolatione. Hæ sunt operum Magicorum species.*

Sunt autem quædam, quæ non nisi his universis perficiuntur. ut cum dicunt: sumatur tale folium de tali herba, idque cum Luna est in tali gradu & loco: vel sumatur de cornu talis bestiæ, vel de illius sudore, pilis aut sanguine, hæc vel illa mensura, quando sol est in medio Cœli, aut alio aliquo certo loco: vel capiatur de tali metallo, aut de pluribus Metal-

tallis; liquefiant sub tali constellatione & Lunæ constitutione, postea proferantur hæc vel illa verba: ex talibus foliis conficiatur talis fumus, idque hâc vel illâ formâ, tum hoc & illud evenit.

Deinde sunt quædam Opera Magica, quæ una tantum specie ex prædictis perfici posse arbitrantur. Atque de his dicunt, quod majori ex parte a mulieribus perficiantur; sicut productione aquarum reperimus apud ipsos, si decem Virgines se ornent, vestimenta rubra induant, saltent ita, ut una alteram impellat, idque progrediendo & retrogrediendo, digitos denique versus solem certis signis extendant, ad finem perducta ista actione aquas elici & prodere dicunt. Sic scribunt, si quatuor Mulieres in tergo jaceant & pedes suos cum complosione versus Cœlum extendant, certa verba, certos item gestus adhibeant, illas turpi hac actione grandinem decidentem avertere. Ita similes vanitates, & simila deliria multa alia passim habent, ad quæ non nisi mulierum operâ & ministerio illos uti reperimus: nullum (NB) autem Magicum opus sine siderum respectu & consideratione potest perfici. Existimant enim, QUAMVIS PLANTAM SUAM HABERE STELLAM, *quemadmodum & omnibus Animalibus & Metallis certa Sydera adscribunt. Arbitrantur etiam, opera illa esse peculiares Stellarum cultus, illasque tali actione, sermone vel fumo delectari; & ejus gratia, quidquid optant sibi, præstare.*

His itaque sic prælibatis, quæ ex Libris illorum hodie inter nos exstantibus desumpta sunt, meis quoque verbis benignas prebe aures.

Quandoquidem totius Legis scopus & cardo, circa quem versatur, consistit in hoc, ut Idololatria e medio tollatur, nomen ejus deleatur, nullique Stellæ nocendi vel juvandi inter homines virtus attribuatur, & hæc sententia necessario ad cultum illarum permovet: ideo necessariò sequitur, Omnem Magum occidendum esse: quia omnis Magus citra dubium

est

Idololatra, modo tamen peculiari & diverso ab eo, quo vulgus Idola colit. Et quia major pars illorum operum a mulieribus est perficienda, ideo dicit Lex : MECHASCHEPHA *h. e.* MAGAM, VEL PRÆSTIGIATRICEM NON SINES VIVERE. *Quia vero naturaliter homines clementiores sunt circa sexum muliebrem, nec facile illas occidunt, idcirco diserte de Idololatria quoque dicitur,* VIRUM AUT MULIEREM, *ac secunda vice repetitur : cui simile nec in Prophanatione Sabbathi, nec in ullo alio præcepto reperitur. Causa autem hujus rei, sicut dixi est, naturalis hominum erga mulieres clementia.*

Quoniam ergo magi existimant se multa posse suâ Magiâ efficere, se nænus illis suis Animalia noxia, ut Leones, serpentes & similia, e Civitatibus ejicere ; omnia damnorum genera a plantis arcere (sicut quidam inveniuntur, qui dicunt, se grandinem cohibere posse, vermes e vineis, ut non corrumpant eas interimere ; de qua re multa scripserunt in libro עבודת הנבטיה *: quidam etiam, qui efficere se posse jactitant, ne folia vel fructus ex Arboribus decidant ;) quia, inquam, ista omnia se facere posse* [NB] *arbitrantur ; ideo dixit ad illos* DEUS *in verbis Fœderis ; quod propter Idololatriam & magiam, quibus existimant se res istas noxias a se averruncare velle, eædem super ipsis sint mansuræ & commoraturæ sic enim ait* [Deut. XXVI. 22.] *Et immittam in vos bestiam Agri. Item : Dentes quoque Bestiarum immittam in eos cum veneno serpentum super Terram* [Deut. XXXII. 24.] *Item : Fructum terræ tuum & omnem laborem tuum* [Deut. XXVIII. 33.] *Item : Vineam plantabis & coles, sed vinum non bibes, neque colliges* [ibid. v. 39] *Item : Olivæ erunt tibi in Omni termino tuo, & oleo non unges te &c.* [Deut. XXVIII. 40.] *Summa ; Pronunciat Lex omnibus illis, quibus prudenter uti se existimant Idololatræ ad cultum suum stabiliendum & confirmandum, hominibusque persuadendum,*

 quod

quod prædicta nocumenta depellant, contrariaque bona promoveant; omnibus, inquam illis, ipsos utilitates exoptatas impedire, malaque super se attrahere. Sic ergo patet tibi, Lector benevole, quid specialibus illis Benedictionibus & Maledictionibus in verbis Fœderis sibi velit. Tu itaque mensuram utilitatis illarum percipe & perpende. Et ut tanto longius nos ab omni Magico opere abduceret, cavit, ut nihil secundum consuetudines & ritus illorum faciamus: ne quidem in iis, quæ ad terræ cultum spectant, & similibus: h. e. interdixit omnia ea, quæ contra speculationem naturalem specialibus & occultis viribus ac proprietatibus utilitatem afferre asserunt. Hoc enim est quod dicitur [Levit. XVIII. 3. & XX. 23.] *In statutis ipsorum non ambulabitis, neque in statutis Gentium incedetis. Hæc sunt, quæ Rabbini nostri* Vias Amoræorum *nuncupant, quæ sunt quasi rami artis Magicæ: talia videlicet, quæ non ex ratione naturali, sed ex opere Magico sequuntur; & Stellarum dispositionibus ac rationibus innituntur: unde necessario ad colendas & venerandas illas devenitur. Hinc dicunt: In quocunque est aliquid de Medicina, in eo nihil est de via Amoræorum. Quo nihil aliud volunt, quam hoc; Omne id esse licitum, in quo ratio aliqua naturalis apparet; contra reliqua omnia esse illicita.*

Ex hisce Maimonidis verbis videmus, sub *Magia* apud Judæos, æque atque apud Ethnicos, *Incantationes*, *Præstigias*, *Astrologiam Judiciariam* (a Chaldæis primo ortam) *Necyomatejam* cæterasque ejusdem commatis imposturas, comprehendi.

Nunc operæ pretium est ut videamus, quid Ethnici perspiciores ac cordatiores de *Magia* senserint ac locuti sint; ac primo quidem, quid Cicero vere eloquentiæ, ac quidem Latinæ, parens, summæque eruditionis, maximique judicii vir, de ipsa dixerit libr. I. de Natura Deorum. Ejus verba sunt

Cum

Cum Poëtarum autem errore [hoc est, uti latius declarat, Poëtarum absurdissimis fabellis de Deorum libidinibus, dissidiis, vinculis &c.] *conjungere licet portenta* MAGORUM, ÆGYPTIORUMQUE *in eodem genere dementiam: tum etiam vulgi opiniones, quæ in maxima inconstantia, veritatis ignoratione versantur.* Audiamus, quæso, & hîc Senecam; qui in Natural. quæst. lib. IV. cap. 67. ita loquitur: *Non tempero mihi, quo minus omnium nostrorum ineptias proferam. Quosdam peritos observandarum nubium affirmant, & prædicere cum grando futura sit: & hoc intelligere usu ipso potuisse, cum colorem nubium notassent, quem grando toties insequebatur. Illud incredibile, Cleonis fuisse publice præpositos* χαλαζοφύλακαι *speculatores futuræ grandinis. Hi cum signum dedissent adesse jam grandinem, quid exspectas? ut homines ad penulas decurrerent aut ad scortea? Imò præ se quisque alius agnum immolabat, alius pullum. Protinus illæ nubes aliò declinabant, cum aliquid gustassent sanguinis. Hoc rides. Accipe, quod rideas magis. Si quis nec agnum nec pullum habebat, quod sine damno fieri poterat, manus sibi afferebat. Et ne tu, avidas aut crudeles existimes nubes, digitum suum bene acuto grafio pungebat, & hoc sanguine litabat. Nec minus ab hujus agello grando se avertebat, quam ab illo, in quo majoribus hostiis exorata erat.*

Rationem hujus rei quidam quærunt. Alteri, ut homines sapientissimos decet, negant posse fieri, ut cum grandine aliquis paciscatur, & tempestates munusculis redimat, quamvis munera etiam Deos vincant [quod hîc Ironice ex Homero affert] *Alteri suspicari ipsos ajunt, esse in ipso sanguine vim quandam potentem avertendæ nubis, ac repellendæ. Sed quomodo in tam exiguo sanguine potest esse vis tanta, ut in altum penetret, & eam sentiant nubes? Quanto expeditius erat dicere, Mendacium & fabula est? At Cleonis judicia reddebant in illos, quibus delegata erat cura providendæ tempesta-*

tis : quod negligentia eorum vineæ vapulaſſent , aut ſegetes procidiſſent. Et apud nos in XII. tabulis cavetur, ne quis alienos fructus incantaſſit. Rudis adhuc antiquitas credebat & ATTRAHI IMBRES CANTIBUS ET REPELLI: *quorum nihil poſſe fieri tam palam eſt, ut hujus rei cauſſa nullius Philoſophi ſchola intranda ſit.*

Ridet talia uti videmus aperte ſapientiſſimus ille Seneca: & tamen non deſunt inter Chriſtianos magni nominis viri, qui hujuſmodi carminibus effectum adſcribunt : verum non novum nobis eſt, legere rationes ac cauſas iſtorum effectum, qui nunquam fuere in rerum natura. Seneca noſter magos hîc quidem non nominat; quod tamen facit Clemens Alexandrinus libro 6 ſtromat. ubi ita habet : Λέγουσι δ' οὖν τινες λοιμούς τε καὶ χαλάζας καὶ θυέλλας καὶ τὰ παραπλήσια, οὐκ ἀπὸ τῆς ἀταξίας τῆς ὑλικῆς μόνης, ἀλλὰ καὶ κατά τινα δαιμόνων ἢ καὶ ἀγγέλων οὐκ ἀγαθῶν ὀργὴν φιλεῖν γίνεσθαι. αὐτίκα φασὶ τοὺς ἐν Κλεωναῖς μάγους φυλάττοντας τὰ μετέωρα, τῶν χαλαζοβολήσειν μελλόντων νεφῶν, παράγειν τε ᾠδαῖς καὶ θύμασι, τῆς ὀργῆς τὴν ἀπειλήν. ἀμέλει καὶ εἴ ποτε ἀπορία ζώου καταλάβοι, τὸν σφέτερον αἱμάξαντες δάκτυλον, ἀρχοῦνται τῷ θύματι : ἤ, τε μαντικὴ Διοτίμα θυσαμένοις Ἀθηναίοις πρὸ τοῦ λοιμοῦ ι' ἔτη ἀναβολὴν ἐποιήσατο τῆς νόσου· καθάπερ καὶ τοῦ Κρητὸς Ἐπιμενίδου αἱ θυσίαι αὐτοῖς Ἀθηναίοις, τὸν Περσικὸν πόλεμον εἰς τὸν ἴσον ὑπερέθεντο χρόνον· διαφέρειν δ' οὐδὲν νομίζουσιν, ἐὰν γοῦν θεούς, εἴτε καὶ ἀγγέλους τὰς ψυχὰς ταύτας λέγοιμεν. αὐτίκα οἱ ἔμπειροι τοῦ λόγου κατὰ τὰς ἱδρύσεις ἐν πολλοῖς τῶν ἱερῶν, καὶ σχεδὸν πάσας τὰς θήκας τῶν κατοιχομένων ἐνιδρύσαντο, δαίμονας μὲν τὰς τούτων ψυχὰς καλοῦντες. θρησκεύεσθαι δὲ παρ' ἀνθρώπων διδάσκοντες, ὡς ἂν ἐξουσίαν λαβούσας διὰ καθαρότητα τοῦ βίου τῇ θείᾳ προνοίᾳ, εἰς τὴν ἀνθρώπων λειτουργίαν τὸν περίγειον περιπολεῖν τόπον. *Porro autem dicunt aliqui, peſtilentias & grandines & procellas, & quæ ſunt his ſimilia, non fieri ex ſola materiali egeſtate ordinis, ſed ſolere etiam fieri ex aliqua ira Dæmonum vel Angelorum non bonorum. Jam vero ajunt* MAGOS *qui ſunt Cleonis obſervantes ſublimia nubium quæ erant grandines eja-*

ejaculaturæ, canticis & sacrificiis iram depellere. Quod si forte eis quandoque defuerit animal suo cruentato digito sacrificant Vaticina quoque Diotima Atheniensibus, qui sacrificaverant ante pestilentiam, effecit ut morbus differretur decem annis. Sicut & Epimenidis Cretensis sacrificia ipsis Atheniensibus in tantum tempus Persicum bellum distulerunt. Existimant autem nihil referre an has animas Deos dicamus an Dæmonas. Jam vero qui sunt ipsorum Doctrinæ periti in multis templis tanquam Deorum statuas, omnes fere mortuorum loculos posuere; Dæmonas quidem vocantes eorum animas, docentes eas coli ab hominibus, ut quæ Divina providentia, propter vitæ puritatem, potestatem acceperint, ut ad hominum ministerium obirent locum qui est circa terram. Quæ Plinius, affert, libro XXX. cap. 1 & 2. jam alibi adduxi, atque apud ipsum commode legi possunt: nec opus est plura hîc Philosophorum minus superstitiosorum verba aut argumenta congerere.

Videmus ex hisce nunc adductis, æque apud Sapientiores Hebræos, quam prudentiores Ethnicos, tum Græcos, tum Latinos, pro imposturis ludibriisque, humana arte atque industria per *Magos* illos prætensos confictis aut perpetratis, haberi: iisque talia semper irrisui fuisse. Nec immerito; cum unicuique saltem modico judicio atque experientia prædito, (modo non nimium obsideatur præjudiciis anilium fabellarum a prima infantia ipsius animo impressis) id facillime patere queat, ex ipsis horum nugamentorum narratiunculis; ac potissimum quidem ex iis quæ a Poëtis, omnium fabellarum absurdissimarumque nugarum patronis, magno molimine ac permagna cum pompa, adducuntur.

Et tamen horum fabellæ, quam serio a multis, etiam Doctissimis viris, in testimonium afferuntur, ubi de magicarum Operationum virtute ac veritate quæstio est.

Longe cordatior certe hîc Cicero: qui ad hujusmodi testi-

monia ex Poëtis allata, lib. II. de Divinatione respondet: *Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quæ delectationis habeant, quantum voles: verbis, sententiis, numeris, cantibus adjuventur: auctoritatem quidem nullam debemus, nec fidem commentitiis rebus adjungere.*

Ut autem videamus quid confinxerint de hac re Poëtæ, mendaciorum delectabilium Auctores ac Patroni: audiamus ipsorum Principem Virgilium.

Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri & se condere sylvis
Mœrin, sæpe animas imis excire sepulchris;
Atque satis aliò vidi traducere messes.

At majori adhuc cum Emphasi canuntur hæc modo allatis præcedentia:

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.
Carminibus Circe Socios mutavit Vlissis.

Ac quidem, ut de re certissima, Ovid. lib. XII. Metamorphoseos:

Mater erat Mycale, quam deduxisse canendo
Sæpe reluctantis CONSTABAT *cornua Lunæ.*

Quod autem Luna tandem reluctaretur, minime mirum nobis esse debet; cum tam crebro ipsa cœlo refixa devocaretur a Magis ac Sagis, ut omnino inde delassaretur, negaretque se amplius velle istiusmodi mulierculis obedire. unde non immerito Propertius: *Et jam Luna negat toties decurrere cœlo.*

Interim vide, mi Lector, quid non Poëtica pectora cogat mentiendi sacra fames, & in omnia absurda abeundi libi-

bido! namque Tibullus lib. I. Eleg. 2. ita canit, quasi testis oculatus:

Hanc ego de cœlo ducentem sydera VIDI,
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditque solum, manesque sepulchris
Elicit, & tepido devocat ossa rogo.
Jam ciet infernas magico stridore catervas:
Jam jubet aspersas lacte referre pedem
Quum libet hæc tristi depellit nubila cœlo:
Cum libet, æstivo convocat orbe nives.
Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas:
Sola feros Hecates perdomuisse canes.

Imo & Ovidius:

Carmina sanguineæ deducunt cornua Lunæ,
Et revocant niveos SOLIS *euntis equos.*

Vide, quæso, hic ipsum Solem, si non detractum e Cœlo, saltem retractum e cursu suo, carminibus. Unde admodum miror Poëtas ipsos, istam artem (cum Sol sit Apollo seu Phœbus, Apolloque Poëtarum, ut ipsi fingunt, præses) non didicisse, a Magis vel sagis: ut sic ipsis ille Apollo propius ac præsentior dum furebant (ac sæpe furabantur) adesset.

Verum enim vero, ut hîc omnia in compendium videamur redegisse; atque eo Magis magicisque his valedicamus; ipsam Medeam (eodem Ovidio auctore) loquentem, audiamus;

Nox, ait, arcanis fidissima, quæque diurnis
Aurea cum Luna succeditis ignibus astra,
Tuque triceps Hecate, quæ cœptis conscia nostris
Adjutrixque venis, cantusque artesque Magarum,
Quæque Magas, Tellus, pollentibus instruis herbis;
Auræque & venti, montesque amnesque, Lacusque,

Di-

Dîque omnes nemorum, Dîque omnes noctis adeste:
Quorum [NB] *ope cum volui, ripis mirantibus amnes*
In fontes rediere suos: concussaque sisto;
Stantia concutio cantu freta; nubila pello;
Nubilaque induco; Ventos abigoque cogoque;
Vipereas rumpo verbis & carmine fauces;
Vivaque saxa suâ convulsaque robora terrâ,
Et sylvas moveo; jubeoque tremiscere montes;
Et mugire solum, manesque exire sepulcris.
Te quoque Luna traho, quamvis TEMESÆA *labores*
ÆRA *tuos minuant.* CURRUS *quoque carmine nostro*
Pallet AVI; *pallet nostris aurora Venenis, &c.*

Quid Poetis ac Mythologis, ipsorum filiis, circa fidem Historiarum rerumve hoc aut illo modo gestarum, tribuendum sit, patet plusquam satis ex ipsorum scopo, qui est sonorè, ac suaviter fingendo, delectare, ac movere animos suorum Auditorum Lectorumve.

Ostendit id, inter alia, Argo navis, cujus (testantibus id Poëtis ac Mythologis) carina locuta fuit voce humana, eaque Argonautis vaticinia fudit. Ita enim Apollonius Rhodius libro. . . . . .

Ἴαχεν ἀνδρομέῃ ἐνοπῇ μεσσηγὺ θεόντων
Αὐδῇ ἐν γλαφυρῇ νηὸς δόρυ, τόῤῥ᾽ ἀνὰ μέσσην
Στεῖραν Ἀθηναίη Δωδωνίδος ἥρμοσε φηγοῦ.
Τοὺς δ᾽ ὀλοὸν μεσσηγὺ δέος λάβεν εἰσαΐοντας
Φθογγῆν τε Ξηνός τε βαρὺν χόλον. οὐ γὰρ ἀλύξειν
Ἔννεπεν οὔτε πόρους δολιχῆς ἁλός, οὔτε θυέλλας
Ἀργαλέας, ὅτε μὴ Κίρκη φόνον Ἀψύρτοιο
Νηλία νίψειε. Πολυδεύκεα δ᾽ εὐχετάασθαι
Κάστορά τ᾽ ἀθανάτοισι θεοῖς ἤνωγε κελεύθους
Αὐσονίης ἔμπροσθε πορεῖν ἁλός· ᾗ ἔνι Κίρκην

Δη-

Δήουσιν Πέρσης τε καὶ Ἠελίοιο θύγατρα.
Ὣς Ἀργὼ ἰάχησεν ὑπὸ κνέφας. &c.

Si hi verſus inſervire deberent rei alicui accuratius demonſtrandæ, verſionem quoque ſatis accuratam hic adderem. nunc, quod res tanti minime ſit, reddam illa verbis J. Baptiſtæ Pii, quibus, inter alia, defectus Valerii Flacci, ex Apollonii libro tertio, ſupplere conatus eſt:

Ecce autem attonitis humana voce carina
Remigibus propere increpuit, quam bellica Pallas
Aptavit pridem ſtructam e Dodonide ſylva.
Venturos canit errores, canit & Jovis iras
Vocibus humanis ſtellati conſcia cæli:
Quin pelagi ambages memorat, ſævaſque procellas
Non manibus, nullaque dari diſſolvier arte;
Ni mortem Abſyrti Circe, cædemque piaret.
Mox jubet Oebalios pelagi immortalia fratres
Numina ſupplicibus placare infenſa querelis,
Certus in Auſonias quo curſus provehat oras,
Incidat in Circen donec pegaſæa carina
Barbarica Circen Perſa atque Hyperione natam.
Sic viſæ Minyis tabulæ reſonare loquaces.

Onomacritus vero, in Argonauticis, hoc modo canit:

Ὡς οἱ μὲν τὰ ἕκαστα πονείατο· ἐκ δ' ἄρα κοίλης
Νηὸς ἐπιβρομέουσα Τομαριὰς ἔκλαγε φηγὸς, &c.

Ne vero poſt Poëtas Mythologorum teſtimonia nobis deficere videantur, audiamus & Apollodorum; qui, in Bibliotheca ſua hoc modo fabulatur: Καὶ αὐτῶν τὰς Ἀψυρτίδας νήσους παραπλεόντων ἡ ναῦς φθέγγεται, μὴ λήξειν τὴν ὀργὴν τοῦ Διὸς, εἰ μὴ πορευθέντες εἰς τὴν Αὐσονίαν τὸν Ἀψύρτου φόνον καθαρθῶσιν ὑπὸ Κίρκης. *Ac dum ſecus Abſyrtidas inſulas navigant, Argo na-*

navis eos alloquitur his verbis : Jovis iram nunquam antea desituram esse, quam in Ausoniam profecti absyrti necis ergo a Circe fuerint expiati.

Quis igitur nunc amplius miretur Mœnalum argutumque nemus pinosque loquentes, aut quercus Dodonæas, e quarum ligno excisa, per ipsam Palladem, fuit loquax ista carina? Quisve stupeat vocem Xanthi, alterius ex Achillis equis, dominum suum Achillem alloquentis, sibique & socio apologiam parantis, simulque ipsi tristem interitum vaticinantis? Verum audiamus hîc ipsum Homerum.

Τὸν δ' ἄρ' ὑπὸ ζυγόφιν, προσέφη πόδας αἰόλος ἵππος
Ξάνθος, (ἄφαρ δ' ἤμυσε καρήατι, πᾶσα δὲ χαίτη
Ζεύγλης ἐξεριποῦσα παρὰ ζυγὸν οὖδας ἵκανεν.
Αὐδήεντα δ' ἔθηκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη)
Καὶ λίην σ' ἔτι νῦν γε σαώσομεν ὄβριμε Ἀχιλλεῦ.
Ἀλλά τοι ἦμαρ ἐγγύθεν ὀλέθριον, οὐδέ τι ἡμεῖς
Αἴτιοι, ἀλλὰ θεός τε μέγας, καὶ μόιρη κραταιή.
Οὐδὲ γὰρ ἡμετέρῃ βραδυτῆτί γε, νωχελίῃ τε,
Τρῶες ἀπ' ὤμοιιν Πατρόκλου τεύχε' ἕλοντο,
Ἀλλὰ θεῶν ὤριστος, ὃν ἠΰκομος τέκε Λητὼ,
Ἔκτανε ἐνὶ προμάχοισι, καὶ Ἕκτορι κῦδος ἔδωκε.
Νῶϊ δὲ καί κεν ἅμα πνοιῇ Ζεφύροιο θέοιμεν,
Ἥν περ ἐλαφροτάτην φάσ' ἔμμεναι, ἀλλά σοι αὐτῷ
Μόρσιμόν ἐστι, θεῷ τε καὶ ἀνέρι ἶφι δαμῆναι.

Hunc autem a jugo allocutus est pedibus celer equus
Xanthus (statim vero nutavit capite, omnisque juba
Circulo colli excidens, juxta jugum ad terram pervenit:
Vocalem autem eum fecit Dea albiulna Juno)
Et studiose te adhuc nunc saltem servabimus, fortissime
Achilles,
Sed tibi prope dies est exitialis, neque quid nos
Culpandi, at Deusque magnus & fatum præpotens.

Ne-

Neque enim nostra tarditate segnitieque
Trojani ab humeris Patrocli arma ceperunt,
Sed Deorum optimus, quem pulchricoma peperit Latona,
Interfecit inter propugnatores, & Hector gloriam dedit.
Nos sane etiam cum flatu Zephyri curreremus,
Quem levissimum dicunt esse: sed tibi ipsi
Fatale est, a Deoque & viro forti occidi.
Sic locuti Furiæ inhibuerunt vocem.

Hæc pauca admodum, ex quamplurimis, exempla nobis suffecerint. nec opus est ut de aliis Hyperbolis monstrosis, in scuto aut Achillis, aut Æneæ quoque, per Poëtas, commissis: aliquid addam quod forsan unà microscopium, illis apte perspiciendis ac considerandis minutatim tam Thetidis quam Veneris filio Vulcanus ab Inferis miserit: Verum consideremus, quæso, Herulum,

. . . . . . *Cui tres animas Feronia mater,*
Horrendum dictu, dederat: (unde &) terna arma movenda, ac
Ter letho sternendus erat.

Ac præter hunc Heroas cum Homericos, tum Virgilianos; cujus Virgilii solum duos (ne mihi denuò ad Homerum recurrendum sit) huc afferam, Turnum, scilicet, atque Æneam; quorum primus,

. . . . *Veluti montis saxum de vertice præceps*
Dum ruit avulsum vento; seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas:
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exultatque solo, sylvas armenta virosque
Involvens secum: disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros.

Alter vero, ne certe minor ullo modo videatur adversario illo

lo, quem tandem, Deorum ope, ſuperare atque occidere debebat,

. . . . . Horrendum intonat armis
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipſe coruſcis
Quum fremit ilicibus quantus, gaudetque nivali
Vertice ſe attollens Pater Apenninus ad auras.

Quum talia, mi Lector, lego, mihi (fateor) imaginari ſoleo & Herculem quendam inter Pygmæos, aut Polyphemum inter Ulyſſis ſocios verſantem; aut ſolos Heroās Poëticos pluſquam homines fuiſſe, cæteros vero mortales (exceptis ſolis Ajacibus, Hectore, Meſſapo, Mineſtheo Sergeſtoque aliiſque ejuſmodi ſemihominibus, ut ſic loquar,) homunciones, imò hominum quaſi icunculas fuiſſe tantum; adeoque ὀυδὲ ἐν λόγῳ, ὀυδὲ ἐν ἀριθμῷ fuiſſe habendos.

Vide igitur hinc quoque, quid nobis cogitandum ſit, quando *Poëtica ſurgat Tempeſtas, & ſic una Euruſque Notuſque ruant creberque procellis Africus;* ac Poëticorum vocabulorum ſeſquipedalium, ac metrorum, turbine nos percellant. Si porro credimus Poëtis talium nugarum auctoribus ac promicondis, circa ejuſmodi *Magicos cantus, Magicaſque præſtigias*, longe plus valent *Dii Inferi* quam *Dii ſuperi.* Unde & non immeritò ipſa *Juno Divum Regina*, imo & *magni Jovis ſoror & Conjux* (tanta eſt animis Cœleſtibus ira,) furore concita loquitur: *Flectere ſi nequeo Superos Acheronta movebo:* ac cogitur ſupplex blandiri Divinitati longe minori, ut voti compos fiat, tantum Numen cœleſte.

Quin contra minime ſupplex verum acerbe minitans, ac vehementer excandens Erichto, ut quæ in Superos atque Inferos æque imperium exercebat (quod nullus, credo, Priapus crepitu ventris diſturbaſſet) ita, apud Lucanum, hoc modo in ſcenam inducitur:

. . . *Mi-*

. . . . Miratur Erichto
Hac FATIS *licuisse moras. irataque morti*
Verberat immotum vivo serpente cadaver:
Perque cavas terræ, quas egit carmine rimas,
Manibus illatrat, regnique silentia rumpit.
Tisiphone, vocisque meæ secura Megæra,
Non agitis sævis Erebi per inane flagellis
Infelicem animam? jam vos ego nomine vero
Eliciam, Stygiasque canes in luce superna
Destituam: per busta sequar per funera custos
Expellam tumulis. abigam vos omnibus urnis.
Teque Deis, ad quos alio procedere vultu
Ficta soles Hecate pallenti tabida forma
Ostendam, faciemque Erebi mutare vetabo.
Eloquar immenso terræ sub pondere, quæ te
Contineant, Ennæa, dapes, quo fœdere mæstum
Regem noctis ames, quæ te contagia passam
Noluerit revocare Ceres. Tibi pessime mundi
Arbiter immittam ruptis Titana cavernis
Et subito feriere die. Paretis? an ille
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato
Non concussa tremit; qui Gorgona cernit apertam,
Verberibusque suis trepidam castigat Erinnyn;
Indespecta tenet vobis qui Tartara: cujus
Vos estis Superi; Stygias qui pejerat undas?

Has tamen aquas Stygias, nulli e Superum numero, (ne quidem ipse Jupiter Omnipotens, hominum pater atque Deorum) pejerare audent, tradentibus ita Poëtis, harum rerum satis superque scientibus; eò quod ipsi hos Deos cum Cœlestes tum Infernales sic forment, reforment, imo & quandoque transforment, ut soli atque unici, hujusmodi Deorum nugacium (pro maxima saltem parte) auctores atque videantur artifices.

Quisnam vero ille, sive *Demogorgon*, sive *Demiurgus*, sit, cujus vel nomine citato ipsa terra concutitur, non temere nobis Magi Poëtarum aperiunt. Namque apud Papinium Statium, in Necyomanteia, Teresias (libro quarto Thebaidos) hoc modo (gravatus, scilicet, eo, si Thessalicæ, aliæve, mulierculæ sibi Sacerdoti ac Vati potiorem honorem, potestatemque præripere velle videantur,) horrendis hujusmodi intonat verbis:

Jam nequeo tollerare moram. Cassusne Sacerdos
Audior? an rapido jubeat si Thessala cantu
Ibitis? & Scythicis quotiens medicata venenis
Colchis agit, trepido pallebunt Tartara motu?
Nostri cura minor? Si non attollere bustis
Corpora, nec plenas antiquis ossibus urnas
Egerere, & mixtos Cœlique Erebique sub unum
Funestare Deos libet aut exsanguia ferro
Ora sequi, aut ægras functorum carpere fibras:
Ne tenues annos, nubemque hanc frontis opacæ,
Spernite, ne moneo, ET NOBIS SÆVIRE FACULTAS
Scimus enim & quidquid dici, noscique timetis,
Et turbare Hecatem, ni te Thymbrææ vererer,
Et triplicis mundi summum, quem scire nesastum.
Illum sed taceo.

Sed Philosophi Platonici (Porphyrius saltem) non verentur indicare nomen illud horrendum horrendi istius *Dæmonis*, *Magorum Magicorumque Dei*, cui cæteri *Dii Infernales* quasi *Superi* (ac sic longe minore potestate præditi) sunt; nedum *Dii Cœlestes*, qui omnes per istum coguntur; dum interim ipse etiam cogatur *Carminibus* miserrimarum mulierecularum; quæ sic evadunt ita Omnipotentes, ut & Dîs superis & Inferis, quibuscunque tandem, imperitent: quamvis ipsarum ope-

operationes Magicæ, vel per ficulneum Priapum disturbentur. Interim nominat Porphyrius Serapin & Hecatem: ut sic divisum imperium cum Serapi Hecate habeat: uti pag. 48. ex hoc Porphyrio notavi.

Non mirum igitur Poëtas, interque illos Theocritum cecinisse.

. . . . Ἀλλὰ Σελάνα
Φάινε καλὸν, τὶν γὰρ ποταείσομαι ἅσυχα δαῖμον
Τᾷ χθονίᾳ θ' Ἑκάτῃ τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι
Ἐρχομέναν νεκύων ἀνάτ' ἦρια καὶ μέλαν αἷμα.
Χαῖρ' Ἑκάτα δασπλῆτι, καὶ ἐς τέλος ἄμμιν ὀπήδει,
Φάρμακα ταῦτ' ἔρδοισα χερείονα μήτέ τι Κίρκης
Μήτέ τι Μηδείας, μήτε ξανθᾶς Περιμήδας.

. . . . Sed Luna
Luceas belle tibi enim submissa voce canam carmina, ô Dea,
Terrestrique Hecate, quam & catuli tremunt
Dum incedit per mortuorum sepulcra & atrum sanguinem.
Salve Hecate terribilis, & ad finem usque nobis adsis,
Venena hæc efficiens inferiora neque Circes,
Neque Medeæ, neque flavæ Perimedæ.

Uti & Virgilium lib. 6. de Sibylla canit:

Voce vocans Hecatem cæloque Ereboque potentem.

At vero potentissima illa *Hecate* minas miserrimarum mulierculorum sæpius perferre debet, iisque æque ac cæteri Dii tam Superi, quam Inferi obedire atque inservire.

Serapis autem, ut ut pro *Magorum*, *Magicarumque artium* summo Magistro habeatur a Porphyrio, non tamen eo nomine venit apud cæteros, quod sciam, Gentiles; uti neque

que ipſe *Oſiris*, quocum *Serapis* unum idemque numen conſtituebat; ſecundum hæc Martiani: *Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Oſirim.* Certe pro Jove apud Ægyptiorum plurimos habebatur, teſte Tacito lib. 4. Hiſtor. [ubi de Serapide Alexandriam deportato loquitur] *Præcipitque* [Ptolemæus] *Navigaturis, ut Pythium Apollinem adeant. Illis mare ſecundum. Sors Oraculi haud ambigua. Irent, Simulacrumque Patris ſui reveherent, Sororis relinquerent.* Quibus addenda tamen hæc paulo inferius ibidem ſequentia: *Deum ipſum multi Æſculapium, quod medeatur ægris corporibus: quidam Oſirin antiquiſſimum illis gentibus numen; plerique Jovem, ut rerum omnium Potentem; plurimi Ditem patrem* [adeoque Jovem Stygium] *inſignibus, quæ in ipſo manifeſta, aut per ambages conjectant.* Quorum poſtremorum e numero videtur fuiſſe Porphyrius.

Atqui *Serapis* & *Apis* quoque pro uno eodemque numine habentur (uti & *Jupiter* & *Ammon* & *Pan* & *Pluto*, Diodoro Siculo auctore; ſicut & *Sol* Macrobio, cui omnes Divinitates ac Dii ad Solem referuntur) niſi verum ſit, *Serapin* hunc adventitium ac novum Numen Ægyptiis fuiſſe: ac ſi non tempore primi Ptolomæi introductum, ſaltem cultum ibi, ac Templa publica ipſi, aut minus aut nequaquam ante id tempus, contigiſſe in Ægypto: licet ipſi jam antea ibi Sacellum unà cum Iſidi obtigerat.

Nolo hîc addere, quæ contra Joſeph. Scaligerum celeberr. J. G. Voſſius affert: ſed potius conciliandæ horum vere eruditiſſimorum virorum diſcrepanti ſuper hac re opinioni addam illa, quæ Macrobius affert Saturnal. lib. I. cap. 7. *Cum igitur conſediſſent, Horus Avienum intuens, quem familiarius frequentare ſolitus erat, In hujus, inquit, Saturni cultu, quem Deorum principem dicitis, ritus veſter ab Ægyptiorum religioſiſſima gente diſſentit. Nam illi neque Saturnum, neque ipſum Serapim receperant in Arcana Templo*

plorum, usque ad Alexandri Macedonis occasum. Post quem tyrannide Ptolomæorum pressi hos quoque Deos in cultum recipere Alexandrinorum more, apud quos præcipue colebantur, coacti sunt. Ita tamen Imperio paruerunt; ut non omnino religionis suæ observata confunderent. Nam quia nunquam fas fuit Ægyptiis pecudibus aut sanguine, sed precibus aut ture solo placare Deos; his autem duobus advenis hostiæ erant ex more mactandæ; fana eorum extra pomœrium locaverunt: ut & illi sacrificii solemnis sibi cruore colerent, nec tamen urbana Templa morte pecudum pollueren tur. Nullum itaque Ægypti oppidum intra muros suos aut Saturni aut Serapis fanum recepit. Horum alterum vix ægreque a vobis [*Romanis*] *admissum audio: Saturnum verò vel maximo inter ceteros honore celebratis,*

Apud Romanos non semper, neque ab omnibus æque reverenter fuisse cultum hunc *Serapim* ostendunt, tum alia, tum quæ de ipsius atque Isidis Templo S. C. diruto, sic narrat Valerius Maximus: *L. Æmilius Paulus Consul, cum Senatus* ISIDIS & SERAPIS *fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet; posita prætextâ securim arripuit, Templique foribus inflixit.*

Attamen, nunc nominato Macrobio teste, sequentibus temporibus apud Ægyptios permagnâ cum veneratione cultus fuit; namque ita ille cap. XX. *Eidem Ægypto adjacens civitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur Serapin atque Isin* [quos pene semper simul conjungunt, licet Isidis nomen ut plurimum præcedat] *cultu pæne attonitæ venerationis observat. Omnem tamen illam venerationem Soli* [NB] *se sub illius nomine testatur impendere, vel dum calathum capiti ejus insigunt, vel dum simulacro signum tricipitis animantis adjungunt; quod exprimit medio eodemque maximo capite leonis effigiem. dextera parte caput canis exoritur mansueta specie blandientis; pars vero læva cervicis ra-*

rapacis lupi capite finitur; easque formas animalium draco connectit volumine suo capite redeunte ad Dei dexteram qua compescitur monstrum. Ergo leonis capite monstratur præsens tempus: quia conditio ejus inter præteritum futurumque actu præsenti valida fervensque est. Sed & præteritum tempus lupi capite signatur, quod memoria rerum transactarum rapitur & aufertur. Item canis blandientis effigies futuri temporis designat eventum; de quo nobis spes, licet incerta, blanditur. Tempora autem cui nisi proprio famularentur auctori? cujus vertex insignitur calatho & altitudinem sideris monstrat & potentiam capacitatis ostentat: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur. Accipe nunc quid de Sole vel Serapi pronuntietur Oraculo. Nam Serapis quem Ægyptii Deum Maximum prodiderunt, oratus a Nicocreonte Cypriorum rege quis Deorum haberetur, his versibus Sollicitam Religionem regis instruxit:

Εἰμὶ θεὸς τοιόσδε μαθεῖν, οἷον κ' ἐγὼ εἴπω,
Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοὶ πόδες εἰσὶ, τὰ δ' οὔατ' ἐν αἰθέρι κεῖται.
Ὄμματα τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Ex his apparet Serapis & Solis unam & individuam esse naturam. Isis juncta religione celebratur, quæ est vel terra vel natura rerum subjacens Soli. Hinc est quod continuatis uberibus corpus Deæ omne densetur, quia terræ vel rerum naturæ altu nutritur universitas.

Quis nunc amplius credat *Serapim* esse aut *Ditem patrem* aut *Demogorgona*, qui *Gorgona videt apertam*, cujusque ratione cæteri Dii inferni sint superi; ni statuamus majorem dilucidioremque solem in infimo Tartaro, aut aliquid ipsi vicarium atque æqui valens comminiscamur? de quo tamen, ne quid temere nimis statuamus, Poëtæ forsan quam serio consulendi sunt.

De

De Etymo hujus *Serapis* (vel *Serapidis*) nolo anxiè hîc inquirere; tam quod id justius sæpe famelicorum Criticorum, quibus deficit solidioris doctrinæ eruditionisque supellex & opus & labor sit, quam quod, (licet *Sarapis*, Vossio deducatur ab Hebræo שר *Princeps*, & *Apis*, aliis quasi Sorapis a σορὸς & Ἄπις, aliis denique ab *Osiris* & *Apis*, ut sic sit quasi *Osirapis*, sicut vocem *Isis* ab *Ischa*, אשה Hebræorum deducunt) periculum sit, ne ad tam ridiculas delabamur Etymologias, quam sunt illorum qui *Isenacum* Germaniæ oppidum ab *Iside* Ægyptiorum illa Dea, & *Hamburgum* a *Cham* sive *Ham* Noë filio, aut *Pontificis Maximi* apud Romanos appellationem a *Pontis infectione*, quam belle, imo potius perquam ridicule, derivant; aut *Diabolum* a δὶς & βόλος, eo quod homines duobus quasi bolis (ratione scilicet Corporis & animæ) devoret, vel devorare studeat. Sufficit igitur, puto, hâc vice, me hunc *Serapin*, sive *Sarapin* sive *Osirapin* (elige ex hisce quidquid volueris) ab Inferis revocasse, quo ipsum detruserat Porphyrius; non quidem verbis Magicis, verum Macrobii aliorumque Veterum, qui ipsi honoratiorem certe sedem ac potestatem attribuunt.

At magnas hic circa *Deos superos* movet difficultates Poëtis ac Mythologis Arnobius (lib. V.) non ex aliquo horum simili, verum ex Valerio Antiate Historico, ac quidem tali ac tanto, ut & a Tito Livio ac Macrobio adducatur, hoc modo: *In secundo Antiatis libro, ne quis forte nos existimet concinnare per calumnias crimina, talis perscripta est fabula. Numam illum Regem, cum procurandi fulminis scientiam non haberet, essetque illi cupido noscendi, Egeriæ monitu castos duodecim juvenes apud aquam celasse cum vinculis: ut cum Faunus & Martius Picus ad id locorum venissent haustum, nam illis aquandi solemne iter huc fuit, invaderent, constringerent, colligarent. Sed quo res fieri expeditius posset, Regem pocula non parvi numeri vino mulsoque complesse, circaque*

caque accessus fontis insidiosam venturis opposuisse fallaciam. Illos more de solito bibendi appetitione correptos ad hospitia nota venisse. Sed cum liquoribus odoratis offendissent fragrantia pocula, vetustioribus anteposuisse res novas, invasisse aviditer dulcedine potionis captos, hausisse plus nimio, obdormivisse, factos graves: tum bis senos incubuisse sopitis, injecisse madidatis vincla, expergitosque illos statim perdocuisse Regem, quibus ad terras modis Jupiter posset, & sacrificiis elici: & acceptâ Regem scientiâ rem in Aventino fecisse Divinam, elexisse [NB] *ad terras Jovem, ab eoque quæsisse ritum procurationis & morem. Jovem diu cunctatum expiabis, dixisse, capite fulgurita: Regem* [dolose, ut sequentia Jovis verba sic interciperet] *respondisse, capicio: Jovem rursus, humano: retulisse Regem* [quasi Jupiter de novo inciperet.] *sed capillo. Deum contra, anima: piscis* [alii legunt *Mæna*, quod magis cum Plutarchi narratiunculâ convenit, quamvis idem maneat sensus] *subjecisse Pompilium. Tunc ambiguis Jovem propositionibus captum extulisse hanc vocem: Decepisti me Numa; nam ego humanis procurari constitueram fulgurita, non capillo cæpio: quoniam me tamen tua circumvenit astutia, quem voluisti habeto morem: & his rebus quas pactus es, procurationem semper suscipies fulguritorum.*

Quæ ad hæc animadvertit Arnobius sunt elegantissima: legat igitur illa Lector, cui occasio atque otium suppetunt. Nos vero pergamus ad scopum nobis propositum. Eo, interim, procurandi munere gaudebant in posterum Haruspices (qui an hæc ab ipso Tage, an vero a Numa didicerint, exquirant ulterius ac curatius Mythologi) unde & apud Lucanum lib. I.

> . . . . . *Dispersos fulminis ignes,*
> *Colligit, & terræ mæsto cum murmure ponit.*

Ac

Ac lib. VIII.

Inclusum Tusco venerantur cespite fulmen.

ut & Sidonius carm. IX.

Nec qui fulmine Tuscus expiato,
Septum numine quærit ad bidental:

Nempe *aliquis senior qui publica fulgura condit.* Verum de hisce hic ulterius differendi locus non est.

Difficultas vero non tam in eo versatur, quod Dii minorum gentium tam facile ab hominibus [quod & de *Sileno* Vergilius nobis cantat] decipiantur; verum in eo quod hi Dii minorum gentium homines ipsos edocere, ipsisque tradere, valeant media illa, quibus cogere, imò è cœlo ad terras devocare possint, non solum cæteros Majorum gentium Deos; sed, quod plus est, ipsum quoque Jovem: de cujus summa potestate omnes, imprimis Poëtæ, tam magnifice loquuntur; ac de cujus Catena aurea e cœlo demissa tam μάλα σεμνῶς & tam Tragice, cantat Homerus. Hoc parum tamen, præ illis quæ sequuntur. Unde enim didicit *Numa* hanc artem? a *Fauno* & *Pico Martio*, semideis scilicet, qui de seipsis testantur:

Nos vappæ sumus & pusilla
Culti ruris Numina.

Et tamen hujusmodum *plebs superum*, cogebant ipsum Jovem, *qui solo nutu tremefecit Olympium:* hominesque, quod plus est, docebant, quibus modis quibusque sacrificiis, ii homines ipsum *Deum patrem atque hominum regem*, pro lubitu e cœlo coram sistere valerent, ipsique adhuc insuper illudere ac deludere.

Verum unde quoque *hi Semidei* hæc didicerunt? an ab *Hecate?* atqui illa quoque minis Magorum Magarumque subjicitur: est quin etiam illa & *Diana* & *Juno*, adeoque &

& ex cœlestium numero, qui ab inferis inviti coguntur. An a *Serapi?* atque periculum est ne ille Deus sit plane novum Numen, atque a Ptolomæo, aliisve ipsum antecedibus, in Deorum numerum intrusus (licet Porphyrius ipsum & Oraculorum & Operationum Magicarum auctorem faciat) aut si pro Sole sit habendus, adeoque & pro *Apolline*, imò & pro ipso *Jove* (eo quod, uti Macrobius lib. I. Sat. c. 23. ex Homero & aliis docet, *Jupiter* & *Sol* unus idemque sint) quis est ille *Jupiter* qui primum *Semideos*, ac per hos ipsos homines docuit, ut semetipsum, pro ipsorum lubitu, e cœlo devocare, ac quam lepide decipere possint.

Atqui *Dæmogorgon* aliquis fuerit, atque ita omnipotens, ut imperium exerceat in Deos Cœlestes; cujus nomen efferre non licebat, & *Stygias qui dejerat undas* (quod summo Jovi minime securum erat:) & hic quidem per cantus & herbas, vel alia nugamenta, talia ut homines perficerent, concessit ac docuit. Sit ita: verum unde *Galanthis* illa Ovidiana didicit quomodo Deos ab hominibus internoscere, ac minori longe negotio decipere valeret? ista enim & *Lucinæ* & *Junoni* simul imposuit. Ast audiamus hîc ipsum Ovidium qui libro Metamorphoseos IX. ita canit:

Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus
Fessa malis, tendensque ad cœlum brachia; magno
Lucinam ad nexos partus clamore vocabam.
Illa quidem venit sed præcorrupta, meumque
Quæ damnare caput Junoni vellet iniquæ.
Utque meos audit gemitus; subsedit in illa
Ante fores ara dextroque est poplite lævum
Pressa genu, digitisque inter se pectine junctis
Sustinuit partus, tacitâ quoque carmina voce
Dixit; & inceptos tenuerunt carmina partus.
Nitor & ingrato facio convicia demens

Vana

Vana Jovi, cupioque mori; moturaque duros
Verba queror silices : matres Cadmeides adsunt,
Votaque suscipiunt, exhortanturque dolentem.
Una ministrarum, mediâ de plebe, Galanthis,
Flava comas, aderat, faciendis strenua jussis
Officiis dilecta suis. ea sensit iniqua
Nescio quid Junone geri : dumque exit & intrat
Sæpe fores, Divam residentem vidit in ara,
Brachiaque in genibus digitis connexa tenentem.
Et, quæcunque es, ait, Dominæ gratare, levata est
Argolis Alcmene, potiturque puerpea voto.
Exilit junctasque manns pavefacta remisit
Diva potens uteri : vinclis levor ipsa remissis.

Mira hæc, permira certe ! *Lucina hæc tacitâ, Dea, carmina voce dixit, & inceptos tenuerunt carmina partus : Galanthis* interim, illa *media de plebe ministra*, nullo adhibito cantu, nullo carmine aut murmure, aut Magicis, Marsisve e montibus herbis, nullove alio labore, fascinum hoc dissolvit.

Dicant mihi nunc Poëtæ, Mythologi, & ipsorum circa talia patroni, unde vel a quibus edocta fuerit hæc, ut tam facile, tam ne minimo quidem labore, horum carminum vim infringere potuerit.

Erichto Lucani, (quam pari passu ambulare faciunt cum muliere ista in Endor, de qua I Sam. XXVIII. ac quæ de illa confinxit ποιητικῶς Lucanus, pro vera historia venditant, atque in argumentum Necyomantiæ Diabolicæ obtrudunt aliis) Erichto, illa dico, *Magis magicisque Deis incognita verba tentabat, carmenque novos condebat in usus ;* quod ipsi proculdubio magno labore magnoque molimine constabat : Ovidii vero *Galanthis* nullis adhibitis verbis præter ista tam vulgo solemnia, *Dominæ gratare*, &c. plane reddidit inutilia.

Ni-

Nihil hîc habeo, fateor, præter hæc ejusdem Lucani:

Quis labor hic Superis, cantus herbasque sequendi.
Spernendique timor? cujus commercia pacti
Obstrictos habuere Deos? parere necesse est,
An juvat? ignota tantum pietate merentur,
An tacitis valuere minis? Hoc juris in Omnes
Est illis Superos? an habent hæc carmina certum
Imperiosa Deum, qui mundum cogere, quicquid
Cogitur ipse, potest?

Hæc igitur, atque similia nullum qualecunque patiuntur examen; nisi forsan apud ejusmodi homines, qui fabellis quibuscunque Poëticis ut ratiociniorum fundamentis utuntur, ex iisque *Sibyllarum, Sybillæve historiam*, &c. connectunt; aut eas stabiliendo dogmati de Magis, Magicisque operationibus præternaturalibus, adeoque & Diabolicis, inservire faciunt. quod & Pater. . . . *Thomassinus*, & Elegantissimus *Dominus de Fontanelles*, aliique complures, facere conantur; dum ejusmodi argumenta demonstrandæ Magorum Magicorumque præter ac supernaturali efficaciæ adducunt.

At si in hisce fides habenda sit Poëtis Poëtarumque figmentis, cur non æque credamus Horatio, quam cæteris hujusmodi figmentorum Patronis? namque ille quoque, ne rejiciant ipsius Testimonia, de Canidia canit (Epod. V.)

Quæ sidera excantata voce Thessalâ
Lunamque cœlo deripit.

eamque sic supplex orat:

Jam jam efficaci do manus scientiæ
Supplex, & oro regna per Proserpinæ,
Per & Dianæ non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa cœlo devocare sydera.

Hic

Hic igitur tam devotis Magis Magicisque operationibus Poëta, jucunde admodum ipsius Canidiæ, simul & Saganæ, nocturana Sacra, uti & ipsorum Successus describit, sub persona Dei Priapi illa ex loco tenebricoso prospectantis:

Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, passoque capillo
Cum Sagana majore ululantem (pallor utrasque
Fecerat horrendas aspectu) scalpere terram
Unguibus, & pullam divellere mordicus agnam
Cæperunt. Cruor in fassam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.
Lanea & effigies erat, altera cerea: major
Lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat, servilibus, utque
Jam peritura modis. Hecaten vocat altera, sævam:
Altera Tisiphonem. serpentes atque videres
Infernas errare canes; Lunamque rubentem,
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum, atque in me veniant mictum atque cacatum
Julius, & fragilis Pedatia, furque Voranus.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbræ cum Sagana resonarent triste & acutum?
Utque lupi barbam variæ cum dente colubræ
Abdiderint furtim terris? & imagine cerea
Largior arserit ignis? & ut non testis inultus
Horruerim voces furiarum & facta duarum?
Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi
Diffissa nate ficus. At illæ currere in urbem.
Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno risuque jocoque videres.

Quod de Ventris crepitu hic, ridendi gratia, affert Horatius, id tamen de æris sonitu (similibusque) credebant serio stulte superstitiosi: Poëtæ saltem ita nos docent: ita enim Propertius:

Cantus & e curru Lunam deducere tentant;
Et facerent si non æra repulsa sonent.

Hinc Juvenalis Sat. 6.

. . . . *Jam nemo tubas nemo æra fatiget;*
Una laboranti poterit succurrere Lunæ.

At non quovis ære id fieri debebat, verum Corinthio aut Temesæo; de quo posteriore jam Ovidium, ubi de Medea loquitur, audivimus. Quod æs quoque *Lemuribus* abigendis inservisse nos Ovidius (lib. 5. Fastor) docet: ubi; post alia memorata, addit. *Temesæaque concrepat æra.*

Certe, qui talibus fidem habuere, ii etiam credere potuerunt C. Elpidii Commentariis; *in quibus* (Plinio lib. XVII. c. 25. referente,) *arbores locutæ quoque reperiuntur:* uti & illis, quæ idem Plinius, post nonnulla ejusdem farinæ interjecta, ibi sic addit: *Super omnia quæ unquam audita sunt, erit prodigium in nostro ævo Neronis Principis ruina factum in agro Marrucino, Vectii Marcelli, e primis Equestris ordinis, oliveto universam viam publicam transgresso, arvisque inde e contrario in locum oliveti profectis.*

Ac talia quidem, *ne*, nempe, *quis segetes excantassit* in Legibus XII. Tabularum (testantibus id Plinio, Apulejo & Augustino) quamserio vetari videntur. Qualia facili negotio facta, aut fieri potuisse, is populus, de quo Ludovicus Vives, in Commentariis ad Augustinum, de Civitate Dei loquitur: ut qui non solum credebat Magos Lunam de Cœlo posse devocare; verum & asinos illam, tantam quanta est,

est, deglutire posse, aut devorare. de qua re, ex hoc L. Vive satis lepidum exemplum, pag. 59 & 60, attuli.

Ejusmodi hominibus magistros seu pædagogos darem pueros istos Athenienses, qui teste Aristophane (ἐν νεφέλαις) abscondente se sole post nubes prætervectas, ibique parumper delitescente, clamabant, usque dum illis amotis denuò ipse appareret, Ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε. Unde & Strattis (Comicus) in Phœnissis suis, & Aristophanes (testante id Suida) in νήσοις, Comœdia ita appellata, id non illepide notant. Quorum primus apud Pollucem lib. IX. cap. 7.

Εἶθ' ἥλιος μὲν πείθεται τοῖς παιδίοις,
Ὅταν λέγωσιν ΕΞΕΧ' Ω ΦΙΛΕ ΗΛΙΕ.

Qui lusus erat puerulis, uti Pollux, & Suidas, & Eustathius notant. ex quibus dictus Pollux, verbis quæ Strattis illius versus præcedunt, ait: Ἡ δὲ ΕΞΕΧ' Ω ΦΙΛΕ ΗΛΙΕ παιδιὰ, κρότον ἔχει τῶν παίδων, σὺν τῷ ἐπιβοήματι τούτῳ, ὁπόταν νέφος ἐπιδράμῃ τὸν θεόν. Eosque homines adjungerem istis, qui homines in jumenta verti posse, retento tamen sensu & intellectu humano; ac denuo post tempus aliquod, humanam recipere formam, stolide magis quam pueriliter, credunt; aut in lupos transformari: quod de *Livoniensibus* tam seriò narrat Caspar Peucerus, ut asserere non vereatur, ea non prorsus esse fictitia & falsa, verum ex certis & exploratis indicationibus testium ἀξιοπίστων se id comperisse. Quod tamen minime is Plinio persuasisset; qui libro VIII. cap. 22. ita loquitur: *Homines in lupos verti rursumque restitui sibi, falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere omnia quæ fabulosa tot seculis comperimus. Unde tamen ista vulgo infixa sit fama, in tantum, ut in maledictis Versipelles habeat, indicabitur. Evanthes inter Auctores Græcos non spretus tradit, Arcadas scribere, ex gente Antæi cujusdam sorte familiæ lectum, ad stagnum quoddam regionis ejus duci, vestitu*-

 que

que in querco suspenso tranare, atque abire in deserta, transfigurarique in lupum, & cum cæteris ejus generis congregari per annos novem. Quo in tempore si homine se abstinuerit, reverti ad idem stagnum: & cum tranaverit, effigiem recipere ad pristinum habitum, addito IX. annorum senio. Id quoque Fabius, eandem recipere vestem. Mirum est quo procedat Græca credulitas. NULLUM TAM IMPUDENS MENDACIUM EST, UT TESTE CAREAT.

Ex hisce, ac quæ præterea in eodem capite apud hunc Plinium sequuntur, dijudicet cordatus Lector, cui fundamento superstructæ sint, primamque originem debeant, hujusmodi plusquam pueriles næniæ ac fabellæ: quæ tamen adhucdum inter plurimos eruditos (quod æque dolendum quam mirandum) pro veris Historiis retinentur; verum nunc (quasi inde magis constet de veritate talium Historiarum) Diabolis adscribuntur.

Augustinus (libro XVIII. cap. 17.) præter hanc de Arcadibus Historiolam; etiam adfert quendam *Dæmænetum: qui quum gustasset de Sacrificio quod Arcades, immolato puero Deo suo Lycæo, facere solerent, in lupum fuerit mutatus, & anno decimo, in figuram propriam restitutus ad pugillatum sese exercuerit, & Olympico vicerit certamine. Hæc ex Varrone affert.* Quæ ipse audiverat, ab ipsis talia, uti jactabant expertis, seq. cap. 18. ita narrat: *Si enim dixerimus ea non esse credenda, non desunt etiam nunc, qui ejusmodi quædam vel certissima audivisse, vel etiam expertos se esse asseverent. Nam & nos quum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium: ubi stabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caseo dare solere dicebant, quibus vellent seu possent viatoribus, unde in jumenta ilicò verterentur, & necessaria quæque portarent, postque perfuncta opera iterum ad se redirent: nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamque servari. &c.*

De

De talibus Historiolis interim subdubitare videtur (an nempe vere contigerint) hic Aur Augustinus. At Judæi hic hic minori laborant difficultate: ut qui in Gemara Babylonica narrant, *R. Jamæum ad quoddam stabulum appulisse, ibique aquam sibi dari petiisse: ac cum daretur Puls* (aquæ loco) *vidisse se mulierem vibrantem labra quid effudisse, unde statim extiterunt Scorpii. Tumque illum dixisse, vestrum liquorem hausi, vos quoque gustetis meum; ac dedisse mulieri, quam ut potasset statim in asini formam fuisse conversam. Illumque eam conscendisse atque ita equitando in forum egisse. Eique ibi occurrisse Magam, quæ, soluto vinculo Magico ostenderit publicè, ipsum inequitasse mulieri.*

Hoc tamen parum erat; nam *Zehiri* (iisdem id tradentibus) *Venit Alexandriam, emit asinum eumque potum duxit, ibi asino dissoluto, in trabe lignea sedere se vidit.* Nemque Asinus ille Alexandrinus sive Lehirinus, ex Aquæ potu, uti Lucianicus, atque hinc Apulejanus rosarum esu) in propriam, formam redibat. Verum redeamus rursus ad Plinium nostrum.

Idem igitur, Plinius lib. XXVIII. c. 2. *Vestales nostras hodie credimus nondum egressa Urbe mancipia fugitiva retinere in loco precatione,* &c. . . . . *Lucius Piso, primò Annalium, autor est, Tullum Hostilium regem ex Numæ libris, eodem quo illum, sacrificio Jovem cælo devocare conatum, quoniam parum rite quædam fecisset fulmine ictum: multi verò, magnarum rerum fata & ostenta verbis permutari.* . . . . . . *Hæc satis sint, exemplis, ut appareat, Ostentorum vires vires in nostra potestate esse: ac prout quæque accepta sint, ita valere. In Augurum certe Disciplina constat, neque Diras, neque ulla Auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes, observare se ea negaverint: quo munere Divinæ indulgentiæ majus nullum est Quid? non & legum ipsarum in Duodecim tabulis verba sunt?* QUI

FRUGES INCANTASSIT, *& alibi*, QUI MALUM CARMEN INCANTASSIT. *Verrius Flaccus autores ponit quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis Sacerdotibus* EVOCARI DEUM, CUJUS IN TUTELA ID OPPIDUM ESSET; *promittique illi eundem, aut Ampliorem locum apud Romanos, cultumve. Durat in Pontificum Disciplina id Sacrum; constatque ideo occultatum, in cujus Dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent. Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit. Huc pertinet ovorum, ut exsorbuit quisque calices cochlearumque protinus frangi, aut eosdem cochlearibus perforari. Hinc Theocriti apud Græcos, Catulli apud nos, proximeque Virgilii incantamentorum Amatoria imitatio. Figlinarum opera multi rumpi credunt tali modo: non pauci etiam Serpentes ipsos incantari; & hunc unum esse illis intellectum? contrahique Marsorum cantu, etiam in nocturna quiete. Etiam parietes incendiorum deprecationibus circumscribuntur. Neque est facile dictu,* EXTERNA VERBA ATQUE INEFFABILIA [NB] *derogent fidem validius, an Latina inopinata, & quæ ridicula videri cogit animus, semper aliquid immensum exspectans, ac dignum Deo movendo, imo vero quod Numini Imperet. Dixit Homerus profluvium sanguinis vulnerato femine Ulyxen inhibuisse* CARMINE: *Theophrastus Ischiaticos sanari. Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari, M. Varro podagris. Cæsarem Dictatorem post unum ancipitem vehiculi casum, ferunt semper, ut primo consedisset, (id quod plerosque nunc facere scimus) carmine ter repetito, securitatem itinerum aucupari solitum*, &c.

Multa hic, fateor, ex Plinio congessi: at plura id certe, præter modo adducta, hîc mererentur; & amplo quidem satis commentario: Verum ista hujus loci quamvis sint, nimis procul a via aberrare viderer: quod vereor, jam multi ita videri.

Non

Non possum tamen non & illis ex Plinio jam ante citatis addere hæc sequentia, quæ de Origine Magicarum artium nobis lib. XXX. c. 1. conscripta reliquit, hoc modo: *Sine dubio illic orta* [*Magia*] *in Perside a Zoroastre, ut inter Auctores convenit. Sed unus hic fuerit, an postea & alius non satis constat. Eudoxus qui inter Sapientiæ sectas clarissimam utilissimamque intelligi voluit, Zoroastrem hunc 6000 annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit. Sic & Aristoteles. Hermippus, qui de tota illa arte diligentissime scripsit, & vicies centum millia versuum a Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum ejus positis, explanavit, Præceptorem a quo institutum diceret, tradit Azonacen, ipsum vero quinque millibus annorum ante Trojanum Bellum fuisse. Mirum hoc inprimis, durasse memoriam artemque tam longo ævo, commentariis non intercidentibus, præterea nec claris nec continuis successoribus custoditam. Quotus enim quisque auditu saltem cognitos habet qui soli cognominantur, Apuscorum & Zaratum Medos, Babyloniumque Marmaridum, & Arabem Hippocuum, Assyrium vero Zarmocenidam, quorum nulla extant monumenta. Maxime tamen Mirum est, in Bello Trojano tantum de ea arte silentium fuisse Homero, tantumque operis ex eadem in Ulyxis erroribus; adeo ut totum opus non aliunde constet. Siquidem Protea & Syrenum cantus apud eum non aliter intelligi volunt. Circe utique & Inferorum evocatione id solum agi. Nec postea quisquam dixit, quonam modo venisset Telmessum religiosissimam urbem, quando transiisset ad Thessalas urbes, quarum cognomen diu obtinuit in nostro orbe alienæ gentis. Trojanis itaque temporibus cum Chironis medicinis contenta, esset & solo Marte fulminante, miror equidem Achillis populis famam ejus in tantum adhæsisse, ut Menander quoque literarum sutilitati sine æmulo genitus, Thessalam cognominaret fabulam complexam ambages fæminarum detrahentium Lunam. Orphea putarem e propin-*

pinquo primum attulisse, ad vicinas usque superstitiones ac Medicinæ profectum, si non expers sedes ejus tota Thrace Magices fuisset. Primus extat (ut equidem invenio) commentatus de eo Osthanes, Xerxem Regem Persarum bello, quod is Græciæ intulit, comitatus: ac velut semina artis portentosæ sparsisse obiter infecto, quacunque commeaverat, mundo. Diligentiores paulò ante hunc ponunt Zoroastrem alium Proconnesium. Quod certum est, hic maxime Osthanes ad rabiem, non tantum aviditatem modo scientiæ ejus, Græcorum populos egit.

Quamoptimè Plinius illa plane in incerto ponit; quod illa nec Latini nec Græci penetrare ulterius potuerint. Sed quæ adducta sunt ex Sacra Scriptura, ostendunt nobis clare, hæc Magica jam ante exitum Israelitatum ex Ægypto; tum apud hos Ægyptios, tum apud illas gentes, quarum terras illi ex promisso Divino occuparunt, ita in frequenti abusu fuisse, ut inde D. O. M. per Mosen talia præcepta illis dare necesse habuerit, qualia tum Exod. XXII. v. 18. tum Levit. XIX. v. 26. & 31. item XX. v. 6 & 27. tum Deut. XVIII. v. 10 & 11. tum alibi quoque, comparent. Quousque in originem Magiæ penettasse nobis, in hâc disquisitione, abunde suffecerit.

Ut tamen aliquid etiam addam de mediis sive instrumentis Magicis; notandum est tam Judæos magis circa hæc superstitiosos, & Cabalisticis nugis addictos, quam Ethnicos stulte existimasse saltem perhibuisse, *Nullum opus Magicum* sine Syderum respectu & observatione posse perfici, [uti ex Maimonide in præcedentibus attuli] ut sic stultæ atque imperitæ multitudini commodius imponerent. Hinc enim & Lapides & Herbas, quandoque & Ossa animalium, aliaque plurima commenti sunt, (sicut & post illos Poëtæ ipsorum hâc iu re, Simiæ) quæ aut non sunt in rerum natura nec esse

esse possunt; aut quæ si fuerint ab hominibus nusquam visa fuere, nunquamque possessa.

Sic enim Lucani Erichto, dum

. . . . . . Virus large lunare ministrat;
Huc quidquid fœtu genuit natura sinistro
Miscetur, non spuma canum quibus unda timori est.
Viscera non Lyncis, non dira nodus Hyænæ
Defuit, & cervi pasti serpente medulla,
Non puppim retinens Euro tendente rudentes
In Mediis Echinæus aquis, oculique draconum,
Quæque sonant fœta tepefacta sub alite saxa;
Non Arabum volucer serpens, innataque rubris
Æquoribus custos prætiosæ Vellera conchæ;
Aut viventis adhuc Lybicæ membrana cerastæ;
Aut cinis Eöâ positi Phœnicis in ara.

Sic quoque ubi Medea Senem illum Æsonem rursum juvenescere facit,

. . . Æmonia radices valle resectas
Seminaque & flores & succos incoquit atros.
Adjicit extremo lapides Oriente petitos,
Et quas Oceani refluum mare reddit arenas.
Addidit acceptas Lunæ, de nocte pruinas,
Et Stygis infames ipsis cum carnibus alas,
Inque virum soliti vultus mutare ferinos
Ambigui prosecta lupi: nec defuit illi
Squammea Cinyphii tenuis membrana chelydri,
Vivacisque jecur cervi: quibus insuper addit
Ora caputque novem cornicis secula passæ, &c.

Verum hæc ipsa non talibus contenta, contra Jasonem ipsa Cœlestia signa (præter Lunam, ut quæ illis ex officio pene semper adesse debet) in auxilium, sequentibus his verbis devocat:

Cælo petam venena jam nunc tempus est
Aliquid movere fraude vulgari altius.
Huc ille, vasti more terrentis jacens
Descendat anguis; cujus immensos duæ
Major minorque sentiunt nodos feræ;
Major Pelasgis, apta Sidoniis minor.
Pressasque tandem solvat Ophiuchus manus,
Virusque fundat. adsit ad cantus meos
Lacescere ausus gemina Python numina.
Et Hydra, & omnis redeat Herculeâ manu
Succisa serpens, cæde se reparans sua
Tu quoque relictis pervigil Colchis ades,
Sopite primum cantibus Serpens meis, &c.

Herbas quidem priores Poëtæ ex Ponto, ex Thessalia & Marsicis montibus, petunt: hinc enim illud Virgilii, *Nascuntur, plurima Ponto*, & *quæsitæ Marsis in montibus Herbæ*, tum & illa, quæ sequuntur.

Thessala quin etiam tellus herbasque nocentes
Rupibus ingenuit, sensuraque Saxa canentes
Arcanum ferale Magos. ibi plurima surgunt
Vim factura Deis. Et terris Hospita Colchis
Legit in Hæmoniis, quas non advexerat herbas.

Verum hæc Senecæ Medea; nam

Postquam evocavit omne serpentum genus
Congerit in unum frugis infaustæ mala;
Quæcunque generat invius Saxis Eryx;
Quæ fert opertus hyeme perpetua jugis
Sparsus cruore Caucasus *Promethei;*
Pharetraque pugnax Medus, *aut* Parthus *levis;*
Et queis sagittas divites Arabes *linunt;*

Aut

Aut quas sub axe frigido succos legunt
Lucis SUEVI *nobiles Hercinius.*
Quodcunque tellus vere nidifico creat, &c.

atque iterum

ÆMONIUS *illas contulit pestes Athos*;
Has PINDUS *ingens; illas* PANGEI *jugis*
Teneram cruentâ falce deposuit comam;
Has aluit altum gurgitem TIGRIS *premens*;
DANUBIUS *illas; has per arentes plagas.*
Tepidis HYDASPES *gemmifer currens aquis*,
Nomenque terris qui dedit BÆTIS *suis*
Hesperia pulsans maria languenti vado.

Mirum, interim, permirum est herbas istas tanto cum labore, ac tanta per itinera, *Magis* esse quærendas; ac ne nomina quidem eorum, nisi perpauca admodum extare. quum e contrario istæ herbæ (aliaque) quæ *maleficiis*, *veneficiis*, *fascinationibus* vel cujuscunque demum generis *Operationibus Magicis* resistunt, easque depellunt vel destruunt; *Lemures* & *Spectra*, imò & ipsos *malos Dæmones*, fugantes, notæ admodum nomine, ac facile parabiles sint: uti ex sequenti indice (minime tamen omnes comprehendente) satis clare patescit. Sunt enim inter istas *Alissum*, *Arthemisia*, *Antyrrhinum*, *Angelica*, *Aristolochia*, *Baccaris*, *Bryoniæ radix sicca*, *Verbena* (tam Europæa quam Peruviana) *Buxus*, *Centaurium*, *Corallium* (quod tamen non inter herbas nisi inter marinas, numerandum est) *Diptamnus*, *Ebenus* (lignum,) *Filix* (de qua multa mirabilia narrant,) *Garyophyllata*, *Harmala*, *Hypericum*, *Lathyris*, *Lotus* (seu *Melilotus*,) *Moly*, *Myrrha* (ex arbore lacryma,) *Oliva*, *Ophioglossum*, *Palma Christi*, *Palmularum* (seu *Dactylorum*) *lignum osseum*, *Ptarmica*, *Ruta*, *Rhamnus*, *Scilla*, *Satyrionis radix*,

dix, *Valeriana*, *Verbascum*, *Veronica*, *Urtica*, aliæque plures; propter quas, nec in *Colchin* proficiscendum, nec *Pontus*, nec *Thessalia*, sive *Hæmonia*, nec *Marsorum montes*, multo minus alia ista loca procul dissita, quæ Seneca nobis tam Tragicè indicat, adeunda sunt.

De *Hyperico* certe tanta cum emphasi loquuntur, ut dicant *ipsius combusti odore omnes fugari Dæmonas.* De cujusmodi herba *Sistron* appellata Aristoteles (vel potius additamenta illa, quæ libro Scriptoris περὶ τῶν θαυμασίων ἀκουσμάτων, seu de Auditu mirabilibus accessere,) asserit, *ut si quis illam secum teneat, neque Dæmonia, neque phantasias eum ullas timere.* Sicut idem ille Scriptor, de Lapide in Nilo reperiendo affirmat; eum scilicet, *conferre hominibus Dæmone aliquo obsessis; ac quamprimum is naribus obsessi admoveatur, statim abire ab eo Dæmonium.*

Hisce & addi possent plurima alia, ex lapidibus ex animalibus, aliisque materiis desumpta: de quibus similia affirmant & impostores, & superstitiosi ipsi nimium creduli; ut de *Asphalto*, *de Sulphure*, de *Aqua marina*, de *Jaspide*, de *Sardo*, de *Carchedonio*, de *Lyncurio*, aliisque lapidibus (Dæmonia, uti perhibent, fugantibus) de *oleo ex Gagate*, de *Ovis*, de *pennis Upupæ;* de *felle canis nigri*, ac de *sanguine ejus:* ne hisce annumerem adhuc permulta alia apud Plinium (qui plurima horum diversis in libris coacervavit) uti & alios, reperiunda.

Verum enim vero, si singulæ *herbæ*, *lapides*, *animalia*, aliaque hujus potestatis remedia, diversum ab aliis habent influxum (sive ex constellationibus, sive aliis, prætensis, caussis occultis; unde, quæso, tam diversæ, ac sibi directè contrariæ potestates, seque mutuò destruentes, in uno eodemque (ex. gr.) animali inveniuntur? Namque in eâdem fera, *Hyæna* nimirum, *nodus* (sive spinæ primus articulus in dorsi compage,) ad *Magicas præstigias perficiendas* adhibetur; *den-*

tes

tes vero & sanguis *adversus effecta Magica* valere perhibentur.

Et talia quidem sunt ista quæ Magicos cantus, & Magorum Sagarumque præstigias aut præcavere, aut infringere, aut denique in totum quoque destruere valent: namque contra ipsos Dæmonas Magorum Sagarumque prætensos Magistros valent, nedum contra ipsas Sagas, quas tamen, per deridiculum Apulejus, ut in Milesiacis (seu fabellis delectandi gratiâ confictis) *Divinipotentes nominat:* easque *cælum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, Manes sublimare, Deos infimare, sidera extinguere, & Tartarum ipsum illuminare* posse affirmat. dequarumque una (sub persona. . . . .) post ac præter alia mira, ait: *Cauponam quoque vicinum, atque ob id æmulum, deformavit in ranam: & nunc senex dolium innatans vini sui, adventores pristinos in fece submissus officiis ronchis raucus appellat. Alium de foro, quod adversus eam locutus esset in arietem deformavit: & nunc aries ille causas agit.* Hæc ac similia per lusum & jocum narrat Apulejus. At ridendum maximè. si non potius serio deplorandum, horum similia apud Delrium aliosque viros doctos (inter nos Christianos) reperiri; ex iisque argumenta pro præstigiis Dæmoniacis (prætensis,) ab iis desumi.

Quam salse interim derideat hic ipse Plinius, talia medicamina Magica, videri potest ex libri XXX. Hist. Nat. c. 2 & 3. Capite 2. is ita loquatur: *Quærat aliquis, quæ sint mentiti veteres Magi, cum adolescentibus nobis visus Apion Grammaticæ artis, prodiderit Cynocephalem herbam, quæ in Ægypto vocaretur Osyritis, divinam & contra omnia veneficia; sed si erueretur* [cogita jam hic de Baara Josephi] *statim eum qui eruisset mori. Seque evocasse umbras* [ope istius herbæ forsan] *ad percontandum Homerum, qua patria, quibusque parentibus genitus esset, non tamen ausus profiteri, quid*

sibi respondisse diceret. & Cap. III. *Peculiare vanitatis sit argumentum, quod animalium cunctorum talpas maxime mirantur, tot modis a rerum natura damnatas, cæcitate perpetuâ, tenebris etiamnum aliis defossa sepultisque similes. Nullis æque credunt extis: nullum religionis capacius judicant animal; ut si quis Cor ejus recens palpitansque devorarit, Divinationis & rerum efficiendarum eventus promittant.* ac lib. XXVI. t. 4. *ait ipsos tradidisse,* ÆTHIOPIDE *herbâ amnes ac stagna siccari conjectu, tactu clausa omnia aperiri.* ACHÆMENIDE *conjecta in aciem hostium trepidare agmina ac terga vertere.* LATACEM *dari solitam a Persarum rege legatis, ut quocunque venissent, omnium rerum copiâ abundarent, ac multa similia. Ubinam ista fuere cum Cimbri Teutonique terribili Marte ulularent, aut cum Lucullus tot reges Magorum paucis legionibus sterneret? Curve Romani Duces primam semper in bellis commeatuum habuere curam? Cur Hercule, Cæsaris miles ad Pharsaliam* [ubi *plurima crescunt vim factura Deis,* ubi & *Thessalæ mulieres aderant,* de quibus tot ac tanta nugantur Poëtæ ac Mythologi] *famem sensit, si abundantia omnis contingere poterit? Non satius fuit Æmilium Scipionem Carthaginis portas herba patefacere, quam machinis claustra per tot annos quatere? Siccentur hodie Æthiopide Pontinæ paludes, tantumque agri suburbanæ reddatur Italiæ,* &c.

Herbas tamen ac Radices inveniri per quas nonnulla perfici queant, quæ ab imperitis ac superstitiosis pro Magicis (ac supernaturalibus) habeantur, ostendit in Epistola sua Nuncupatoria, quæ præcedit ipsius Commentaria in Dioscoridem Andreas Matthiolus: ex quo hæc duo solum afferam: *Cæterum & mihi quidem radix est, a Francisco Calceolario Veronensi reperta, qua vino per noctem macerata, & epoto subinde vino, linteolo percolato, a quovis quantumcunque famelico, is quidem edere nequit, nec cibi tantillum degustare, nisi aceti cochlear*

lear absorbuerit. Ridendus profectò jocus, sed res ipsa non omnibus committenda. post quæ, paucis interjectis, addit: *Illud etiam his addi potest, quod in Circulatorum spectaculis sæpe demirantur homines, In vinum radicis cujusdam pulverem, cujus gustatu fauces convelluntur, immiscent, & cui fucum facere volunt, jubent, ut illo in vino intinctum digitum, quasi prægustandi causa sugat: tum illico digitum in vino madidum in os inditum, sibi mordicus, non sine dolore, & clamore premit invitus. Interea perinde atque blanditiis mærentem consolatur Circulator, temporum, carpique arterias, alio quopiam oblinit medicamento, deinde nummum in terram projectum hortatur, ut tollat. Ibi ille pronus, primum sese nequit attollere, mox unguinis vi amens factus, concidit, statimque ejus more, qui metuit, ne mergatur in aqua, natat, ac vociferatur simul se fluctibus obrui. Ergo cum erigit Circulator. Ille quasi ulturus injuriam, primum maleficium obliquo ac torvo intuitu exprobrare, mox hominem aggredi videtur. Postremo fugientem Circulatorem persequi, donec absterso tandem illiti medicamenti veneno, recipiat animum, ac menti restituatur. Ubi autem ad se rediit, quasi, qui evaserit a mari naufragus, capillum, vestimentaque, veluti vela torquere, exprimereque, brachia tergere, & nares emungere conspicitur. Hæc, fabulæ non sunt. Nam non desunt multorum testimonia, qui viderunt, quique imposturam suspicantes, suis & amicorum suorum famulis (ut hoc anno* [1565] *Pragæ factum est) hæc fieri jusserunt.*

CAP.

CAP. IX.

De אוב, Ob, *ſive* Ovooth, *&* בעלי אוב. *De* ידעונים, Jideonim. *De* דורשים אל חכתים *ſive illis, qui aut* Mortuos, (*ſive animas reſponſa daturas*) evocabant, *aut aliter* ipſos conſulebant. *Judæorum circa talia traditiones, vel potius nugamenta ridicula. Iſraëlitas Idololatricas Simias fuiſſe Diaboli. De voce ac ſonitu eorum, qui ut exciti de ſub terra (ut ita loquar) reſponſa dabant. De voce* פיתום Pithoom *apud Judæos uſitata. Hinc ulterius agitur de* Ovooth; *atque, iſta occaſione, latius ac curatius de muliere, ſeu* Prophetiſſa in Endor. *Quibus adduntur nonnulla, quæ Vener. D. J. De Mey & Franc. Burmannus ſuper iſta famoſa hiſtoria commentati ſunt.*

NUnc quoque perpendenda veniunt illa verba, quæ Moſes conjunctim profert (ut de rebus ejuſdem plane naturæ atque impoſturæ) Deut. XVIII. v. ושאל אוב וידעוני ודורש אל המיתים *Et interrogans Ob, & Jideoni, & quærens a Mortuis.* Quæ ab Onkelos, in Targum redduntur: ושאיל בבידין ובזכורו ותבע מן מיתיא *Et rogans per Mendaces & per Sachourou, & quærens a mortuis.* A Jonathane (ſeu potius illo, qui hîc ipſius nomine falſo venit) ita, ושאלין אובא טמיא וגרם ידוע ותבע מן מיתיא: *Et interrogantes Ob impurum, & quærentes a mortuis.* Ubi Targum Hieroſolymi-

tanum reddint hæc eadem, ושאיל אובא ומסקי זכורין ותבען מן מיתיא: *Et interrogantes Ob, & facientes adscendere Sachourim, & quærentes a Mortuis.* Septuaginta, sic dicti, Interpretes vertunt: Ἐγγαστρίμυθος, καὶ τερατοσκόπος, καὶ ἐπερωτῶν τοὺς νεκρούς. Ubi Vulgata habet: *Neque qui Pythonas consulat, nec Divinos*, (qui iidem cum τερατοσκόποις) *& quærat a mortuis veritatem.*

De triplici, igitur, illa imposturarum atque Impostorum specie; ac quatenus ab invicem distinguendi, vel simul conjungendi sint, hîc nunc est inquirendum.

Circa Paraphrases verò Chaldaicas notandum, Onkelos loco אוב habere בידין, cum ביד & ב״דא denotent *Mendax, fallax ac falsus*, a verbo ביד, sicut בדין *Mendacia, nugæ;* item *Mendaces, Harioli, fatidici, Vanidici.* Quæ sane apprime conveniunt harum præstigiarum naturæ; ut quæ in meris *Mendaciis, Fallaciis* atque *Imposturis* consistebat.

Quæ autem Onkelos (qui pene ubique satis cautus & accuratus est) reddit בדין, posterior ipso longè prætensus ille Jonathan vertit אובא טמיא *Ob impurum;* quod etiam præcedenti isti Paraphrasi non disconvenit: eo quod *Mendacia* vere sint *impura*, atque a Deo nobis vetita.

Interim אובא טמיא ibi (& alibi sæpius, apud Talmudicos, simpliciter טמיא pro *osse*) sumitur pro *Osse Mortui*; uti & בעל אוב, *Baal Ob*, qui per *Ossa* vaticinatur. Sic enim glossæ: בעל אוב של עצמות שעושה כישוף בעצמות מת *Baal, Ob seu Pytho, Ossium (est) qui excercet Magicam cum Ossibus Mortuorum.*

Qualenam fuerit istud (מעשה אוב) Opus Pythonis, docent nos Veteres Judæi: inter quos Maimonides, Havoda Sara cap. VI. §. 2. illud hoc sequenti modo describit: כיצד הוא מעשה האוב זה שהוא עומד ומקטיר קטורת ידועה ואוחז שרביט של הדס בידו ומניפו והוא מדבר בלאט בדברים ידועים אצלם עד שישמע השואל כאילו אחד מדבר עמו ומשיבו על מה

מה שהוא שואל בדברים מתחת הארץ בקול נמוך עד מאד כאילו אינו ניכר לאוזן אלא במחשבה כרגיש בו : וכן הלוקח גולגולת המת ומקסיר לה ומנחש לה עד שישמע כאילו קול יוצא מתחת שחיו שפל עד מאד ומשיבו כל אלו מעשה אוב הן העושה אחד מהן נסקל: *Cujusmodi est illud* OPUS PYTHONIS? *Est qui consistat & offerat certum suffitus genus; is manu sua Virgam vibrat Myrteam; ac concepta quædam Incantationis verba profert: mox consulit alium* QUASI *loquentem secum & interrogatis respondentem* QUASI *e terra, submissa admodum voce, quam auribus percipere non valeat, sed cogitatione tantum assequatur. Similiter est qui cranio mortui arrepto illud suffitu imbuat & incantet, donec præeuntem audiat vocem quæ exeat* QUASI *ex axillis, & respondeatur ei. Hujusmodi omnia sunt Pythonica.*

His Maimonidis verbis addamus & illa, quæ ex Talmudicis Eruditissimus Munsterus (ad 1 Sam. cap. 28.) affert, hoc modo: *Scribunt Judæi multa de Samuelis apparentia: sed non satis inter eos convenit. De* אוב Levit. XX. *nonnihil diximus, nempe quod* אוב זה המדבר בקול נכוך פרקי איבריו ומתחת שחיו *Qui* [NB] *habet Spiritum Pythonis is loquitur submissâ voce, vel ex Membris obscænis, vel ex concavitate axillarum.* [ubi notandum, quod Munsterus non indicat, איבר denotare quidem pudendum, at solum pudendum, sive membrum *virile*] *Et hæc est una species Spiritus Pythonici. Est deinde alia species, qua responsa dantur ex craniis defunctorum, aut sepulcris mortuorum: & huic annumeratur ea* [NB] *quæ & mortuos suscitare videtur. . . . Alii vero dicunt quod Pythonicus in craniis mortuorum offerat Dæmoniis thura, &* AUDIT [NB] *in memoratis fœtidis corporis locis Responsa. Porrò quando mortuus suscitari videtur ajunt duplici apparere specie. sciscitanti nempe apparet in forma ipsa, absque verborum perceptione; & sic Samuel hic ap-*

pa-

paruisse describitur. Mulier enim Pythonissa solum [uti perhibere potuit] *vidit illum, & loquentem non audivit. Saul autem loquentem audivit, sed non vidit. Et quidem omnes Rabbini hic consentiunt, Opus Pythonum* הבל ותוהו ודברי כזב ההתול *præter præstigium, vanitatem, mendacium & deceptionem aliud nihil esse. In hoc loco* [de prætensa Samuelis suscitatione] *inter se dissentiunt. Nam sunt* [NB] *qui hæc omnia mulieris putant arte confecta* [inter quos certe numerandus Maimonides] *Quæ ex certis conjecturis sic deluserit Saulem. Alii autem, ut Saadias & Ajas, putant hanc veram fuisse Visionem, non quidem mulieris arte, sed* [NB] *Dei virtute apparentem: unde & Mulier ipsa stupefacta cæpit magna clamare voce. At Kimchi* [maximæ existimationis inter suos ac merito quidem suo, Grammaticus ac Commentator] *contra horum opinionem ludens, ut mihi videtur, ita arguit: Si Deus suscitavit Samuelem, ut futurum eventum indicaret Sauli; Cur eventum illi non magis revelavit per Somnia aut per Prophetas, aut per Sacerdotum Oracula* [Urim & Thummim] *quam per Maleficam mulierem.*

Verum quod circa hujus Munsteri verba notari debet est, quod Hebraica illa אוב זה vertat, *qui habet Spiritum Pythonis*; quum simpliciter verti debeant, *Ob is est.*

Qui apud Judæos appellabantur ידעונים *Jidionei* pene perpetuò cum בעלי אוב *Baalei Ob* conjunguntur, ut plane ejusdem generis: quod etiam ex ipsorum descriptione, tam a Maimonide quam aliis facta patet. Hic Maimonides igitur, eodem cap. §. 3. de *Jideonei*, sive uti alibi eos appellat בעלי ידעוני hoc modo loquitur: ביצד מעשה הידעוני מניח עצם עוף ששמו ידוע בפיו ומקטיר ועושה מעשים אחכי׳ עד שיפול בנכפה וידבר בפיו דברים שעתידים להיות וכל אלו מיני כו״ם הן ואזהרה שלהן מניין שנ׳ אל תפנו אל האובות *Quod, est Opus Harioli* [*Jideonei*] *? Os avis cujus nomen est Jaduah in-*

inserint ori suo, & suffitum aliaque facit, donec fiat mente commotus, & loquatur quæ videntur eventura. Universa hæc sunt Idololatrici generis: atque eorum interdictum habemus, cum dicitur, Ne Vos Convertatis ad Pythones. Ubi clare videmus hæc duo (*Obooth & Jideonim*) inter se confundi, simulque jungi. quod plane ejusdem generis sint: quod & de *Interrogantibus Mortuos* ex sequentibus sat bene patebit.

Notandum quoque est istud prætensum animal *Jadua*, pro ave habitum nonnullis fuisse, nonnullis verò longe diversi generis, uti ex hisce Rabbinorum dictis, aperte liquet: ידעוני זה הוא אדם המניח עצם של היה ידוע בפיו והוא מדבר מאליו וקמק חבל גדול יוצא משורש שבארץ ששם גדלה אותה היה קען קישואין אלא שהידוע צורתו כצורת אדם ככל דבר בצורת פנים כגוף וידים ורגלים ישאר איברים ומטיבורו מחורב להבל היוצא כן השורש ואין כל בריא רשאה לקרב כמלא החבל שטורפת והורגת את חבל רועה כל סביבותיה וכשבים צוד אותה מידים בהיצים ברחוק אל ההבל עד שהוא נפסק והיא מתה מיד: *Jideoni, sive Ariolus, dicitur homo, qui ponit Os animantis cui nomen est Jadua in os suum, quod postea, a semetipso loquitur. Ajunt autem quod quasi magnus funis egrediatur ex radice terræ, quæ crescit eo in loco ubi istud animal provenit, præ se ferens quantitatem sive formam cucumerum: habetque istud animal Jadua appellatum hominis figuram ex omni parte, quod faciem, corpus, manus, pedes reliquaque membra attinet. Atque umbilico suo alligatum est ad funem prodeuntem ex radice. Neque quisquam est qui audet propius ad ipsum accedere quam funis ille extendatur; quia rapit & interficit omnia. Totum quoque illud spatium quod extensio funis illius amplectitur, circumquaque depascit. Et cum veniunt qui volunt illud venari, jaculis eminus petunt funem ejus, donec solvatur is, quo facto moritur.* Non bene

bene conveniunt, nec in una sede morantur hæc, sed multum interse discrepant: dum unus ait ipsum istud *Os* per se (i.e. proprio motu) loqui, esseque animal ex quo desumptum sit, formâ plane humana &c. alter vero asserit, id *esse Avem, cujus osse aliquo Vatis sive Harioli ori inserto, is loquitur qui id in os assumpserat.* At tales contrarietates pene perpetuo nobis in Judæorum scriptis occurrunt; atque inprimis circa hujusmodi commenta: uti ulterius, tum ex aliis tum quoque ex Descriptionis Teraphim, patebit.

Qui postremo nominantur sunt הדורשים אל המתים *Quærentes a mortuis*, vel (ut versio reddit Vulgata) *qui quærunt a mortuis veritatem*, & Interpres Græcus ἐπερωτῶντες τοὺς νεκροὺς: per quæ clarius exprimitur, quam in Consultatione *Ob* & *Ossis Jadua*, Veterum Græcorum ac Latinorum νεκυομαντεία, vel νεκρομαντεία. Verum enim vero, audiamus quid de ista Consultatione Idololatrica, atque ab Ethnicis sive *Viis Gentium* (ut loquitur S. Scriptura) nobis tradat jam sæpius memoratus Maimonides; qui Havoda Sara, cap. XI. Sect. 15. ita loquitur: אי זהו דורש אל המתים זה המרעיב את עצמו והולך ולו בבית הקברות כדי שיבא מת בחלום וידיעו מה ששאל אליו ויש אחרים שהם לובשים מלבושים ידועים ואומרים דברים ומקטירין קטורה: ידועה וישנים לבדן כדי שיבא מת פלוני ויספר עמו בחלום: *Quis est qui Mortuos consulit? Qui ubi fame se afflixit, in cœmeterium abit, atque ibi decumbit, donec in somno ei mortuus appareat & indicet quod quærebat. Tales quoque sunt qui, certo vestis genere induti, verba conficta proferunt, & ex more suffitum faciunt, hincque soli dormiunt; quo Mortuus quem expetunt accedat, ac in somniis sermonem secum habeat.*

Sic Aben Esra ait: *eos ire ad cœmeteria atque accipere inde os Mortui, &* EX IMAGINATIONE EJUS ET INSANIA [NB], *apparere illis similitudinem formarum, etiam cum*

cum jam experrecti ſunt. Ex quibus perſpicitur, quod ut Opus Pythonum (ita dictum) pluribus modis perpetrabatur; uti & Ethnicorum νεκυομαντεῖαι (unde ſuas habuere Hebræi); ita & hæc νεκυομαντείας ſpecies, diverſimode admodum exercita fuerit: niſi quod per Inſomnia fierent hæ impoſturæ.

Quam bene autem inter ſe conveniant, hæc Judæorum figmenta Idololatrica, ac Græcorum, Latinorum ac Barbarorum circa Necyomanteias, & alia ejuſdem farinæ commenta, ex ſequentibus ulterius patebit. Quare & a muliere iſta in Endor (de qua S. Scriptura, 1 Sam. 28. loquitur) incipiam; ſic melius perſpiciamus, nullo modo D. O. M. Ritus Gentium (pro magna parte ſaltem, uti pertendit ſatis abſurde eruditiſſimus Spencerus) in cultum ab Iſraëlitis ſibi adhibendum tranſtuliſſe; cum e contrario ipſos ubique pene e *Viis Gentium abducere, retrahere*, ac quam procul poſſibile ſit *amovere*, atque *amotos detinere*, ſtudeat: Neque Diabolum hîc ullo modo fuiſſe (alibive, ut ſuo loco ac tempore oſtendam) *Simiam Dei*: ſed e contrario Populum Iſraëliticum, in Idololatrica pene cuncta propenſum, potius fuiſſe *Simiam Diaboli*: ut qui, ſicut auctor fuit Ethnicis Idololatris circa *Vias Gentium*, ſic quoque ipſos Iſraëlitas ad ipſorum cultus Dæmoniacos retrahere conatus fuerit.

Verum, quæ ac qualia Deus Opt. Maximus ei circa talia permiſerit, non eſt hic diſquirendi nunc locus. Quamobrem pergam potius ad modò nominatam mulierem, ejuſque imimpoſturas, præſente ſic Rege Saulo, perpetratas.

Quod vero (ut hoc in anteceſſum dicam) attinet ad vocem אוב *Ob*, illa deſignat quandoque rem ipſam, quandoque perſonam, vel perſonas, eam perpetrantes: quod videri poteſt ex ſequentibus hîc exemplis. Namque ut dicitur וישאל ביהוה ſic quoque dicitur קסומי לי נא באוב *Divina mihi per Ob.* ut, & בעלת אוב denotat *Mulierem Divi-*

na-

natricem per Ob. Ac, cum ad personas ejusmodi simpliciter respicitur, hoc modo: הכרית את האבות ואת ידעני *Excidit Ovooth & Ideonim.* Proprie autem significat *Utrem;* uti apud Jobum, cap. XXXII. v. 19. הנה בטני כיין לא יפתח כאבות חדשים יבקע: *Ecce venter meus non aperietur ut vinum* [in utribus conclusum leniter ac commode] *verum ut* UTRES *novi* vel *Vino novo pleni* [qui vi novi vini effervescentis in ipsis, cum sonitu ac fragore, disrumpuntur, si non justo tempore aperiuntur illi, subitò] *disrumpuntur.* præcesserant namque hæc verba: *Plenus sum enim sermonibus; & coarctat me spiritus uteri mei:* ac sequuntur statim hæc: *loquar & respirabo paululum: aperiam labia mea & respondebo.* Ita ut hic subita ac vehemens vocis eruptio (ac quidem cum clamore) designatur. At æque hæc vox אוב *Ob*, apud Esaiam, *Utrem* designat, cap. XXIX. Quamvis omnes, quod sciam, Interpretes, eam ibi longe aliter explicent. Verba ipsa Hebræa sunt: ושפלת מארץ תדברי ומעפ תשח אמרתך והיה כאוב מארץ קלך ומעפר תשח אמרתך תצפצך: ubi Vulgata versio habet: *Humiliaberis: de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quasi Pythonis de terra vox tua; & de humo eloquium tuum mussitabit;* Chaldæus tamen cautius ipsam vocem, sine ulla alia interpretatione, servat, dum reddit: ויהי כאוב מארעה קליך. Græci prætensi vertunt: Καὶ ἔσαι ὡς οἱ φωνοῦντες ἐκ τῆς γῆς ἡ φωνή σου ubi Symmachus habet: Καὶ ἔσαι ὡς ἐγγαστρίμυθος· ἀπὸ τῆς γῆς ἡ φωνή σου. Aquila vero: ὡς Μάγου ἐκ τῆς γῆς. Fr. Junius: *sitque quasi Pythonis e terra vox tua.* Quæ tamen magis Tragicè adornat Vatablus, dum vertit: *Erit enim vox tua velut Pythonis* DE TERRA [LOQUENTIS] *&* [*quasi*] *de pulvere eloquium tuum garriet.* ex præjudicio nempe illo Judaico, quo putabant [NB] Magos ejusmodi, vocem humanam, arte sua, ex terra proferre; ac quidem cum *murmure surdo* ac *sibilo* prorumpentem. Castellio denique, ne plures Interpretes

tes adducam, habet: *Voce utens ſubterranea, Pythiarum ritu.* Quæ *Pythia* tamen, dum Oracula ſua conſulentibus fundebat, ita pluſquam humana voce reſonabat, ut tam ex Lucano, quam ex ipſo quoque Virgilio (ne plura congeram) videri poteſt. Apud Lucanum enim *Pythia*, dum nullo adhuc Numine poſſeſſa, Numen tamen ſimulabat,

. . . . . . Non rupta trementi
Verba ſono, nec vox antri complere capacis
Sufficiens ſpatium, nulloque horrore comarum
Excuſſæ lauri, immotaque culmina templi
Securumque nemus, veritam ſe credere Phœbo
Prodiderant.

Contra vero, cum jam (quaſi) Deo plena eſſet;

Spumea tunc primum rabies veſana per ora
Effluit. & gemitus, & anhelo clara meatu
Murmura: tunc mœſtus vaſtis ululatus in antris
Extremæque ſonant domitâ jam Virgine voces.

Sic quoque apud Virgilium, conſulto Thymbræo Apolline,

. . . . Tremere omnia viſa repertè
Liminaque, lauruſque Dei, totuſque moveri
Mons circum, & mugire adytis cortina recluſis
. . . . & vox fertur ad aures.

Sic & ad Oracula Fauni

. . . . . . Subita ex alto vox edita luco eſt

Imo, ne quoque exemplum deſit vocis ſubterraneæ, & a mortuo procedentis, Polydori

. . . . gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo, & VOX *reddita fertur ad auras;*

non

non obſcuro certe murmure: ſed cum *ejulatione* & *ululatu*.

De אוב hic porrò notandum; nihil omninò eſſe, quod nos cogat ut, hoc Eſaiæ loco, iſtam vocem reddamus aut *Pythonem*, aut *Pythiam*, aut ἐγγαστρίμυθον, aut *Magum* (ut Aquila eam reddit) aut ut aliquid hiſce ſimile comminiſcamur; cum omnes circumſtantiæ ſatis indicent, id quod dicitur, de *Utre* eſſe intelligendum. Namque uti S. Scriptura ſub perſona *Elihu* (qui ut loqueretur ardebat) locuta fuerat, per ſimilitudinem, de *Utre ſubitò vi vini (vel muſti) diſrupto*: ſic hîc loquitur, ut de *Utre*, in quo moto ac conquaſſato, liquor (præſertim ubi jam pro parte evacuatus eſt) ſonitum edit obſcurum & fluctuantem: cui *Murmur* & *Muſſitationem*, aliaſque voces humanas obſcurè ac timide prolatas, comparat. Tales autem Divinatores, cum obſcuro quodam murmure Divinationes ſuas protuliſſe, atque Incantationes ſuas peregiſſe, oſtendit & Propheta Eſaia, cap. VIII. v. 19. ubi ait: דרשו אל האבות ואל הידענים המצפצפים והמהגים *Quærite ab Ovooth & à Jideonim, qui ſtrident ac muſſitant in Incantationibus ſuis*. Quale exemplum ſupra (pag. 287.) adduxi de Baſilacio, obſcura Oracula per verba obſcura interſe diſſidentia, & perplexa, &c. reddente.

De voce פיתום *Pithoom* quoque notari velim, illam *a Poſterioribus Chriſto Judæis*, ac primum quidem a Talmudicis, ac *Talmude*, ſaltem *Mishna*, ætate ſerioribus, effictam eſſe ex voce *Pytho*, ſimulque Ἐγγαστριμύθους per illam deſignaſſe; Cum Spiritus ille commentitius, qui *Pythiam* obſidere videbatur minimum credulis, dum hæc Oracula ſua ex Tripode proferebat, ex membris ipſius pudendis loqui perhiberetur: quod minus mirum iis videbitur, qui norunt Judæos, poſt natum J. Chriſtum, pene nihil præter Dæmonas, ſeu Diabolos ſomniaſſe; tametſi ille Salvator noſter, ſuo adventu ac morte, omnem ipſorum in nos poteſtatem redegerat in nihilum.

פיתום interim ipsis est בעל אוב. Quem igitur hoc modo describunt Talmudici in Sanhedrim, Mishnæ c. VII. Sect. 7. בעל אוב זה פיאום המדבר משיחיו: *Pythomantis*, (sive *Baal Ob*) *est qui loquitur ex axillis suis.* Ab hisce interim ibi distinguuntur *Jideonim*; de quibus ajunt: וידעוני זה המדבר בפיו *Et Jideonei (est) qui loquitur ore suo.* R. Sol. tamen hic Ἐγγαςριμύθους clarius exprimit, ubi de פיתום qui sic idem cum אוב est ita loquitur: פיתום שם המכשף מעלה את המת מן הארץ ומושיב לו בשיחיו תחת זרועותיו ומדבר משיחי אי'ישלה בלעז: *Pithoom nomen est Magi, qui ascendere facit mortuum è terra, & collocat eum sub axillis suis sive inter Brachia sua, & facit (quasi) eum loqui, arte (ac voce) Barbara.*

Multa & mira nugantur de hâc νεκρομαντεία Judæi: ut ex. gr. in Baal Aruch. in זכר, [requires mortuos] *Tradiderunt Doctores nostri, unus ascendere facit per* [vide Onkelos, Deut. cap. XVIII. v. 11.] *Zachuru, & alius ascendere facit per calvariam. Quid hæc differunt?* בזכורו *non venit secundum consuetudinem suam: & non ascendit in Sabbatho: qui interrogatur per* בגלגלת *ascendit secundum consuetudinem suam, & ascendit in Sabbatho.* Et post aliquantò: *Tria dicuntur de eo qui ascendere facit* בזובו. *Qui ascendere facit videt eum, sed non audit: Qui indiget eo, audit eum sed non videt eum. Sic in Samuele. Mulier qui ascendere fecit eum, vidit eum & non audivit eum: Saul, qui egebat eo, audivit vocem ejus, sed non vidit eum: Abner* [NB] *& Amasa, qui non indigebant eo, neque audiverunt, neque viderunt eum.*

Quod postremum de *Abnere* atque *Amasa* dictum, quammaxime notandum est.

Unde autem, aut quomodo, cognoverit *mulier* illa in Endor, illum esse *Saulum*, ut explicent hi Rabbinistæ Judæi, respondent; quod Samuel vocatus per *Pythonem* ascenderit capite sursum erecto; cum cæteri pedibus sursum porrectis ascendere consueverint: unde mulier dignitatem Regiam a-

gno-

gnoſcere potuit : Regum nempe ac principum ſeu corpora ſeu umbræ, in eo differebant ab hominibus minoris notæ.

Verum adhuc magis ridicula, imò pudenda vere, confingunt. Namque cum זכרות (apud Hebræos ac Chaldæos) ſit membrum virile, dicunt : בעל אוב אחד המעלה בזכרו ואחד המעלה בגלגולת מה בין זה לזה: *Ob qui adſcendere facit* [mortuum] *per virilitatem ſuam, & qui adſcendere facit per cranium, quænam eſt inter hunc & illum differentia?* Ubi R. Sal. מעלה ומשיב את המת על זכרותו *Educit (ex ſepulcro) & collocat mortuum ſuper virile ſuum.*

Non ſolum ita fuit iſta Ἐγγαστρίμυθος (dum reſpondebat ſcilicet) verum & *Maga* ex illorum numero, qui ſe mortuos ex ſepulcris excire, atque in lucem reducere prætendunt. Quæ artes uti ſemper pene interſe connectuntur, atque omnes iſtius commatis homines cuncta talia ſeſe præſtare poſſe jactant; ita quoque hanc mulierem (imò & omnes *Baalim Obooth*) talibus promiſſis lactaſſe ſuperſtitioſos nimium homines, mihi procul omni dubio eſt.

Diſquiri quoque poſſet, ex quonam animali os iſtud *Jaduah* deſumptum fuerit. Namque *Rambam*, ſive R. M. *Maimonides*, iſtud *Avem* fuiſſe putat (quam quoque ex Chriſtianis eruditi quidam exiſtimant illam fuiſſe, quæ ἴυγξ apud Græcos appellatur, ac pro *Motacilla* Latinorum habetur) alii ridiculum ad iſtud opus, animal confingunt [cui nonnulli Chriſtiani illud κατοβλέπας Æliani ridiculè ſatis comparant] quale iſtud jam ſuperius deſcriptum vidimus : atque e cujus progenie certe eſſent, (modo inter animalia numerari poſſent) tum Radix *Baara* Flavii Joſephi, tum *Aglaophotis*, ſeu *Cynoſpaſtus* Æliani : niſi quod *Baara* expellat *Dæmonia*, & *Cynoſpaſtus* ad *Lunaticos* curandos, atque *oculorum lippitudines*, (præter alia quæ Ælianus non nominat) valere perhibeatur. Quæ quam bene inter ſe quadrent, minimè video; quod *Regnum interſe diviſum*, (teſtante id ipſo Salvatore

 no-

noſtro) plane *non conſiſtere queat.* Diabolus nempe ſic docet nequam homines [nam talia vulgò , ne quidem examinata hiſtoriæ veritate , Diabolo adſcribuntur] ut per Diabolum expellant Diabolum, vel ipſius opera, quamvis in proprium ipſius damnum , abutantur. At ſecundum Judæos Diabolus quandoque decipit homines , (quod Saræ fecit, in Pirke Eliezer , & David , in Gemara , titulo Sanhedrim) & ipſe a Judæis decipitur, modis admodum ridendis, in die Kippurim.

Quis hîc quæſo mi Lector, non exclamet, *Qualiacumque volunt Judæi ſomnia vendunt !* At hac etiam occaſione non poſſum non memorare, ejuſmodi commentum quoque me legiſſe de herba quadam quæ Katasby vocatur, in Itinerario *Vincentii Blanci* (Gallice *Vincent le Blanc* ;) quod tamen ex Bibliotheca celeberrimi inter Eruditos Peireſcii prodiit, ex iſtis Joſephi & Æliani plane confictum.

Erat interim iſta mulier in Endor non tantum בעלת אוב verum & בעלת כשפים *Domina præſtigiarum*, vel ut aliter hoc dicamus, *Maga ac præſtigiatrix* (quo nomine ejuſmodi ſagæ , Nahum. c. B. v. 4. denotantur) Quamvis nullis uteretur mediis præter aut ſupernaturalibus.

Quod ut clarius eluceſcat, examinemus totam hanc Hiſtoriam : in qua hæc ſequentia, meo judicio, ſunt obſervanda.

Quod primum eſt, Rex Saul, etiamſi jam antea exegerat edicto ex Iſraele Magos Hariolos cæteroſque hujuſmodi farinæ homines, tamen in iſta erat opinione (quæ proculdubio ex illa vehementi conſternatione, ac deſperatione rerum ſuarum, permultum adaugebatur) animas demortuorum per Incantatores ſeu Magos Necromanticos poſſe evocari. Quod cum ſat bene perciperet iſta mulier, hinc optimam nacta eſt occaſionem fallendi : eo quod nemo facilius decipiatur , quam qui, ex ſuarum rerum deſperatione (quæ ex feſtinato adventu, ex vultu , ex trepidatione ex interrogandi denique

mo

modo, aliisque hic facillime notari poterat) simul & superstitione, eo adactus, *Præstigiatores* ejusmodi commatis consulit. II. Noverat illa satis bene *Regem*, propter eximiam staturam ac formam corporis, quæ ipsi tam non vulgaris fuit, ut *Ab humero suo & supra procerior fuerit omni populo.* (quod qui ipsi non viderant, ad minimum audiverant ex aliis) *Nemo enim proceritate ipsi ullo modo par erat in toto Israële.* Addas quoque *Regem Saulum* non procul ab *Eudor* habitasse; castra saltem in Giboa posita, non procul hinc fuisse collocata. Hoc exinde patet quod circiter spatium unius noctis tantum consumpserit eundo, consulendo, ac redeundo ab ista muliere. Neque plus temporis commode insumere potuit, ac diutius abesse ab exercitu suo; ne is tum ex Regis Manifesta consternatione, tum ex ipsius absentia (de qua veras causas conjectare non poterat, atque interim Philistæos tot tantisque excercitibus ipsis incumbere, continuoque minitari videbant, numero certe atque animo longe superiores) ne, dico, hinc Hebræi de rerum exitu desperantes consilium aufugiendi vel absque illo fugam capescerent: præsertim post solemnes istas consultationes Regis; in quibus nec per Prophetas, nec per *Insomnia*, nec *Urim* ac *Thumim* responsa Divina obtinere potuerat: unde & suspicari poterant, eum ipsos dereliquisse, eo quod ipsum Deus O. M. dereliquerat.

Addas porro, mi Lector, eo tempore *Reges*, (saltem hunc Saulum) valde familiariter cum subditis versatos, seseque quotidie conspiciendos populo præbuisse. Imo legimus 1 Sam. cap. XI. Saulum, jam Regem omni præsente populo Israëlitico factum, adhuc inter pecora versasse; eorumque curam ne eo quidem abjecisse. Ita enim S. Scriptura: *Et ecce Saul veniebat ex agro post pecus* [vel *sequens Boves*] *& ait Saul, quid est populo quod sic flent?* &c.

Postremo addas, illum & ex eo, quod *Samuelem* voluerit evocari, facile agnosci potuisse a muliere: aut saltem id

multum adjumenti ejus agnitioni attulisse. Namque tam ex hoc postulato, quam ex juramento, ipsi præcedente, quæ non ab hominibus e fece vulgi (neque aliter quam ex causa gravissima) procedere poterat (præcipue hisce additis quæ jam modo sunt memorata, ex quibus solis illa in suspicionem devenisset) facillime comprehendere potuit, hic majus aliquid latere; atque ita concludere, hunc consulentem *ipsum esse Regem.*

Ast, quod 3. notandum, cuncta hæc illa *præstigiatrix* alte dissimulabat, donec videret, uti prætendebat, exsurgentem *Samuelem:* unde quasi consternata metu exclamabat *Tu es Saul.* Quasi hoc ab ipso *Samuele*, aut aliter, supernaturali modo patefactum subito fuisset. Longe aliam istius agnitionis causam, ac pene ridiculam, Judæi magis superstitiosi commenti sunt; sed illa jam superius allata fuit. Sic fingunt quoque hanc mulierem [vide Pirke Eliefer aliosque] fuisse *Uxorem Tzephaniæ Matrem Abner* (qui *Abner*, ac cum ipso *Amasa*, Saulum huc, secundum ipsos, comitati sunt) eamque simul cum ipso *Samuele*, excitasse multos illi similes justos, interque eos ipsum Mosem; eo quod mulier respondisset: video אלהים *Deos* ascendentes: imò ex ista simul justorum evocatione, eos ipsos justos existimasse, jam resurrectionem advenisse mortuorum; ac mulierem hac visione valdè fuisse perterritam: cui terrori occurrendo *Rex Saulus* ipsi dixisset: *Ne timeto.* Pictores autem nostri huic *Samueli* malorum Dæmonum comitatum adjungunt.

Verum (ut hujusmodi nugas omittamus) cum *Saulus* ipsam interrogaret quid videret, respondebat illa, se videre ascendentes e terra אלהים *Elohim.* Quod Kimchi exponit אדם גדול *hominem magnum recta ascendentem statura.* exponi quoque potest *hominem Magnum* ratione generis, officii Auctoritatis, &c. Nam sic etiam præter Kimchium, & alios vertit accuratissima illa versio Belgica, quæ ex Auctoritate Poten-

rentissimor: Ordinum Generalium adornata atque ubique hîc in usu publico est ac privato, *Een aansienlijk statelijk persoon* uti quoque videmus eam vocem applicari *Magistratibus* ac *Judicibus* populi Israëlitici, tam Exodi cap. XX. 6. cap. XXII. v. 8, 9, 28. *judicabunt* ELOHIM. quam ubi sumitur pro Judicibus; quorum Judicum caput, post Eli Judicem, Elique filios, *Samuel* ipse diu admodum fuerat, suosque filios secum Judices Israëli constituerat.

Denotari autem hîc personam singularem (non plures) patet manifestissime tum ex Sauli interrogatione, *Qualis forma ejus?* tum ex mulieris responso, de *Sene pallio amicto*, &c.

Ex quibus hujus mulieris responsis æque patet, ipsum *Saulum* hunc prætensum aut personatum *Samuelem* non vidisse. Quapropter & doctissimi Interpretes Bibliorum Belgicorum modo nominatorum, ad verba hæc *Et intellexit Saul quod Samuel esset*, perdocte in margine notant: *Naar het oordeel syner verwarde sinnen, en uit de woorden der Toveresse; want hy selve heeft dien Samuel niet gesien.*

Hinc perquam commode effingere potuit personam, sive formam atque habitum, seu vestitum, Samuelis; quæ cunctis Israëlitis satis cognita erant, eo quod per tot annos Judiciis Israëlitarum præfuisset.

Porro ex verbis *Sauli* ad personatum istum Samuelem factis, commodissime quoque adornare potuit, responsa istius Samuelis. Namque ipse Rex *Saulus* illa huic mulieri, illique qui hic *Samuelem* repræsentare voluit (si non ipsa mulier, more descriptarum a me superius *Engastrimytharum*, responsa dedit) aptissime suggerebat.

Ita enim Rex Saulus, ex animi consternatione, summâque suarum rerum desperatione, jam non amplius animi, nedum simulationis, potens, personato isti Samueli dicebat: *Valde sum Anxius: nam Philisthæi pugnant* CONTRA

TRA ME, *& Deus recessit* A ME, *nec ultra* RESPONDIT MIHI, *neque per manus Prophetarum, neque per somnia: & evocavi te ut ostendas mihi quid facturus sim.*

Certe nulla circuitione usus detegebat semetipsum, miserrimumque rerum suarum statum; ac quidem tali modo, ut id de nemine [NB] quam de *Israelitarum Rege* intelligi posset: Istique prætenso *Samueli* sic suppeditabant incogitanter quo ille ipsum decipere, atque in majores anxietates conjicere, valebat illa Pythonissa. Namque respondet I°. ex ingenua *Sauli* confessione ille Samuel: *Quid interrogas me, cum Dominus a te recesserit factusque sit hostis tuus?* Nulla certè hîc arguta (multo minus Diabolicâ) conjectura opus erat; cum ipse Saulus id exserte testaretur.

II. Respondebat: *Et Dominus quidem fecit, quemadmodum locutus est in manu meâ: & scidit Dominus Regnum tuum de manu tua, deditque illud proximo tuo Davidi. Quemadmodum enim non obedivisti voci Domini nec perfecisti iram furoris ejus in Amelek; idcirco fecit Dominus rem istam.*

Nihil quoque aut *Divinum*, aut *Diabolicum*, latet in hoc Responso; eo quod hæc cunctis pene Israëlitis notissima erant. Cui enim ignota esse poterant illa quæ [1 Sam. cap. XV. descripta] inter Saulum Samuelemque contigerant; contestatio sc. inter hos duos, cædes *Agagi* ipsius *Samuelis* manibus publicè peracta, & minæ ex nomine Domini Saulo factæ, v. 28. *Scidit Dominus Regnum Israëlis a te hodie & tradidit illud proximo tuo* [NB], *meliori te.*

Quis vero ille *Proximus* esset, etiam nemini poterat esse ignotum; ut inec esse poterant illa, quæ post Unctionem *Davidis* in Regem Israëlis ex odio ac Zelotypia *Sauli* super Regno acciderant: neque Abjatharis Sacerdotis, cum ipso Ephod, transfugium ad *Davidem*; imo nec ipsa Regis Sauli verba publice, ac præsentibus tum ipsius Sauli, tum Davidis militibus [cap. XXIV. v. 25.] quod adhuc manifestius patet ex cap. XXVI.

XXVI. v. 25.] a Saulo prolata: *Equidem scio quod certissime regnaturus sis: quodque firmum futurum sit Regnum Israëlis in manu tuâ. Jura igitur mihi per Dominum, quod non excides semen meum post me, neque delebis &c. Juravit itaque David Saulo; & abiit Saulus in domum suam: sed & David atque milites ejus adscenderunt in arcem.* Post quæ tamen ipsum Davidem ita persecutus fuerat, ut necesse haberet confugere ad *Achis* Regem Philisthæorum. Præter hæc, tum Regis *Sauli*, tum *Philisthæorum* castra non procul ab Endor posita erant (quod ostendit breve illud spatium unius noctis, quo *Saulus* ad mulierem adventabat iterumque revertebatur;) sic ut inde, procul dubio, ibi jam notum esset (præter ipsa Sauli verba) Philisthæos & numero & viribus longe prævalere.

Ipse *David* quoque (uti modo dictum) jam refugium vitæ suæ ac suorum apud *Achis* quæsiverat. Qui, ut nunc a Saulo & Vindex injuriarum & vindex ipsius Regni exspectabatur; sic sine dubio quoque plurimorum Israëlitarum oculi in ipsum conversi erant: credebantque illi, nunc adesse tempus quo post tam longas ac sævas persecutiones (si non ope & armis Philisthæorum), saltem hâc tam opportuna occasione, Regnum occupare tentaret, Regique *Saulo* nunc rependeret ea, quæ tam diu atque injuste perpessus fuerat.

Ex eo quoque, quod Deus Regi Saulo neque *per Prophetas*, neque *per somnia*, neque aliter, respondere amplius voluerat; cum tamen per *Urim* id *Davidi* fecisset, & diu antea, & eo etiam tempore, quo jam Saulus in hisce summis angustiis versaretur; (vide 1 Sam. XXX. v. 7, 8.) non poterat non esse quam maxima consternatio in exercitu Regis *Sauli:* qui inde, cum jam ad manus esset perventum, longe citius ac facilius vacillare ac labascere, adeoque & in fugam se dare, deberet, Regemque suum nunc plane desperantem, relin-

 que-

quere; uti ab ipſo Deo jam plane deſertum. Quin imo & fama iſtus conſternationis non poterat non brevi pervolitare late loca circumvicina, adeoque & penetrare ſaltem uſque ad *Endor*, ubi mulier iſta habitabat *Fatidica*: quod genus præſtigiatorum atque impoſtorum in talibus caſibus frequentius viſitatur; atque inde ſuos emiſſarios quocunque emittere ſolet.

Hinc igitur etiam iſta mulier optimam nacta fuit occaſionem bene conjectandi (quod tamen non ſat feliciter fecit uti ex ſequentibus patebit) Sauloque Regi futura prædicendi.

Illa autem quæ Saulo prædicebat ſunt hæc: *Tradetque Dominus Iſraëlem tecum in manum Philiſthæorum: &* CRAS *tu* ET FILII TUI *mecum eritis: Sed &* CASTRA *Iſraëlitica tradet Dominus in manus Philiſthæorum.* De caſtris loquitur perſonatus hic *Samuel*, quod melius conjectare potuit ex rerum circumſtantiis, quam quæ alia quoque ipſis ſubſecuta fuere. Namque longe minus hîc prædixit quam quidem contigit: neque enim ſolus exercitus Iſraëlis cæſus ac fugatus fuit, captaque fuere caſtra; verum etiam *filii Iſraël, qui erant trans Vallem & trans Jordanem, videntes quod fugiſſent viri Iſraëlitæ, & quod mortuus eſſet Saul &* [NB] *tres filii ejus, reliquerunt Civitates ſuas & fugerunt; veneruntque Philiſthæi & habitaverunt ibi.* Quæ minime ab hâc muliere prædicuntur. Nam ſi hæc verba; *Tradetque Dominus Iſraëlem tecum in manum Philiſthæorum*, de toto Iſraële intelligenda ſunt, mendax plane ipſius eſt Vaticinium; ſin vero de ſolo exercitu, etiam ſimul cum caſtris captis, multo minus quam prædixerat contigit.

Sic quoque II°. Ambiguum ac falſum eſt, quod de *filiis Sauli* cum ipſo morituris ſic indiſtincte prædixit. Præter *Jonathan* enim *Abinadab* & *Melchiſuam*, qui in pugnâ perierunt, ſuperſtites manſerunt (ſive illi etiam in pugna præſentes

tes

tes aderant; five non) *Mephibofeth* (non ille *Jonathanis*, verum ipfius *Sauli* ex Rifpa filius) ipfius germanus *Armoni*, illifque major natu *Isbofeth*; qui Regnum Ifraëliticum poft Sauli mortem, per Abnerem, adeptus regnavit dum *David* in Hebron foli Judæ tribui imperaret. Unde conftat, & hic eam infelici fatis conjectura ufam iterum falfa ac mendacia prædixiffe.

III°. quoque aberrat quam maxime circa diem, quo Saulus juxta ipfius vaticinia, exfpectare debebat fui fuorumque interitum. Exprimit enim iftum diem per *Machaar* מחר (& uti Græcus Interpres id reddit αὔριον) quod pene femper ftricte craftinum diem denotat; quamvis nonnunquam quoque pro tempore minime definito, verum diu admodum poft futuro, fumatur. Quo fi ludere voluit, nihil certi, verum effugium quærendo, ex conjectura id dixit: fi vero Diem craftinum, ftricte fumptum, intellexit, fplendide fane mentita fuit.

Quæ ad capud iftud 28. primi libri Samuelis habet Eruditus æque ac venerandus D. J. de Mey; in Phyfiologiæ fuæ Sacræ parte fecunda cap. 3. mihi perdigna videntur, ut hic annectantur: quæ vero ibi habet funt hæc fequentia: *Non fuiffe Samuelem probatur, qui fi Samuel fuit, aut totus cum corpore & anima acceffit, aut cum folo corpore; vel folam ejus animam apparuiffe fingendum erit: fi totus fuit Samuel & animâ & corpore, opportet eum a mortuis refurrexiffe. Id autem cum fit maximum miraculum, non poteft aut Magæ tribui, aut Diabolo. Jam ante enim oftendimus Magos arte Dæmonum Miracula facere non poffe. Quumque Miracula Divinæ veritatis ac potentiæ debeant effe teftimonia, verifimile non eft, Deum tantum voluiffe Miraculum Diabolo permittere, in teftimonium ac confirmationem mendaciorum, & Magicæ nequitiæ. Inania quoque commenta, ac phantafmata falfa effe exiftimamus, quod Simoniani dicunt, fe poffe fuis car-*

carminibus revocare mortuos. In Lybia Nasamones, ad busta suorum parentum, & in Europa Celtas ad sepulcra fortium virorum excubantes ex illis mortuis accipere Oracula. Animas omnes, etiam priorum (Justinus Martyr contra Tryphonem ait) ante Christum fuisse aliquomodo sub potestate Diaboli, ut eas potuerit reducere cum vellet. Nullam nos Diaboli potestatem agnoscimus in piorum defunctorum animas, quas illi ad monitum Petri 1. Epist. cap. IV. v. 19. *Deo tantum fideli conditori commendant bene agendo: & teste Salomone;* Eccles. XII. 9. *Redeunte ipso pulvere (i. e. corpore nostro) in terram quemadmodum fuerat, Spiritus ad Deum redit, qui illum dederat. Unde probabilior eorum est sententia; qui credunt aut merum fuisse phantasma ex credulitate, & turbulentis ac meticulosis mentis motibus in Saule axcitatum; aut Diaboli vel Sagæ imposturam, qua extrinsecus simile quid Staturæ Samuelis oculis objecerit. Nec mirum est si exteriores hominum oculos perstringat, cum antea occuparit oculos mentis: adeoque etiam hoc loco Diabolum illusisse & mulieri & Sauli; & illius oculis, hujusque auribus imposuisse, non pauci affirmant. Quin* [NB] *& dici potest, mulierem Magam falso affirmasse se vidisse Samuelem; ac deceptum Saulem opinatum fuisse, se Samuelis vocem audivisse, quum vel ipsius mulieris, vel aliam artificiosè & fraudulenter subornatam audierit: historiam verò rem narrare non ut verè gesta est, sed secundum Sagæ affirmationem, & Saulis opinionem.*

Huic addamo Burmanna quæ in 1 Sam. c. XXVIII. quamvis Belgica nostra lingua conscripta sint, hoc modo: *Dewijle nu de H. Geest van dit gehele werk alhier niet oordeeld, maar alleen verhaald wat uitwendig geschied is, of eer scheen te geschieden; so soude men,* I. *dit bedrijf naawer insiende, billijk konnen twijffelen, gelijk ook eenige* JODEN *en* CHRISTENEN *dit erkend hebben,. of niet dit gehele gestel enkel bedrog*

drog en schelmerye geweesd is, waar door dese lose vrouwe dien benaawden en verschrikten Koning so ellendiglijk bedrogen heeft, gelijk by de Tovenaars en Waarseggers gemeenelijk geschied; ja by de Orakelen of Godspraken der Heydenen selfs placht te geschieden, door, of by welke men antwoorden gaf, als van God of den Geesten voortkomende: die nochtans van de Priesters en Voorstanders van die plaatsen alleen, altoos meestendeel, quamen, onder de name der Goden. So konde ook dese vrouwe haar houden of sy een gesichte onder de aerde sag, daar sy selve de PERSONAGIE *speelde, ende* SAUL *dien sy heel wel kende, so bedroog. Want het is qualijk geloof lijk, dat dese Vrouwe* SAUL *niet sou gekend hebben, daar hy de Koning was, ende so lange geweesd was; en de Koningen doen ter tijd gemeensamer waren met hare Onderdanen, als nu: bysonderlijk daar hy een hoofd langer was als alle menschen, ende so niet konde onbekend blijven, of hy sich schoon verstelde: ten ware hy sich een hoofd had laten korter maken: te meer dewijl dese plaatse niet verre was van het huis, of het leger* SAULS. *Want hy komd ende gaad daar henen en weder van daan op ene nacht; sonder eten te smaken: en of sy hem al niet recht kende, doch gaf hy achterdocht wie dat hy was, met dat sweeren, dat haar over dese sake geen straffe overkomen soude, en met het vragen om* SAMUEL *te doen opkomen: welk beyde meer als eenes gemeenen mans werk was. Waar uit die Vrouwe, insonderheid in die omstandigheden des tijds, licht kon besluiten met wien sy te doen hadde, hoe vreemd sy haar ook hield. So houd sy haar ook als of sy* SAMUEL *niet en kende, als hy opquam; die nochtans aan heel Israël was bekend geweesd, en niet verre van dese vrouwe gewoond hadde. So ook dese heele verschijning smaakt na bedrog. Want het is aanmerkelijk, dat* SAUL *niet en sag, maar alleen hoorde; het gesichte wierd alleen van de Vrouwe gesien, so sy seide. Het schijnd, dat sy in een be-*

ſloten kamerke is geweeſd, om daar quansſuis hare beſweeringen in het werk te ſtellen (gelijk blijkt uit v. 21. *dat ſy daar na, toen de Vertooning uit was,* TOT SAUL QUAM, *namentlijk uit dat Kamerken:) daar ſy ſich houd als ofſe* SAMUEL *deed opkomen, en hem ſag in ſulk een gedaante als ſy wiſte dat hem paſte, die niemand konde onbekend ſijn. Daar op houd ſy haar, als of ſy nu eerſt leerde dat het* SAUL *was, die by haar was: ende gaad daar na, of door iemand, die daar toe in die beſlote plaatſe beſteld was, of door haar ſelfs, ook miſſchien in de tegenwoordigheid* SAULS, *met verandering van ſtemme, als in ſwijm leggende, ende met een holgeluid. (na de maniere der Waarſegſters, die uit haren buik ſchijnen te ſpreken, gelijk ſulke menſchen vele ſulke konſten hebben)* SAUL *antwoorden onder de naam van* SAMUEL, *ten dele over het voorledene, welk heel* ISRAEL *wiſte, ten dele over het toekomende, over het welke ſy* MET SULKE TWYFFELLACHTIGE *manieren van ſpreken licht een antwoorde, als deſe was, geven konde, uit aanmerkinge* VAN DE BEDREIGING *des waren* SAMUELS, *ende alle de Omſtandigheden des tijds. Welk alles die benaawde Konink Geloofd, en daar door noch meer verſchrikt word.*

Quod ad temporis ſpatium ſpectat, quod hanc Conſultationem, mortemque Saulis intercurrit, de ipſo ſic idem Burmannus: *Maar ook de Antwoord verraad haren meeſter. Morgen ſeid hy, ſult gy by my ſijn. Maar uit het vervolg blijkt, dat Saul noch wel 5 of 6 dagen daar na geleefd heeft. Siet* cap. XXIX. 10, 11. en XXX. 1. en 2 Sam. I. 1, 2. *Want op den eerſten dag vergaderden de Legers van beyde ſijden.* cap. XVVIII. 1, 5. *Ende Saul gaad daar op naar* ENDOR v. 7, 8. *en gaad in die ſelve nacht weder weg.* v. 25. *Ondertuſſchen werd David Hoofdman van* ACHIS *Lijfguarde* v. 2. *Maar om het miſnoegen der Vorſten werd hy van* ACHIS *weder ontſlagen.* cap. XXIX. *die trekt dien ſelven mor-*

morgen op na ZIKLAG, cap. XXIX. 10, 11. *terwijle Saul van de Toveresse komd na het Leger; 't welk den tweden dag was. Den derden dag hier na komd* DAVID *en sijne mannen te* ZIKLAG cap. XXX. 1, 2. *'t welk de vijfde dag was: die slaat daar op de* AMELEKITEN, *ten minsten tot aan den Avond van den anderen dag*, cap. XXX. 12, 17. *of noch later, tot aan den derden dag, gelijk het sommige nemen, als onder sal gesien worden. So dat het geweesd is de sevende of achtste dag; ja misschien noch een dag later, also uit* cap. XXX. 12. *blijkt, dat de* AMELEKITEN *al drie dagen weg geweesd waren van* ZIKLAG *eer David haar aantrof. Ondertusschen strijd* SAUL *tegen de* PHILISTYNEN, *en word verslagen* cap. XXXI. *Van welke nederlage* DAVID *eerste de tijding krijgd te* ZIKLAG, *als hy van het slaan der Amelekiten was wedergekeerd, en 2 dagen te* ZIKLAG *gebleven was*, 2 Sam. II. 1. *Welk ten minsten de negende dag was: en dan is onseker of niet langer tijd is tusschen beyden gekomen als een dag, eer* DAVID *van* ZIKLAG *uitgaande, den* AMELEKITEN *aantrof, en of hy ook binnen een dag wedergekeerd is van* ZIKLAG. *Ten weynigste sijn hier dan vijf dagen gegeweesd tusschen dit vragen der Toveresse en de dood* SAULS. *Want* DAVID *ende* SAUL *trekken ontrent gelijk op, de eerste van* ACHIS *na* ZIKLAG, *de andre van* ENDOR *na sijn leger. David komt te Ziklag des derden daags, en besteed ten minsten twe dagen in 't slaan der Amelekiten ende wederkeren na* ZIKLAG. *Welk vijf dagen sijn. Op dien selven dag, ten vroegsten, is* SAUL *verslagen, dat is op den vijfden dag. Want, gelijk Josephus seid, de veldslag Sauls is eerst voorgevallen op den selven dag, op welke David van het slaan der Amelekiten na Ziklag wederkeerde. Altoos niet vroeger: want dan sou David de tijding daar van eerder te Ziklag ontfangen hebben; die hy evenwel niet eerder konde*

de ontfangen, als drie dagen na de dood Sauls. So dat misschien Saul verslagen is binnen de drie dagen, in welken David tot Ziklag wedergekeerd is: ende so soude Saul eerst op den sesten dag na dese Voorsegging konnen gedood sijn: 't welk alles met dat MORGEN *alhier niet over een komd. Siet nader op* 2 Samuel I. *Ook sijn niet de sonen Sauls met hem gestorven. Want behalven Mephiboseth, die sijn neve was, is ook* ISBOSETH, *sijn Sone, noch overgebleven, en daarenboven noch twee andre Sonen van hem,* 2 Sam. XXI. 8. *So datter ten minsten so veel sonen van hem overbleven, alsser stierven.* Cap. XXXI. 2. *Welk met sulk een brede voorsegging, als hier geschied, van hem ende sijne Sonen, daar het maar drie van sijne Sonen aanging, niet bestaan kan. So dat dese antwoorde dan een leugen was. Wil iemand seggen, morgen betekend hier juist niet de dag van morgen, maar den toekomenden en aanstaanden tijd, al was het enige dagen daar na; so sy hem tot antwoord, dat dit woord in andre saken wel so kan genomen worden; maar in geen Prophetie Gods. Want als God enen tijd voorseyd, so neemd hy hem noid onbepaald, maar altijd precijs.*

CAP. X.

De origine & antiquitate νεκυομαντείας *inter Ethnicos & Judæos. De* Necyomanteiis publicis *ac* privatis, *tam inter Judæos, quam inter Gentiles. De* Aorno, Acheronte, Plegethonte, *&c. ex Aristotele, Herodoto, Strabone, Cicerone, & Pausania; atque unde istæ fabulæ ortum traxerint. De* Necyomanteiis privatis, *ex Veterum scriptis: ubi simul ostenditur, cuncta talia esse commenta nu-*

nugacissima. De Ἐγγαστριμύθοις *(seu Ventriloquis) ex Hippocrate et Galeno, adeoque et de* Euriclei-dis : *additis imposturarum talium exemplis.*

SIcut Autem hæc νεκυομαντεία vel, *Necromanteia* diu ante Homerum, inter Gentiles, ac quidem Barbaros, in abusu fuit (ut quæ jam a Mose damnata, atque inter vias Gentium numerata, fuerat;) sic illa non solum a privatis privatim atque in obscuro, hoc aut illo in angulo, exercebatur. Verum *publica* ejusmodi μαντεῖα, tam inter Hebræos Idololatricos, quam inter Ethnicos instituta invenimus.

Inter Hebræos Idololatricos ea locum habuisse patet ex II. Regum, cap. XXI. v. 6. ubi de Manasse Rege, inter alia narratur, quod *Hariolatus sit & observaverit Auguria, & fecerit Pythones, & Jidioneos.* Hebræa sunt: ועונן ונחש ועשה אוב וידענים quæ Græcus Interpres reddit: καὶ ἐποίησε τεμένη, καὶ γνώστας ἐπλήθυνε. Ubi tamen codex Alexandrinus pro τεμένη legit θελητὴν καὶ γνώστας. Targum vero Jonathanis habet, ועבד בדין וזכורו; quæ cum Hebraici textus sensu sat bene conveniunt.

Id certe magis perspicitur ex cap. XXIII, v. 24. ubi narratur a Sacro Scriptore Josiam ea iterum sustulisse. Textus Hebræus habet: וגם את האבות ואת הידענים ואת התרפים ואת גללים ואת כל השקצים אשר נראו בארץ יהודה ובירושלים בער יאשיהו: *Sed & Pythonas & Hariolos, & figuras Idololorum [Teraphim] & immunditias, & abominationes, quæ conspiciebantur in terra Judæ & Jerusalem, sustulit Josias.* Sic quoque II. Paralepom. c. XXXIII. v. 6. ועשה אוב וידעני fecit & *Ovooth* & *Jideonim* ubi & Græci habent: καὶ ἐποίησεν ἐγγαστριμύθους, &c.

Attendendum hic est ad vocem נראו, qui a Jonathane (quocum consentit Syrus interpres) redditur דאתחזיאו, *quæ vi-*

videbantur, Quo quamclarissime, meo judicio, denotatur, ea non in angulis quibusdam obscuris, verum publice, sive in locis publicis, atque adeo in usum publicum, fuisse constituta. Neque absonum mihi videtur, si ad publica hæc νεκυομαντεῖα referamus illa, quæ Esaiæ cap. XIX. v. 3. habentur de Ægyptiis ודרשו אל האלילים ואת האטים ואל האבות ואל הידענים *Et consulent Vanitates* [seu Deos illos qui vere vanitates sunt] *& Divinos*, *& Ovooth*, *& Jideonim.* Ubi Græcus Interpres habet, loco ואל האבות ואל הידענים καὶ τοὺς ἐκ τῆς γῆς φωνοῦντας, καὶ τοὺς ἐγγαστριμύθους, eos, qui *ex terra loquuntur*, illosque qui *Ventriloqui* sunt.

Qua occasione omittere hic nequeo (quod supra, ubi de ἐγγαστριμύθοις agebam, omisi) Græcos Interpretes inter se, ac cum aliis, minime convenire, circa harum vocum Hebraicarum interpretationem. Ii namque Levit. cap. XIX. v. 31. XX. v. 6 & 27. Deut. XVIII. v. 10. & 2 Chron. XXXIII. v. 6. pro אוב & אבות vertunt ἐγγαστρίμυθος & ἐγγαστριμύθους. Ast aliis in locis longe aliter: ut 2 Reg. XXIII. v. 24. ubi hæc eadem vox vertitur θελητὰς: quod vocabulum pro *Divinatoribus* sumi videtur a Græcis Interpretibus: quamvis id alias apud Veteres Græcos in usu fuisse non videatur. Sic & cap. XXI. v. 6. vertitur hæc vox אוב θελητήν. ubi & (in variis Lectionibus editioni Wechelianæ additis, & in notis Nobilii Flaminii) reperimus al. τεμένη (*Lucas*) al. στήλην (*titulum* vel *Statuam*: qui *Luci* aut *Statuæ* aut *tituli*, quomodo huic loco quadrent minime capio.

Esai. XXIX, v. 4. אבות vertuntur οἱ φωνοῦντες ἐκ τῆς γῆς, *qui ex terra*, vel (ut sic loquar) de sub terra loquuntur: ubi Aquila ὡς μάγοι ἐκ τῆς γῆς. Verum Es. XIX. v. 3. uti æque ac cap. XXIX. אבות vertuntur ἐκ τῆς γῆς φωνοῦντες, sive *e terra loquentes*; sic & loco ידענים (permutata ita plane interpretatione) ἐγγαστρίμυθοι seu *Ventriloqui* redduntur. Atque adeo sic exserte hîc discriminantur οἱ ἐκ τῆς γῆς φωνοῦντες *ex ter-*

terra loquentes ab אבות seu *Ventriloquis* vel ἐγγαστριμύθοις. Sic, ut nunc quidem אבות vertantur *ex terra loquentes*, nunc vero *ex ventre* (vel axillis etiam) *loquentes*: ac vice versa הידענים nunc pro *ex terra loquentibus* nunc vero pro *Ventriloquis* habeantur.

Sic quoque hi ידענים, & ידעני vertuntur Levit. XIX. v. 13. XX. v. 6 & 27. item 2 Chron. XXIII. v. ἐπαοιδὸς verum Deuter. XVIII. v. 11. τερατοσκόπος 1 Sam. XXVIII. v. 9. 2 Reg. YXI. v. 6. & XXIII. vers. 24. γνώστας vel γνωστάς.

Ast Es. VIII. v. 19. [ubi Hebræa habent דרשו אל האבות ואל הידענים המצפצפים המהגים *Quærite ab Ovooth & Jideonim, qui strident & susurrant in Incantationibus suis*; quæ Vulgata sic simul complexa reddit: *Stridentes in Incantationibus suis*] οἱ ἀπὸ (vel ἐκ) τῆς γῆς φωνοῦντες, *ii qui ex terra loquuntur* veniunt pro אבות *Ovooth*: quos Ovooth tamen (seu ἐγγαστριμύθους, ut hic reddunt) aperte sic Græci distinguunt, cum addunt, καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς γῆς φωνοῦντας, τοὺς κενολογοῦντας, οἱ ἐκ (vel ἀπὸ) τῆς γῆς φωνοῦσιν; *Quærite Ventriloquos, & illos qui ex terra loquuntur, vana loquentes, qui de terra clamitant.*

Quæ diversitas plane argumento est, hanc versionem (uti ex alibi exemplis doceo) minime esse ab uno sive Interprete, sive Interpretum collegio, vel consessu, unove eodemque tempore fuisse confectam: verum longe diversis; ac proculdubio quoque diversis temporibus eam fuisse concinnatam: quin & hosce Interpretes minus intellexisse sæpe res vel verba, quæ ex Hebræo fonte essent in Græcam Linguam convertenda: nisi, τεμένη, & στῆλαι. &c. longe aliud quid apud Judeos Græcos (sive Alexandrinos, sive Hellenistas eos appellare volueris) denotasse velimus: quod sane eousque extendendum minime existimen.

Adde, quod jam minime notum nobis sit, ub i at Vetus

Versio Græca mutata fuerit aut alia (sive in Psalmis, sive in Prophetis, sive aliis in libris) primitivæ Versioni supposita, atque ubi isti Codici, vel per totos libros, vel per partes particulasve Versiones Aquilæ, Theodotionis, aut Symmachi; vel editiones Luciani, Hesychii, Origenis, aut aliorum, intermixtæ vel non intermixtæ fuerint istis editionibus, quas nunc habemus, sive Aldinæ sive Romanæ sive Parisiensi, sive Complutensi, sive Antwerpiensi, sive Anglicanæ, sive aliis; si tales aut jam publice prostent, aut adhuc alicubi delitescant.

Verum ut propius iterum ad propositum redeamus; videmus ex iis quæ jam a me dicta sunt, quid dixerint Veteres Hebræi de νεκυομαντεία; eo quod numerentur hæ malignæ artes, fraudes ac præstigiæ inter *Vias Gentium*, a quibus Deus Opt. Max omni vi ac conatu (ut sic loquar) Israëlitas avertere voluit, dum Legem oppositam Gentilium Legibus traderet populo suo Sancto atque electo.

Quæ apud Ethnicos de hoc ritu abominando reperiuntur, non quidem in omnibus conveniunt cum iis quæ de eo ab Hebræis traduntur; Attamen ostendunt, ex quonam fonte (Gentilium nempe) ista promanaverint. Hinc sane non immerito magnus ille Hugo Grotius, in caput XVIII. Deuteronomii, hæc notat: Νεκύα *omnium Divinationum antiquissima, & signum creditæ* τῆς τῶν ψυχῶν διαμονῆς. *Frequenter id factitatum in Oriente discimus ex Æschylo & Herodoto.*

Primus inter Ethnicos [quippe & primus fere Scriptor, si non omnino primus] qui νεκυομαντείας meminit eamque plusquam poëtice (ne dicam & admodum ridicule) libro XI. in personis Ulissis ac Teresiæ, describit & adornat [quamvis ex S. Scriptura constet, eam longe tempore ante Homerum, imò & ante Bellum Trojanum, tam inter Ethnicos, quam inter Judæos Idololatras in abusu fuisse] est Maximus ille & primus Poëta Homerus.

Ve-

Verum enim vero quæ de ista cantare ipsi lubuit tam absurda ac ridicula sunt, ut illa in nutricum gratiam infantulis per narratiunculas tales somnum studiose procurantium, confixisse videatur. Et tamen cæteri poëtæ (quibus & Heliodorum eatenus non male annumeres) Homerum in ista re tam strenue sequuntur, ut in confingendis hujusmodi nugis infantilibus, hunc fabularum auctorem, poëtarumque hæresiarcham, quandoque longe superent: dum tamen inter illos Virgilius, circa talia & majori judicio & modestia & gravitate utitur.

Ut autem transeamus ad νεκυομαντεῖα publica Gentilium ab ipsis Gentilibus (ut quæ inter ipsos locum haberent) memorata, videmus hæc primò in Plutarchi *Cimone*; ubi is de Pausania: ὁ δὲ ἐκπεσὼν τοῦ Βυζαντίου, καὶ τῷ φάσματι ταραττόμενος, (ὡς λέγεται) κατέφυγε πρὸς τὸ νεκυομαντεῖον εἰς Ἡράκλειαν, καὶ τὴν ψυχὴν ἀνακαλούμενος τῆς Κλεονίκης, παρῃτεῖτο τὴν ὀργήν. ἡ δὲ εἰς ὄψιν ἐλθοῦσα, ταχέως ἔφη παύσεσθαι τῶν κακῶν αὐτὸν, ἐν Σπάρτῃ γενόμενον. *Elapsus* [*Pausanias*] *tamen est, & Viso illo (ut fertur) exterritus Heracleam confugit, ad* MANIUM ORACULUM, *evocataque Cleonices anima offensam deprecatus est. Illa in conspectum Pausaniæ venit, ac brevi eum illis malis explicatum iri, ubi Spartam venisset, dixit.*

Quæ vero Herodotus narrat, ad tempora pertinent hisce nunc memoratis magis antiqua; dum de Periando, [perorante ea Sosicle Corinthiorum legato, inter alia, in Terpsichore, seu lib. V.] hæc sequentia tradit: Πέμψαντι γὰρ οἱ ἐς Θεσπρωτοὺς, ἐπ' Ἀχέροντα ποταμὸν ἀγγέλους ἐπὶ τὸ νεκυομαντήιον, παρακαταθήκης πέρι ξεινικῆς, οὔτε σημανέειν ἔφη ἡ Μέλισσα ἐπιφανεῖσα, οὔτε κατερέειν ἐν τῷ κέεται χώρῳ ἡ παρακαταθήκη. ῥιγοῦν τε γὰρ, καὶ εἶναι γυμνή· τῶν γάρ οἱ συγκατέθαψε ἱματίων ὄφελος εἶναι οὐδὲν, οὐ κατακαυθέντων. *Nam quum ad Thesprotos, qui sunt* [NB] *ad flumen Acherontem, misisset nuntios scissitatum Necyomanteon* [i. e. mortuorum Oraculum] *de Hospitis deposito, Melissa apparens negavit, se in-*

dicaturam, aut dicturam ubinam depositum esset collocatum, quoniam ipsa algeret, quia nuda esset: nihil enim sibi prodesse vestes cum quibus sepulta esset, utpote non concrematas. Dignissima est hæc historia quacum comparetur illa, quæ habetur in Luciani Philopseude.

De hac porrò, Thesprotia [simul & de origine fabularum Homericarum circa hasce superstiones] Pausanias, in Atticis, hæc sequentia nobis tradit: Πρὸς δὲ τῇ Κιχύρῳ, λίμνη τέ ἐστιν Ἀχερουσία καλουμένη, καὶ ποταμὸς Ἀχέρων· ῥεῖ δὲ καὶ Κωκυτὸς ὕδωρ ἀτερπέστατον. Ὅμηρός τέ μοι δοκεῖ ταῦτα ἑωρακὼς, ἔς τε τὴν ἄλλην ποίησιν ἀποτολμῆσαι τῶν ἐν Ἅδου, καὶ δὴ καὶ τὰ ὀνόματα τοῖς ποταμοῖς ἀπὸ τῶν ἐν Θεσπρωτίδι θέσθαι. *Ad Cichyrum* [in Thesprotia ubi & Oraculum Dodonæum] *Acherusia est palus, & Acheron amnis: fluit ibidem Cocytus, aquâ insuavissimâ. Quæ loca cum vidisset, ut opinor, Homerus, multa ex illis in suum de Inferis Poëma transtulit - & ipsa etiam carminibus amnium* [NB] *nomina inseruit.*

De Aorno Thesprotiæ (quod forte Aorno Italico originem dedit) idem Pausanias, libro IX. Ἄλλοις δὲ προειρημένα ἐστὶν, ὡς προαποθανούσης οἱ τῆς γυναικὸς, ἐπὶ τὸ Ἄορνον δι᾽ αὐτὴν τὸ ἐν τῇ Θεσπροτίδι ἀφίκετο· εἶναι γὰρ πάλαι νεκυομάντιον αὐτόθι. νομίζοντα δὲ οἱ ἕπεσθαι τῆς Εὐριδίκης τὴν ψυχὴν, καὶ ἁμαρτόντα, ὡς ἀπεστράφη, αὐτόχειρα αὐτὸν ὑπὸ λύπης αὐτοῦ γενέσθαι. *Est illud memoriæ proditum, uxore mortuâ venisse illum* [*Orpheum*] *ad Aornum Thesprotiæ, quod ibi pervetus esset per umbrarum evotionem Oraculum; ibi cum Euridicis animam sequi se putasset, & suâ se opinione falsum respiciens animadvertisset, ultro sibi ipsi mærore confectum, manus conscivisse.*

Nunc videamus, quæso, quid Strabo quoque de harum fabularum origine narret. Is enim lib. V. Geographiæ de Aorno Italiæ, in hunc modum differit: Ἐμύθευον δὲ οἱ πρὸ ἡμῶν ἐν τῷ Ἀόρνῳ, τὰ περὶ τὴν νέκυιαν τὴν Ὁμηρικήν· καὶ δὲ καὶ νεκυομαντεῖον ἱστοροῦσιν ἐνταῦθα γενέσθαι, καὶ Ὀδυσσέα εἰς τοῦτο ἀφικέσθαι.

Ἔστι

Ἔστι δὲ ὁ μὲν Ἄορνος κόλπος ἀγχιβαθὴς καὶ ἀρτίστομος λιμένος καὶ μέγεθος καὶ φύσιν ἔχων, χρείαν δὲ οὐ παρεχόμενος λιμένος, διὰ τὸ προκεῖσθαι τὸν Λοκρῖνον κόλπον προσβραχῆ καὶ πολύν. Περικλείεται δὲ Ἄορνος ὀφρύσιν ὀρθίαις, ὑπερκειμέναις πανταχόθεν πλὴν τοῦ εἴσπλου, νῦν μὲν ἡμέρως ἐκπεπονημέναις, πρότερον δὲ συνηρεφέσιν ἀγρίᾳ ὕλῃ μεγαλοδένδρῳ καὶ ἀβάτῳ, αἳ κατὰ δεισιδαιμονίαν κατάσκιον ἐποίουν τὸν κόλπον· προσεμύθευον δὲ οἱ ἐπιχώριοι καὶ τοὺς ὄρνεις τοὺς ὑπερπετεῖς γινομένους, καταπίπτειν εἰς τὸ ὕδωρ, φθειρομένους ὑπὸ τῶν ἀναφερομένων ἀέρων, καθάπερ ἐν τοῖς Πλουτωνίοις. καὶ τοῦτο χωρίον Πλουτώνιόν τι ὑπελάμβανον, καὶ τοὺς Κιμμερίους ἐνταῦθα λέγεσθαι· καὶ εἰσέπλεόν γε οἱ προθυσάμενοι [καὶ] ἱλασόμενοι τοὺς καταχθονίους δαίμονας, ὄντων τῶν ὑφηγουμένων τὰ τοιάδε ἱερέων, ἐργολαβηκότων τὸν τόπον. Ἔστι δὲ πηγή τις αὐτόθι ποτίμου ὕδατος ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ· τούτου δὲ ἀπείχοντο πάντες, τὸ τῆς Στυγὸς ὕδωρ νομίσαντες· καὶ τὸ μαντεῖον ἐνταῦθά που ἵδρυται· τόν τε Πυριφλεγέθοντα ἐκ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἐτεκμαίροντο τῶν πλησίον τῆς Ἀχερουσίας. Ἔφορος δὲ τοῖς Κιμμερίοις προσοικειῶν [τὸν τόπον] φησὶν αὐτοὺς ἐν καταγείοις οἰκίαις οἰκεῖν, ἃς καλοῦσιν, ἀργίλλας, καὶ διά τινων ὀρυγμάτων παρ' ἀλλήλους τε φοιτᾶν, καὶ τοὺς ξένους εἰς τὸ μαντεῖον δέχεσθαι, πολὺ ὑπὸ γῆς ἱδρυμένον· ζῆν δὲ ἀπὸ τῆς μεταλλείας καὶ τῶν μαντευομένων, καὶ τοῦ βασιλέως ἀποδείξαντος αὐτοῖς συντάξεις· εἶναι δὲ τοῖς περὶ τὸ χρηστήριον ἔθος πάτριον, μηδένα τὸν ἥλιον ὁρᾶν, ἀλλὰ τῆς νυκτὸς ἔξω πορεύεσθαι τῶν χασμάτων· καὶ διὰ τοῦτο τὸν ποιητὴν περὶ αὐτῶν εἰπεῖν, ὡς ἄρα

——— ——— οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται. ———

ὕστερον δὲ διαφθαρῆναι τοὺς ἀνθρώπους ὑπὸ βασιλέως τινός, οὐκ ἀποβάντος αὐτῷ τοῦ χρησμοῦ. τὸ δὲ μαντεῖον ἔτι συμμένειν μεθεστηκὸς εἰς ἕτερον τόπον. Τοιαῦτα μὲν οἱ πρὸ ἡμῶν ἐμυθολόγουν. Νυνὶ δὲ τῆς μὲν ὕλης τῆς περὶ τὸ Ἄορνον κοπείσης ὑπὸ Ἀγρίππα, τῶν δὲ χωρίων κατοικοδομηθέντων, ἀπὸ δὲ τοῦ Ἀόρνου διώρυγος ὑπονόμου τμηθείσης, μέχρι Κύμης, ἅπαντα ἐκεῖνα ἐφάνη μῦθος. *Qui nos ætate antecesserunt, Necyæ Homericæ fabulas Averno applicaverunt, atque*

que

que adeo narrant fuisse ibi Oraculum ubi vitâ defuncti Responsa darent, eoque Ulyssem advenisse: Avernus autem, mari pene ipsum littus profundo, faucibus commode ad recipiendas naves instructus; neque ei ut portus haberetur, vel a naturâ loci, vel a magnitudine quicquam deest; sed usum tamen illum non præstat, quod ante eum jacet Lucrinus sinus prælongus & altus. Includitur Avernus superciliis rectà sursum enatis, & undique, præterquam in aditu, eminentibus; ac nunc quidem culturâ elaboratis. Olim enim sylva inaccessa magnarum arborum obsita, ob superstitionem ipsum, sinum adumbrabant. Additum est ab Accolis fabulæ hoc, aves quæ supervolarent in aquam decidere, exanimatas aeris exhalatione, quemadmodum in Plutoniis locis fit. Nam & Avernum pro loco Plutoni dicato deputabant; & Cimmerios ibi fuisse indicatum habitare; ac qui intrò navigarent, prius sacrificiis placabant Genios Manes, cum essent Pontifices, qui conducto isto loco, hujusmodi sacra præmonstrarent. Ibidem fons est aquæ potabilis ad ipsum mare sed eâ omnes abstinebant, Stygis aquam esse putantes. Ibidemque alicubi Oraculum est conditum, & periphlegetonthem ex aquis calidis Acherusiæ vicinis existimabant ibi esse. Ephorus vero Cimmeriis locum illum dicans, hos habitare ait in subterraneis ædificiis, quas Argillas vocent, ac per fossas quasdam inter se commeare, hospitesque eâdem via ad Oraculum adducere altè infra terram conditum: victum eos metallis effodiendis quærere, & ab iis accipere qui Oraculum consulunt, ac Regem iis constituisse eo nomine stipendium. Porro qui apud Oraculum illud degunt, eos more a majoribus accepto nunquam videre solem, sed noctu ex hiatibus terræ prodire, ideoque de iis Homerum scripsisse

——— ——— neque unquam
Illos illustrat radiorum lumine Titan.

postea temporis Cimmerios fuisse deletos a Rege quodam, cujus ven-

eventa Oraculum non comprobaſſent. Sedem Oraculi aliò tranſlatum etiamnum durare. Atque hæc quidem fabulati ſunt nobis priores ætate. Noſtra vero tempeſtate, cum Sylvam quæ circa Avernum fuit cecidiſſet Agrippa, & loca ædificiis occupata eſſent, actuſque infra Cumas uſque cuniculus, omnia iſta fabulas eſſe liquidò apparuit.

Videamus quoque quæ de iſtarum Fabularum origine dicat Cicero, lib. I. Tuſculanarum quæſtionum. *Sed ut Deos eſſe natura opinamur, qualeſque ſint ratione cognoſcimus: ſic permanere animos arbitramur conſenſu rationum omnium: qua in ſede maneant, qualeſque ſint ratione diſcendum eſt. cujus ignoratio finxit Inferos, eaſque formidines quas tu contemnere non ſine cauſa videbare. In terram enim cadentibus corporibus, hiſque humo tectis (ex quo dictum eſt humari) ſub terra cenſebant reliquam vitam agi mortuorum. quam eorum opinionem magni errores conſecuti ſunt: quos auxerunt Poëtæ. frequens enim conſeſſus Theatri, in quo ſunt mulierculæ, & pueri, movetur audiens tam grande carmen:*

Adſum atque advenio Acheronte, vix, via alta atque ardua,
Per ſpeluncas ſaxis ſtructas aſperis, pendentibus
Maximis: ubi rigida conſtat craſſa caligo inferum.

Tantumque valuit error (qui mihi quidem jam ſublatus videtur) ut corpora cremata cum ſcirent, tamen ea fieri apud Inferos fingerent, quæ ſine corporibus nec fieri poſſent, nec intelligi. Animos enim per ſe ipſos viventeis non poterant mente complecti: formam aliquam figuramque quærebant. Inde Homeri tota νεκυία*: inde ea quæ meus amicus Appius* νεκρομαντεία *faciebat: inde in vicinia noſtra Averni lacus,*

Unde animæ excitantur obſcura umbra, aperto oſtio
Alti Acherontis, falſo ſanguine, imagines mortuorum.

Has tamen imagines loqui volunt : quod fieri nec sine lingua, nec sine palato, nec sine faucibus, laterum, pulmonum vi, & figura potest. Nihil enim animo videre poterant : ad oculos omnia referebant. Magni autem est ingenii, revocare mentem a sensibus, & cogitationem a consuetudine abducere.

Ut autem habuere Ethnici, atque Idololatræ Judæi, præter alia μαντεῖα *publica*, etiam sua *publica Necromanteia*, sive *Oraculorum sedes*, ubi per mortuorum Consultationes, ut & Apparitiones, reddebantur Fatidica Responsa; sic etiam inter illos (Magorum, aliorumque præstigiatorum operâ) *Necyomanteia privata;* sive quod conniverent ad illa Principes, aliive summi magistratus; sive quod contra ipsorum interdicta clam atque occulte multis in locis consulerentur, ac tam per muliebris quam virilis sexus homines perpetrarentur.

Horum insigne admodum exemplum habemus in famosissimâ illa Regis Saulis consultatione in Endor. præter quod (tam ex verbis mulieris illius quam Saul consulebat, quam ex aliis S. S. verbis ac circumstantiis) patet plura, uno eodemque tempore, ejusmodi μαντεῖα privata (uti inter Ethnicos) apud Judæos locum habuisse.

Ad sola privata spectasse edictum Saulis mihi maxime videtur, eo quod non verisimile sit ulla ejusmodi μαντεῖα publice fuisse consulta, vel tempore Eli, vel Samuelis Prophetæ: licet quæ clam consulebantur hîc & alibi adhuc subsiststerent. Ac potius id rear [si non tamen de solis privatis & hæc omninò intelligenda sint] de Consultationibus Materniano per Antoninum Caracallam mandatis: cum tum temporis adhuc plurima μαντεῖα (ac longe diversi generis) publica locum haberent.

Verba Herodiani, quæ de ista re loquuntur, sunt, libro IV. in Vita Antonini, hæc sequentia: Περιεργότερος γὰρ ὤν, οὐ μόνον τὰ ἀνθρώπων πάντα εἰδέναι ἤθελεν, ἀλλὰ καὶ τὰ θεῖά τε καὶ δαιμόνια πολυπραγμονεῖν. ἀεί τε πάντας ὑπώπτευεν, ὡς ἐπιβουλεύοντας,

χρη·

χρηστηρείων τε πάντων ἐνεφορεῖτο, τούς τε πανταχόθεν μάγους καὶ ἀστρονόμους τε καὶ θύτας μετεπέμπετο· καὶ οὐδεὶς αὐτὸν ἐλάνθανε τῶν τὴν γοητείαν ταύτην ὑπισχνουμένων. ὑποπτεύων δὲ αὐτοὺς ὡς οὐ τἀληθῆ αὐτῷ ἀλλὰ πρὸς κολακείαν θεσπίζοντας, ἐπιστέλλει Ματερνιανῷ τινὶ, τότε πάσας ὑπ' αὐτοῦ ἐν Ῥώμῃ πράξεις ἐγκεχειρισμένῳ, πιστοτάτῳ εἶναι δοκοῦντι φίλων, καὶ μόνῳ κοινωνῷ τῶν ἀπορρήτων. κελεύει δὲ αὐτῷ μάγων τοὺς ἀρίστους ζητήσαντα, νεκυίᾳ τε χρησάμενον, μαθεῖν περὶ τοῦ τέλους τοῦ βίου αὐτοῦ, καὶ μή τις ἄρα ἐπιβουλεύοι τῇ ἀρχῇ. *Nam quum ſuapte natura curioſior eſſet, non hominum modo res cognoſcere ſtudebat, ſed Deorum Dæmonumque etiam rimari arcana: metuque ſemper inſidiarum, nullis non Oraculis incubabat, accitis undique Magis, Aſtrologis, Haruſpicibus: ac nullo plane prærerito, qui hujuſmodi fallacias profiteretur. Sed eos quoque ſuſpectans, ut parum vera loquentes, omniaque ad aſſentationem vaticinantes, ſcribit ad Maternianum quendam, cui rerum ſuarum omnium curam in* URBE *crediderat, & quem ſibi ex Amicis omnibus fidiſſimum putabat, conſciumque omnium ſecretorum ſolum habuerat, Magos undique optimos conquirat,* ATQUE EVOCATIS MANIBUS *de fine ipſius vitæ conſulat & an quiſquam Imperio inſidietur.*

Poëtarum teſtimoniis hìc nullo modo opus eſt; ſive illa ſunt Æſchyli, ſive Virgilii, ſive Ovidii, ſive Statii, ſive Silii Italici, ſive aliorum, quorumcumque demum volueris; imò & nec Apollonii Thyanæi, Apuleii, aliorumve ejuſmodi ſive nugatorum ſive mythologorum: quum ipſorum auctoritas, ratione hiſtoriæ aut fidei, ſit οὐδ' ἐν λόγῳ οὐδ' ἐν ἀριθμῷ.

Ipſorum tamen Deſcriptiones conſideratione digniſſimæ ſunt: quod ex iis clare pateat harum fictionum abſurditas; atqui eas hic inſerere, (præſertim cum omnibus circumſtantiis ac pompa illa Poëtica, qua ſuperſtitioſis ac puerilibus animis pavorem ac terrorem injicere, cordatioribus vero, magiſque virilibus riſum, ac ſæpe quidem Sarcaſticum mo-

vere valent) nimis longum Lectorique meo tædiosum foret. Homeri *Umbrarum* (ad quos ipse Ulysses accesserat) *evocatio* seu potius consultatio, simplicior multo, ac sine ulla arte. longe alio apparatu & Statius & Lucanus utuntur; *hic dum Thessala Vatem, Eligit, & gelidas leto scrutata medullas, Pulmonis rigidi stantes sine vulnere fibras Invenit, & vocem defuncto in corpore quærit.* Terribilibusque minis intonat horrendum, ut anima corpori reddita desiderata sibi promat Responsa; alter [Theresias] dum, adjuvante filiâ, similibus pene minis contra Deos infernales, ac promissis erga Laium agit, eumque, per hæc sequentia, demulcet ac persuadet:

. . . . . Confer vultum, & satiare litanti
Sanguine; venturasque vices, & funera belli
Pande vel infensus, vel res miserate tuorum.
Tunc ego te optata vetitam transmittere Lethen
Puppe dabo, placidumque pia tellure reponam,
Et Stygiis mandabo Deis. Mulcetur honoris
Muneribus, tingitque genas, dehinc talia reddit, &c.

Contrario plane modo apud Æschylum [in Persis] Chorus precibus, non minis, ad Deos Inferos & Darium factis, elicit hujus Darii animam. Apud Heliodorum [libro. 6.] Mater denudato gladio furens ac minitans proprium filium jam demortuum excitat, ac Responsa de futuris reddere cogit. Apud Homerum ense nudato terret umbras Ulisses, ac sitientes sanguinem animas a victimarum sic cruore depellit; metuentes, scilicet, ne vulnerentur denuò post obitum: cum tamen apud Virgilium Æneas *frustra ferro diverberet umbras.*

Quis non videt, mi Lector, hæc omnia reverâ esse absurdissima; ac longe magis, si talia commenta apud ipsos hos legantur Poëtas, atque obiter saltem & perfunctorie examinen-

nentur; cæteræque harum Evocationum circumstantiæ aut simpliciter considerentur; aut inter sese *Homerus* cum *Virgilio*, *Virgilius* cum *Lucano*, *Lucanus* cum *Statio*, *Statius* cum *Heliodoro*, cæterique si qui plures sint (ne nunc de prætensis Historicis loquar) compararentur. Nulla enim illa vel ratione, vel experientia (quibus ubique repugnant) verum solis Poëtarum ac Mythologorum lascivientibus exorbitanter ingeniis, & exinde fictionibus, superstructa sunt: dum interim Historici magis serii, ac Philosophi non nimis superstitiosi, hæc effuse riderent, haberentque, (uti quammaxime sunt) pro absurdis atque anilibus fabulis.

Et tamen hæ absurdissimæ neniæ ac nugæ, patronos suos invenerunt inter Theologos. C. Peucerus enim ita de Lucani Erichtone loquitur: *Apud Lucanum Erichto Venefica Thessala mortuum evocat, qui Sexto Pompejo exitum Pharsalicæ pugnæ denuntiat. Habuit & Phygalia Arcadiæ civitas* ψυχαγωγὰς, *a quibus sciscitari Oracula usitatum fuit.*

Verum, ut hunc aliosque plures prætercam, doctissimus ille, ac cordatus in multis, pater *Thomassinus* [citante illum ex lib. II. cap. 21. de Methodo studendi, elegantissimorum æque ac novorum *Dialogorum Mortuorum* auctore D°. de *Fontanelles*] de hac Lucani fabula ut de verissima, omnique fide digna, Historia loquitur, eamque Historiæ (sed admodum male intellectæ) de *Prophetissa in Endor* conjungit: atque adeo etiam ut solidum satis ac firmum argumentum, pro Diabolicis (h. e. super aut præternaturalibus) operationibus adducit: sicut & ipsi hîc astipulatur D°. de *Fontanelles*, jam modo nominatus.

At si licet mihi hic, cum pace tantorum virorum, aliquid in contrarium reponere; legant illi, quæso, ipsum Lucanum; ac considerent & perpendant, quot & quantis absurditatibus prætensa ista historia scateat, quantisque ac quot contradictionibus laboret; ac videbunt statim, uti puto, ejusmodi

 figmen-

figmenta non nisi furori Poëtico esse condonanda; ac sponte amplectabuntur acutissimi illius, ac cordati Ciceronis dicta: *Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quæ delectationis habeant quantum voles; verbis, sententiis, numeris, cantibus adjuventur: auctoritatem quidem nullam debemus, nec fidem commentitiis rebus adjungere.*

Si tamen tanti viri (vel quicunque præter ipsos eo inclinant) talibus nugamentis gaudere libenter velint, iisque assensum dare, *non equidem invideo; miror magis.* Permittant tamen mihi, meique hîc similibus, tamdiu aliter sentire, quamdiu nondum majori argumentorum vi ac machinis, aut majori rationum pondere, nos ipsorum rationibus convictos, rite, ac cum ratione, fateamur.

Hoc interim observari velim, e poetarum numero multos, hæc ac talia commenta non tantum risisse; verum, & inter ipsos, nonnullos hæc etiam vulgi ludibrio publico (nedum aliorum) exposuisse. Ostendunt hoc (ne plura adducam exempla) Horatius ubi de Canidia & Sagana Satyrice satis narrat historiam illam Poëticam (hoc est lepidum commentum) cujus mentio nobis facta pag. 593. Ac (quæ magis ad rem præsentem spectant) Aristophanes in comœdia, cui Aves nomen imposuit. Namque eleganter admodum prætensam hanc umbrarum evocationem hoc modo deridet, dum sic Socratem, cujus existimationi pene ubique detrahere studet, irrisui Atheniensi populo exponit:

Πρὸς δὲ τοῖσι σκιάποσι λι
Μνη τὶς ἔστ' ἄλυτος, οὗ
Ψυχαγωγεῖ Σωκράτης.
Ἔνθα καὶ Πείσανδρος ἦλθεν
Δεόμενος ψυχὴν ἰδεῖν ἣ
Ζῶντ' ἐκεῖνον προὔλιπεν
Σφάγ' ἔχων κάμηλον
Ἀμνον τιν', ἧς λαιμοὺς τεμὼν

ὥσπερ

Ὥσπερ Ὀδυσσεὺς ἀπῆλθεν,
Κᾆτ' ἀνῆλθεν αὐτῷ κάτωθεν,
Πρὸς τὸ λαῖμα τοῦ καμήλου,
Χαιρέφων ἡ νυκτερίς.

Ad hæc, ſciapodibus pa
Lus quædam eſt illavativa,
Quo animas ducit Socrates
Quo & Piſandrus venit
Rogans animam videre, vel
Viventem illum præreliquit.
Victimas habens camelum
Agnam aliquam, cujus colla incidens
Sicut Uliſſis abivit
Et poſtea adſcendit ipſi deorſum
Ad guttur cameli
Chærephon noctua.

Habemus ſane hic bellam *Umbrarum Evocationem*, ſeu νεκυομαντείαν Socrati per ludibrium affictam. Verum quid miremur id in homine Poëta, qui Deos ipſos in Theatro publico, ac coram omni populo Athenienſi, deridet? quod patet ex iis quæ huic confictæ Evocationi ſic ſtatim ſubſequuntur ibi enim poſt ædificatam in nubibus Nephelococcygiam, conſtitutamque in iis Avium Rempublicam Legatis e Regionibus ſupercœleſtibus miſſis, tam Barbarorum quam Græcorum Dii, de pace inter ſe Deos Aveſque tractant eamque componunt, ea lege ut hi Dii Cœleſtes ſeſe imperio mundi ſpolient, illudque in aves transferant: eo quod Aves intercepto Deorum cum hominibus omni commercio, ſic quoque interciperent omnem fumum ac nidorem e Sacrificiis in cœlum adſcendentes; atque inde metus permagnus Deos invaſiſſet, ne ſic ab Avibus obſeſſi inopia ac fame enecarentur, omneſque ita miſere perirent.

I nunc & crede Poëtis circa illa quæ ratione Miraculorum, prodigiorum, Oraculorum, aliorumque hujusmodi naturæ bonæ atque accuratæ historiæ fide niti debent. Et tamen horum Poëtarum testimoniis pene semper lubentius utuntur, communis commatis non tantum, verum & magni nominis quandoque, scriptores, quam testimoniis Oratorum; nedum Historicorum vel (qui ipsis fere οὐδ' ἐν λόγῳ οὐδ' ἐν ἀριθμῷ) Philosophorum; nisi fuerint ex illorum genere, qui nihil pene præter Dæmonas, seu bonos seu malos, crepant.

Primus inter Græcos τῶν ἐγγαστριμύθων meminit noster Hippocrates; ubi, lib. V. de Morbis vulgaribus, de Polemarchi uxore, quæ anginâ laborabat, ita loquitur: Καὶ κατὰ τὴν καρδίαν ἐδόκει τι ξυλλέγεσθαι αὐτῇ. καὶ ἀνέπνεεν ὡς ἐκ τοῦ βεβαπτίσθαι ἀναπνέουσιν. καὶ ἐκ τοῦ στήθεος ὑπεψόφεεν, ὥσπερ αἱ ἐγγαστρίμυθοι λεγόμεναι. *Eique ad cordis regionem quiddam coacervari videbatur: ac respirabat velut qui in aquam demersi sunt respirare solent: & ex pectore strepitum quendam edebat, qualem Engastrimythæ vulgo dictæ edunt.* Rationem vero propter quam Hippocrates dixit ἐγγαστρίμυθοι λεγόμεναι, *Engastrimythæ* (ita) *vulgo dictæ*, vel *uti appellari solent*, vel *quas tali nomine vulgo vocant*, (ita enim hæc esse explicanda cunctis notum est) magnus ille magni Hippocratis, Interpres Galenus, in Lexico suo Hippocratico, ad hunc modum explicat: Ἐγγαστρίμυθοι] οἱ κεκλεισμένου τοῦ στόματος φθεγγόμενοι, διὰ τὸ δοκεῖν ἐκ τοῦ γαστρὸς φθέγγεσθαι. *Qui occluso Ore loquuntur ita, ut videantur ex ventre loqui.* Et paulò aliter quoque, eodem in loco; Ἐγγαστρίμυθος, ἡ κεκλεισμένου στόματος φθεγγομένη, καὶ δοκοῦσα ἀπὸ γαστρὸς φθέγγεσθαι. Quod plane idem est; nisi quod posteriori loco de fœminis dicat, quod priori de viris dixerat.

Primus autem qui inter Græcos hujus artis auctor habetur fuit Eurycles quidam; de quo Hesychius, in Lexico suo, hæc habet Εὐρυκλῆς ὁ ἐγγαστρίμυθος· ἦν δὲ γένος μάντεων, οὓς ὁμω-

νύμως

νύμως Εὐρυκλεῖς ἔλεγον. Uti & Suidas, Εὐρυκλῆς, πᾶς ὁ ἐγγαστρίμυθος, ἀπὸ Εὐρυκλέους ποιοῦτου τινὸς μάντεως. Quæ illuſtrantur a ſcholiaſte Ariſtophanis; qui ad hæc verba,

Μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν, καὶ διάνοιαν,
Εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς, κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι,

habet: Ἐγγαστρίται δὲ, καὶ Εὐρυκλεῖται ἐκαλοῦντο ἐντεῦθεν, πάντες οἱ μαντευόμενοι, ἀπὸ Εὐρυκλέους πρῶτον τοῦτο ποιήσαντος. *Engaſtritæ & Euryclidæ vocabantur inde omnes Vaticinantes, ab Eurycle, qui illud primus fecerat.* Inventum igitur erat iſtud Euryclidæ; non opus ſupernaturale ac Dæmoniacum.

Quod Hebræi vocant אוב id Græci Interpretes reddunt ἐγγαστρίμυθον, ex vulgari iſta opinione, qua credebant quod ex Ventre (quem Jobus *Utri* aſſimilat) vocem producerent: verum alii στερνομάντεις ejuſmodi homines appellabant, exinde quop exiſtimarent eos tales ex imo pectore voces edere: Ac quidem omnes qui talibus præſtigiis, vere ludicris impoſturis, non Diabolicis aut ſupernaturalibus, utuntur, revera στερνομάντες ſunt, qui ex imo pectore voces ejuſmodi proferunt: ipſorumque luſus & antiquitus, ut vidimus, ſat noti fuere, ac nobis adhuc quotidiana fere experientia magis innoteſcit: uti ex exemplis ſtatim producendis patebit.

Et tamen volunt quamplurimi tam inter Veteres quam recentiores Theologi, ad talia impoſtoribus Diabolico ſupernaturali auxilio opus eſſe; neque ejuſmodi voces, ut plurimum ipſis ex ore, verum, ſi fœminæ eſſent, aut *Ventriloquæ* aut στερνομάντεις, eas ex pudendis erumpere [quam bellam diſtinctionem primus fecit Wiërus; cui tamen Pamelius aliique non ſubſcribunt] ſic enim & ipſe Chryſoſthomus (ex vulgi tamen fama) prodidit Pythiam jam Tripodi inſidentem cruribus divaricatis, ita impurum Spiritum, i. e. ipſum Diabolum, in corpus ſuum recepiſſe, atque ita ore ſuo (quod alii tamen perabſurde, in fabella licet abſurdiſſima ex pudendis

dis factum volunt,) ejus motu Oracula poſcentibus illa reddidiſſe : & tamen hujuſmodi hiſtoriolas ut confiсta mendacio nugamenta, & impoſturas cordatiores Ethnici ridebant.

Ut vero tales ἐγγαστρίμυθοι vel Ventriloqui vocabantur Euryclidæ ab Euricle hujus impoſturæ primo inventore; ſic & appellabantur *Pythones*, a per inſigni quodam harum præſtigiarum artifice, cui *Python* nomen erat. Hinc enim Plutarchus (Dialogo de Oraculorum defectu) Τοὺς ἐγγαστριμύθους Εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ Πύθωνας προσαγορευομένους, *Olim quidem Engaſtrimythos Eurycleas fuiſſe appellatos, nunc vero* (i. e. hujus Plutarchi ætate) *Pythonum nomine venire*, aſſerit. Quæ verba magis elucidantur ab Heſychio : qui in Lexico ſuo habet, Πύθων, ὁ ἐγγαστρίμυθος, ἢ ἐγγαστρίμαντις· ἦν (δὲ) Βυζάντιος τὸ γένος. *Python, Ventriloquus, vel e ventre vaticinans: erat autem genere Byzantius.* Ex quibus non obſcure patet, hunc *Pythona* tam eximium fuiſſe in ea re artificem, ut ab hoc iſta denominatio Pythonis (ac Pythomantis) quoque, Euryclydæ nomine ſic ſenſim abolito, huic impoſturæ generi accenſerit; eoſque qui antea vocari ſolebant *Euryclidæ*, poſterioribus ævis (jam Plutarchi ſaltem) Pythones appellati fuerint.

Hinc occurrit iſta vox Act. c. XVI. v. 16. ubi narratur de puella quæ habebat *Spiritum Pythonis :* quod ex uſu loquendi iſtorum temporum dicitur : quum Græci Bibliorum Interpretes, Apoſtolis atque Evangeliſtis longè tempore priores, nullibi eam vocem, ſed ubique ἐγγαστρίμυθον vel ἐγγαστρίμυθος habeant. Dum interim Vulgata Latina quoque, ex hoc poſteriori uſu loquendi, Pythonas in Veteris Teſtamenti verſione reddit; ut Deuteron. c. XVIII. v. 11. *Nec qui Pythonas conſulat*, &c.

Attamen multi inter eruditos, (ut Mœbius, in tractatu de Oraculis; Denkinſonius, in Delphis Phœniciſſantibus; D. Heynſius, in Ariſtarcho Sacro, aliique præter iſtos) hoc no-

nomen πυθὼν ab Hebraica, פתן *Pethen*, derivari volunt, quod *Serpentem* designat: ut sic inde *Diabolum Oraculo Pythio præsidentem, ac per Pythiæ sive os, sive pudenda, Divina quasi Responsa reddentem, producant.* At minime Judæi Talmudici ac Rabbinici [multo minus qui ipsis longe priores ætate fuerunt, aut etiam Hellenistæ magis antiqui, de tali somniarunt originatione; verum ut vocem *Python* apud Græcos inveniebant pro *Mago*, *Vate* (ac *Pythico Oraculo* quoque) & *Engastrimytho* usurpatum, sic illi istud minime in פתן *Pethen*, verum in פיתום *Pithoom* converterunt.

Ast minime mirum, ejusmodi eruditos vocem *Python* in פתן *Pethen* transmutare; cum & vocem οἰωνὸς (uti vulgo sic notam) *Serpentem* reddant; quæ vox tamen, pene semper atque ubique, *Avem* denotat; ac raro quidem *Signum*, *Præsagium*, vel *Auspicium* & *Augurium* ab *Avibus* (rarius vero ab aliis animalibus) desumptum: & οἰωνίζεσθαι *ex avium volatu, voce*, &c. *Divinare*: non vero ita ex Serpentibus.

Verum quidem est, Hesychium in Lexico habere hæc sequentia: Οἰωνὸς, ὄφνις ἐπιεικῶς γὰρ λέγεται εἰς τὰς μαντείας τὰς ὄφεις ἔχειν· οὓς καὶ οἰωνοὺς ἔλεγον. Sed ὄφεις sive *Serpentes* inter οἰωνοὺς sive σημεῖα (uti Suidas loquitur) *Auguriorum* erant. Ubi enim de οἰωνιστικῇ loquitur, addit, post illa quæ de ὀρνεοσκοπίᾳ sive Vaticinatione ex Avibus, præmiserat, de signis quæ domi obvenire possunt, ac quæ οἰκοσκοπικὰ, appellant, οἷον εἰ ἐν τῇ στέγῃ ἐφάνη γαλῆ ἢ ὄφις, ἢ ἔλαιον ἐχέθη, ἢ μέλι, ἢ ὕδωρ, ἢ τέφρα. ἢ τρισμὸς ἐγένετο ξύλων, ἢ ἄλλό τι, &c. *Velut si Mustela appareat in tecto, aut serpens; vel si oleum* [præter expectationem] *effundatur, aut mel, aut aqua, aut cinis; vel stridor lignorum* (fiat) *vel aliud quid.*

Interim notandum est Hesychium (cujus Lexicon vere eruditionis Græcæ penu est) non tam vulgares vocum significationes, quam quidem eas quæ rariores magisque insolitæ sunt tradere; ut sic Lexicon ejus quasi commentarius in Poë-

tas & alios scriptores magis obscuros, aut antiquos, ab eruditis recte habeatur: inter quæ rariora, atque insolita magis significata, hoc de οἰωνῷ numerandum est: uti omnes sciunt, qui aliquid in Græcis sciunt.

I nunc igitur & hinc confice, mi Lector, argumenta, pro *Diabolo Delphis, per Pythiam, Oracula fundente.*

Verum rursus ad nostros redeamus Ἐγγαστριμύθους seu *Ventriloquos.* Qui quam artificiose, imo facile, hujusmodi fraudes ac præstigias, tam ex naturæ hìc (ut sic loquar) beneficio, quam ex arte, ac continua exercitatione, naturam adjuvantibus, perficere queant, ostendunt nobis præter vetera *Euryclidæ* ac *Pythonis*, aliorumque a talibus edoctorum, exempla, ea quæ Wiërus, Brodæus, ac Emundus Denkinsonius; qui posterior (in Delphis suis Phœnicissantibus, cap. IX.) ita loquitur: *Hoc autem aliter opinantibus, haud officiat: cum mirabilis illa, quæ objicitur* στερνομαντία *ab arte, citra Dæmonis opem præstari possit. Nec desunt exempla quæ id testatum faciunt. Commoratus est Oxoniæ anno* 1643. *vir quidam nomine Fanningius (quem vulgo Regis Susurronem vocabant) hoc artificio insignis. Ille, inquam, verba quæcunque vellet ex imo quasi pectore, clausis immotisque labris, efferre, tam mire potuit, ut e longinquo prolata viderentur. Hunc igitur* ἐγγαστρίμυθον *quos ludos facere? adstantes nempe & secum conferentes ex improviso compellare, agnominare, & dicteriis lacescere, tanta arte, ut vel ante oculos coram lateret. Quid ad hæc adstantes? resilire; oculis omnia perlustrare, agnominantem quærere; & nemine comparente prorsus indignari, scurræ vehementer irasci ac minari; tandem vero, fraude cognita, omnes artificium mirari; sibi tam belle elusis gratulari, ac risu emori. En sine Dæmonio* στερνόμαντιν! *Liceat tamen unnicam historiam, concinnam quidem ac lepidam, quæque ad rem nostram luculenter facit, e Brodæo huc transferre. Vivebat Lutetiæ dum hæc commentarer (inquit ille in* Mi-

Miſcell. lib. VIII.) *Ludovicus Brabantius, Franciſci primi Gallorum Regis cubicularius*, [Wierus etiam Adr. Turnebum teſtem citat; ut qui ipſius Filiis, dum ex cathedra Ariſtophanis Comici Veſpas prælegeret atque explicaret, de hoc homine, quem Lutetiæ quoque viderat, talia affirmarat] *Inſignis Engaſtrimythus, fingendique inprimis Manium voces & ejulatus artifex. Hac igitur arte pollens cum formoſiſſimam ditiſſimamque puellam, patre orbam, amaret; ejus matrem, quæ ipſius præſtigias non noſſet, adiit; mariti vocem palam fingens, qui juberet ut huic viro optimo ac locupletiſſimo eam nuptam daret: ſe graviſſime in igne purgatorio torqueri, quod huic jam pridem petenti denegaſſet: fore tamen ut ex eo citò emergeret, ſi huic eam collocaſſet. Illa, ne multis, protinus marito morem gerit; eique filiam in matrimonium dat. Sexentas id genus fallacias, Gallis pene omnibus notas, referre non eſt neceſſe; hanc porro unam ſilere ſine negligentiæ crimine nequeo. Cum igitur nummis indigeret* BRABANTIUS, *audiretque Lugduni* CORNUTUM *Trapezitam ditiſſimum eſſe, illuc ſtatim proficiſcitur: hominem convenit, ſe cum eo arcanis quibuſdam de rebus clam agere velle oſtendit: ille libenter* BRABANTIUM *accipit: qui pauca primum de religione; dehinc multos de Dæmonibus, de ſpectris, de ignis purgatorii pœnis; de inferorum cruciatibus ſermones refert: ad extremum* CORNUTI *patris jam pridem defuncti vocem ſimulat; qui huic grandem pecuniam ad redimendos a Turcis Chriſtianos captivos dari imperaret. Se jam aliquot Annos in igne purgatorio ſupplicia perferre: ipſum vero, ni ſibi obſequeretur, brevi in ſceleratorum ſedes demerſum iri; quod eum ex uſuris & anatociſmis immenſas præter jus facultates comparaſſe exploratum haberet.* CORNUTUS *primum rei novitate perturbatus; ab eo deinde petiit ut die poſtero rediret; homo revertitur: reverſum, quaſi deambulandi causâ, in planitiem quandam ducit longe a tugurio, a colle, a foſſa,* ab

ab arbore: (putabat enim domi e laqueari aut fissi parietis rima verba sibi dari) BRABANTIUS *cur id fieret probe animadvertens, flebiliter magis quam unquam, antea defunctorum* CORNUTI *parentum manes per omnes Deos quiritari simulat: addidit quod ei commodum fuit. Hoc audiens perculsusque miraculo rei* CORNUTUS, *& nihil jam fraudis inesse suspicatus, præsertim cum eadem postea audiret, quoties quibusve locis vellet; decem* BRABANTIO *aureorum millia numerat, quibus Christianos captivos redimendos curaret. Ipse Venetias ac in Græciam proficisci se prædicans domum revertitur. Ferunt autem non multos post menses* CORNUTUM *(nam totam continuo fabulam rescivit) non interversæ pecuniæ damno, sed Lugdunensium hominum facetius ac derisu, in gravem morbum incidisse, ex eoque naturæ concessisse.*

Hæc quidem ex aliis afferre volui; quibus plura susperaddi possent: verum ut ea narrem, quorum ipse, tam oculatus quam auritus, testis exstiti; referam illa, quæ & domi meæ, & alibi hâc in Urbe Harlemensi, plurimi homines præter me experti sunt; quæque & millenis hominibus Amstelædami (ubi hæc Ἐγγαστρίμυθος mulier in publico Gerontocomio, adhuc nuper vixit) experiri contigit.

Mulier vetula, annorum tum temporis, (A°. Domini nempe 1685.) septuaginta trium annorum, nomine *Barbara Jacobi*, deducta in quodvis, sive magnum sive parvum, cubiculum, ibi præsentibus tot hominibus, ac tam proprie, ob multitudinem eo affluentem, ipsi adstantibus, ut sæpe vix se commode movere posset, sicque adstans lectulo, cortinamque removens, vultumque eò flectens, nulloque modo eum obtegens, loquebatur cuidam personato, seu per ipsam conficto, *Joachimo* in lectulo decumbenti; ipsum de puella hac illave (prout fabula instruebatur) ei adamata interrogabat, sermonesque cum illo ultro citroque serebat; dum interim iste prætensus *Joachimus* nunc fleret, nunc ride-

deret; nunc gemitus, nunc cachinnos ederet; nunc exclamaret, nunc cantillaret: idque ea arte ac gratia, ut nullus hiatus, aut interruptio incommoda, aut hæsitatio, intercurreret, quæ fraudem detegere valeret; verum continuo mutuus discursus ac colloquium, semper rite ad rem ac propositum inciperet, pergeret, ac terminaretur.

Qui præsentes aderant interim obstupescebant: imò multi ex ipsis dejerassent (nisi certo experti, ibi nullum hominem latere) aliquem re vera e lectulo respondisse. Ac risimus inter alia effusissime puellam quandam nunc maritatam, cui (instructa ad id per matrem familias) & præterita, puellæ pene soli huic nota, nobis adstantibus memorabat, & præsentia de ipsius proco indicabat; & futura hinc quoque prædicebat, per hunc in lecto decumbentem Joachimum; idque tanta cum gratia & emphasi, ut illa plane existimans ipsum Diabolum ibi e lecto se puellam alloqui, magno cum pavore ac clamore diffugeret.

Hujusmodi plura, eorumque similia (imo & ubi unus idemque homo tres pluresve simul personas commode sustinebat, simulque viros inter se, aut viros cum fœminis inter se, rixantes, plorantes, cantantes &c. representabat) a me aliisque, tam hîc Harlemi quam alibi, observata adducere possem: sed hæc proculdubio Lectori non nimis difficili, atque alicujus in hoc mundo conversations & experientiæ, sufficient: dum hinc satis clare perspicere queat, quam facili negotio commune vulgus per hujusmodi artificia decipi possit; cum nunquam in mundo homines defuerint, qui naturæ beneficio ad ejusmodi prestigias perpetrandas apti essent: neque hoc ignorare potuerint ejusmodi impostores, qui, aut publicè, aut privatim, communi mundo, in proprium lucrum atque commodum, imponere conati sunt.

Hæc, cum tam clare constet arte & exercitatione commodissime a multis perfici posse, etiam coram astantibus; omniaque

que quæ ſub examen honeſte cadere poſſunt examinantibus; non poſſum ſane non mirari Cœlium Rodiginum : qui nobis ut oculatus, ſaltem auritus, teſtis (qualis ego cum plurimis aliis, neque ſemel aut bis tantum, in nominata jam *Barbara Jacobi* fui,) hæc ſequentia narrat (libro VIII. c. 10.); ut oſtendat talia Dæmonum quoque fraude atque impoſtura perpetrari : *Philochorus, in tertio de Vaticiniis, etiam mulieres vocat* ἐγγαςριμύθȣς. *Id ne quis ut fabuloſum riſu excipiendum putet, teſtatum volumus, tempeſtate hac, imò verò hæc prodente me, fuiſſe in Patria mea mulierculam humili loco, Jacobam nomine, ex cujus ventre* IMMUNDI SPIRITUS *vocem, prætenuem quidem, ſed tamen ubi vellet dearticulatam & prorſus intelligibilem, audivi ipſe : verum & innuneri alii, non Rodigii modo, ſed & tota fere Italiâ, quando futuri avida potentum mens, ſæpe accerſitam Ventriloquam, ac omni exutam amictu, ne quid fraudis occulta lateret, inſpectare & audire concupivit. Cincinnatulus Dæmoni nomen erat, Hac ille appellatione geſtiens inclamanti ſubinde reſpondebat. Si de præteritis aut præſentibus ſcitareris, quæ reconditiſſima forent, reſponſa dabat* SÆPE *mirifica. Si de futuris, ſemper mendaciſſimus. Sed & inſcitiam ſuam nonnunquam murmure incerto, vel bombo verius ignorabili, retegebat.*

Notetur, quæſo, hic I°. Mulierem hanc fuiſſe humilem loco : unde non immerito ſuſpicio exoritur (cum talium exempla perplurima minime deſint) eam urgente neceſſitate, vel incitante deſidia, artes ejuſmodi, quales abſque ullo interveniente ſuper aut præternaturali Diaboli auxilio quam optime exercitas vidimus, perdidiciſſe. II°. Conſideranda argumenta, quibus aſſeritur Diabolum harum præſtigiarum Auctorem fuiſſe : inter quæ primum eſt, quod planè denudata, adeoque & accuratè inſpecta fuiſſet, & tamen nemo aliunde vocem obſervare potuerit : ſecundum verò, quod inclamanti reſpon-

ponderet istæ (prætensus) Dæmon. tertiò, quod de præteritis ac præsentibus *sæpe* mirificè responderet.

Verum ad hæc omnia, mi Lector. sat commodè responderi potest: namque ad primum argumentum respondeo; talia nos in superius memorata *Barbara Jacobi* observasse, ut ejusmodi examen commode pati potuisset, nisi & debitus nobis pudor ac reverentia sexus & honestatis, & ipsi, & nobis adstantibus, obstitisset. Ad secundum respondeo; nihil communius fere esse in talibus, (ut plus semel ipse expertus sum) quam, ut una eademque persona hac modulatione vocis interroget, inclamet, &c. ista vero, respondeat, stomachetur, lamentetur, cantillet, rideat, similiaque hac artificiosa Hypocrisi perpetret, ac per talia spectatores auditoresque ludat aut delectet.

At tertium argumentum, quod jam ipsius Vaticinia spectat, nihil magis solidum ac firmum. Nam quis non videt, talia tales expiscari quam sæpe, per alios conscios atque emissarios, potuisse; cujus rei & argumenta & exempla, dedi in tractatu meo de Oraculis; ac plura hic afferre valeam, si id ullo modo necesse esset: quum præterea nemo nesciat, quam sæpe aliquid prædictum (quod omnibus tamen constat non super aut præternaturali arte factum esse) præter omnem exspectationem sortiatur eventum. Verum, in quo nos ipse *Cælius* juvat, est; quod testetur, eam (vel prætensum eum in ipsa Dæmonem) in prædicendis futuris semper fuisse mendacissimam. Nec certe mirum; cum hîc ista ars flectendi ita artificiose atque occulte vocem ac sonos, eam nil juvare posset. Unde & non immerito (ut sic tamen inscitiam eo velamento obtegeret) bombo aliquo ignorabili, vel murmure incerto, suam inscitiam (adde, & imposturas,) prudentioribus retegebat.

CAP XI.

De תרפים Teraphim; *ac primo de istius vocis etymologia; an scilicet a* רפה, *an a* תרף *Hebr. vel a* ܬܪܦ *Syrorum deducenda sit; uti & qualibus ac quot modis vertant illam tum Græci, tum Chaldæi, tum, denique, Latini Interpretes. Hebræos inter se admodum discrepare circa formam ipsorum* Teraphim, *ac potestatem, uti & prædicendi, per ipsa, modum. Quod ostenditur exemplis. Quid S. Bochartus de ipsis notet, &c. De constructione seu fabrica horum* Teraphim. *Dictorum, super hisce, Rabbinicorum brevis recapitulatio: post quam concluditur, plane incertum esse quid demum fuerint: nisi quod per illa futurorum prædictiones fieri prætenderentur. De Rev. Athanasii Kircheri* capite quasi fatidico; *uti & de* capitibus *a Genebrardo, ac Bachone, fabricatis. De paradoxa admodum, circa* Teraphim, *opinione Cel. Spenceri; qui ipsorum Responsa nunc* Deo, *nunc verò* Diabolo, *adscribit: quæ opinio modeste expenditur ac refutatur. De Michæ* Teraphim; *& an illa revera locuta fuerint. De Labanis* Teraphim, *&c. Qui primi* Diabolum *fecerint* Simiam Dei *(sicut & Heræticos* Simias Ecclesiæ*) ac quam parum id com-*

commentum Deo Omnipotenti, ac summe proprii honoris ac gloriæ Zelotypo, conveniat.

RESTAT denique ut de תרפים *Teraphim* aliquid dicam: de quibus sive *imaginibus sive imagunculis*, sive *Horologiis*, prætensa arte Magica confectis, sive cujuscunque demum generis ac formæ instrumentis Divinatoriis, tam multa multi veteres ac recentiores, (nuperque admodum Eruditissimus Spencerus) scripserunt.

Quod ad vocis originem, aut etymologiam, attinet (quamvis argumentis, quæ unde desumuntur minime delector; eò quod istæ vagæ, vanæ atque inutiles utplurimum sint) Rab. Bechai eam vocem תרופים putat esse Hebraicam, originemque ipsius deducit a נפרים, atque adeo a rad. רפה *laxum* ac *remissum esse*: unde & vocata vult illa תרפים quasi רפים *laxa, remissa*, & *infirma*, ad indicandum ita, quod verba ipsorum sint quasi נבואה רפה, *Prophetia laxa, inanis*, ac *vana.*

Alii derivant illam a Chaldaico verbo תרף. quod uti *Verminosum fieri* ac *vermibus infestari* significat; sicque inde derivata תורפה & תורפיתא &c. apud Rabbinos denotant, *pudenda, fœditatem*, & *ignominiam*, uti & *illusionem* quoque & *ludificationem;* ita & תרפים *idola* sive *imagines cultu sacro destinatas*: etiamsi quoque תורף significet *spatium* illud quod adscribendis temporibus ac personis, aliisque huc pertinentibus, in literis contractuum (uti id apud Judæos in more erat) relinquitur vacuum, ac תרפין *Medicinam*, תנפתא vero *puncturam* ac *cæsuram.*

Alii vero deducunt id nomen a Syrorum verbo ܛܪܦ *taraf*, quod *Percontans* & *inquirens* denotat. Quod mihi, fateor (cum eruditissimo Edmundo Castello) præ cæteris placet. Nec dubium mihi est, quin inde Interpres ille Græ-

cus qui Prophetam Hoſeam tranſtulit eò collimaverit, dum id per δήλους vertit: cum & eadem vox ſignificet *Viſus* & *inſomnia*: uti inde Heſychius: Δήλων ὁράσεων, ἐνυπνίων; & Suidas: Δήλων, ὁράσεων, & Δῆλοι, ὁράσεις, ἐνύπνια.

At diverſis admodum modis vertitur hæc vox תרפים *Teraphim* ab interpretibus: neque uno modo, verum ita longe diverſis, per iſtos Interpretes Græcos, qui vulgo τῶν ἑβδομήκοντα, ſeu *Septuaginta Interpetum*, nomine veniunt, ut hæc ſola diſcrepantia, documento ſatis ſit, non ejuſmodi (ut fingitur) Septuaginta viros unà, ac ſimul, omnes libros S. Scripturæ Canonicos in linguam Græcam tranſtuliſſe: verum longe diverſos, ac quidem diverſis temporibus. Etenim Judic. c. XVII. v 5. & XVIII. v. 14 & 17. transfertur illa vox θεραφείν. I Reg. (ſeu Sam.) c. XV. v. 23. & II Reg. c. XXIII. v. 24. θεραφὶν Gen. c. XXXI. v. 19, 34, 35. εἴδωλα, Ezech. c. XXI. v. 21. γλυπτὸν Hoſeæ c. III. v. 4. οὐδὲ ἱερατείας, οὐδὲ δήλων, cum Zachar. c. X. v. 2. habeatur: οἱ ἀποφθεγγόμενοι ἐλάλησαν κόπους. verum maxime a cæteris diſcrepat Interpres librorum Samuelis: qui cap. XIX. v. 13 & 16. eam vocem κενοτάφια reddit. Ita enim v. XIII. loquitur: Καὶ ἔλαβεν ἡ Μελχολ τὰ κενοτάφια, καὶ ἔθετο ἐπὶ τὴν κλίνην, καὶ ἧπαρ τῶν αἰγῶν ἔθετο πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ, καὶ ἐκάλυψεν αὐτὰ ἱματίῳ. *Et ſumpſit Melchlol* CENOTAPHIA, *& poſuit illa in lecto, &* HEPAR CAPRINUM *poſuit ad caput ejus & obtexit illa veſtimento* & v. 16. Καὶ ἔρχονται οἱ ἄγγελοι, καὶ ἰδοὺ τὰ κενοτάφια ἐπὶ τῆς κλίνης, καὶ ἧπαρ τῶν αἰγῶν πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ. *Et veniunt nuntii, & ecce,* CENOTAPHIA *in lecto, &* HEPAR CAPRARUM *ad caput ipſius.*

Quid hîc ſibi velint illa κενοτάφια (quæ apud Veteres erant *Sepulcra demortuis Vacua*) ac quidem plurali numero expreſſa, minime capio. Namque de urnis Veterum, (quaſi iſtæ & apud Hebræos fuerint in uſu) hîc nemo facile, ut puto, ſomniaverit: nec magis comprehendo, unde habeant non-

nonnulli Interpretes per iſta intelligi *imagines; quales cenotaphiis imponi ſolebant*; ac quidem inter Hebræos ipſo Davidis tempore.

Ut autem hæc non comprehendo, ſic minime quoque capio, unde Græcus Interpres iſtud ἧπαρ αἰγῶν, *Hepar caprarum*, nactus fuerit; niſi id contigerit ex perverſa lectione כבר *Hepar* pro דביא, ut nonnulli eruditi exiſtimant. Attamen Aquilæ verſio, loco ἧπαρ αἰγῶν habet στρογγύλωμα τριχῶν αἰγῶν, ac loco vocis κενοτάφια reddit μορφώματα. Quæ verſio (ſi non potius conjectura) certe melius cum contextu Hebraico, quam iſta prætenſorum LXX. convenit; ac cum Kimchio, qui hîc *Pulvinar ſeu culcitram ex lana caprina intelligit.*

Verum enim vero ne miremur talia minus in Græco interprete, audiamus Fl. Joſephum, qui hîc (ut ſæpius circa alia) ambitioſe παρατραγῳδεῖ, dum lib. VI. c. 14. Antiquit. Judaic. hoc modo loquitur: Ἔπειτα σκευάσασα τὴν κλίνην, ὡς ἐπὶ νοσοῦντι, καὶ ὑποθεῖσα τοῖς ἐπιβολαίοις, ἧπαρ αἰγῶν, ἅμα ἡμέρᾳ τοῦ πατρὸς αὐτῆς πέμψαντος ἐπὶ τὸν Δαβίδην, ὠχλῆσθαι διὰ τῆς νυκτὸς εἶπε· τοῖς παροῦσιν ἐπιδείξασα τὴν κλίνην κατακαλυμμένην, καὶ τῷ πηδήματι τοῦ ἥπατος σαλεύοντι τὴν ἐπὶ τὸ ἐπιβόλαιον πιστωσαμένη τὸ κατακείμενον τὸν Δαβίδην ἀσθμαίνειν. *Deinde parato lecto tanquam ægrotanti, ſtragulis jecur capræ recens exemptum ſubjecit, diluculoque venientibus quos pater ad Davidem miſerat, oſtendit lectum opertum: & quod palpitatione ſtragula moveri viderent, maritum ægrum anhelare perſuaſit; addens totam noctem inquietum eum egiſſe.*

At quis docuit hunc Joſephum, hepar caprarum, mactatis animalibus exemptum ejuſmodi motus edere? cum tales motus vel palpitationes ne quidem in adhucdum viventibus animalibus obſerventur: neque ipſius cordis *Pulſus* aut *Palpitatio* unquam diu in animali jam recens mactato perduret: nedum id fieret in hepate, quod jam e corpore exſe-

ctum ac ſtragulis obtectum erat; atque ita quidem, ut, non obſtantibus ſtragulis, motus ille obſervaretur.

Et habet tamen hic Joſephus ſuos applauſores ac ſuccentores, quique ulterius hanc ſcenam adornant; e quibus Theodoretus (ad I. Sam.) ἵνα τὸ σχῆμα πιθανὸν ἀπεργάσηται (ut propriis ejus verbis, quamvis aliter applicatis utar) hæc fabulæ addit: Καὶ γάρ φασι τῶν αἰγῶν τὸ ἧπαρ κινεῖσθαι μέχρι πολλοῦ. *Et enim dicunt jecur caprinum per multum temporis ſpatium moveri.* Ac Procopius Gazæus (in eundem librum) his minime contentus, hoc modo, ſi non rem certe, Joſephum (uti videtur), explicare nititur: Φυγαδεύσασα δὲ τὸν Δαβίδ, τὴν κλίνην εἰς ἀῤῥωστοῦντος ἐσχημάτισε τύπον, ἱματίων μὲν πλῆθος ἐπιβαλοῦσα, στρογγύλωμα δὲ τριχῶν ὑποθεῖσα τοῖς ἱματίοις, ὥστε μιμεῖσθαι τὴν κεφαλήν. τινες δὲ μορφώματα τὴν εἰκόνα φασὶ τοῦ Δαβίδ, ἣν τοῖς ἱματίοις ἐκάλυψε, πλὴν ἐνίων τοῦ προσώπου μορίων. τὸ δὲ τῶν αἰγῶν ἧπαρ, ἐπειδὴ φασὶν αὐτό τινες κινεῖσθαι μέχρι πολλοῦ μετὰ τὴν τοῦ ζώου σφαγήν. *Dimiſſo vero Davide lectum compoſuit tanquam ægrotantis, multa imponens veſtimenta, ac converſionem pilorum ponendo ſub veſtes, ita ut caput imitaretur. Aliqui vero dicunt* μορφώματα (formaturas ſeu *formas*) *illa fuiſſe imaginem Davidis, quem ſub veſtibus occultavit, extantibus ſolum faciei quibuſdam partibus; adduntque Hepar caprarum, eò quod dicant nonnulli, id moveri per multum temporis ſpatium, jam mactato animali.*

Accurrit igitur huc *jecur caprinum*, ut Gentilium aliquis Deus e Machina. Opportet interim vehementer fuiſſe perſpicaces iſtos regis Sauli ſive nuntios ſive Satellites; qui per tot veſtimenta, vel tegumenta, palpitationes ejuſmodi in Hepate caprino obſervare vel perſpicere valuerunt: aut potius admodum ſtolidos ac ſocordes, qui per talia ſibi tam facile imponi paterentur; ac minime illam faciem ex lana caprina ſimul convoluta compoſitam (& quidem nonnullis partibus detectam) internoſcere potuerint.

At

At cur hîc nulla τ͂ θεραφὶν mentio, quæ, uti in textu Hebræo, ita & apud Interpretes tam libri Judicum, quam libri II Regum, occurrunt. cum & *Teraphim* εἴδωλα & μορφώματα, sive per sculpturam (unde & ab Ezechielis interprete γλυπτὸν, *sculptile*, redduntur) sive aliter confecta essent, & verisimiliter ad humanam formam effigiata, obtinerent caput, ac faciem quæ ulterius adornari aliquomodo poterat, ut fucum faceret non nimium diligentibus inspectoribus.

Inter Paraphrastes Chaldæos Onkelós, cap. XXXI. v. 19. 34. & 35. hæc *Teraphim* vertit אלמניא *imagines*, *Simulacra*. at versu 30. ית דחלתי *Deos Meos* & v. 32. ית דחלתך *Deum tuum* a radice דחל ac voce דאלא, *Timor*; item *idolum* vel *Deus*; eo quod & timore &c. Dii colantur. sicut inde quoque vox דחלולין *terriculamenta*, quæ in arboribus collocantur, ut inde aves deterreantur.

Targum vero quod in Hagiographa quoque Jonathanis nomine, licet falsò, venit, uti ex solo Targum Jobi primo intuitu patet; quod id sit plane farrago plurium Targumistarum simul commixta) vertit quoque, Gen. cap. XXXI. v. 19. 34 & 35. צלמנייא *imagines*, vel *Simulacra*; ac v. 30. צילמי טעוותי *imagines Idolorum meorum*; & v. 32. צילמי טעוותך *imagines Idolorum tuorum*; sicut Jonathan Ben Uziel, in Ezech cap. XXI. v. 22. habet בצלמניא per *Imagines* licet, Hos. c. III. v. 4. vertat, ומחוי *& qui responsa reddunt:* a חוא quod *indicare*, *nuntiare & annuntiare* significat.

Sed notandum etiam, eundem, Sachariæ cap, X. v. 2. Hebræa transtulisse, פלחי צלמניא ממללין אונס *Cultores simulacrorum loquuntur vim* [vel *rapinam*] ubi Hebræus textus habet און *Vanitatem*. Ad quæ (uti & ad Ezech. cap. XXI. v. 21.) Celeberrimus Joannes Coccæus (in Lexico suo Hebraico) notat: *Non puto ut imagines responderent, sed Sacerdotes imaginum; aut aliis signis innotesceret, quod rogabatur.* uti apud Jovem Ammonem, post nutus in Imagine (quasi

(quasi ab imagine) præcedentes, Sacerdos seu Propheta, interrogantibus dicebat; *hoc, aut istud, loquitur, respondit, aut indicat, Jupiter*.

Si vero jam transire volumus ad versionem Vulgatam (quæ nec tota Hieronymi, quantum percipere valeo, nec tota aliorum est; attamen aliquam apud nos auctoritatem mereri atque obtinere debet) videbimus longe melius & secum & cum textu Hebraico convenire, quam illa Græcæ; quæ tam magni, præter meritum suum fit a plurimis eruditis. Namque ut Genes. cap. XXXI. v. 30. vertit: *Deos meos* & v. 32. *Deos tuos;* sic ter vocem *Teraphim* retinet: ac cæteris in locis aut *Statuas (statuamve)* aut *Simulacra* aut *Idola*, aut denique *figuras Idolorum*, transfert.

Quod attinet tandem ad ipsos *Hebræos*, seu potius *Targumistas* ac *Talmudistas;* illi sibi interse circa hæc *Teraphim* minime constant; uti ad cap. XXXI. Genes. breviter ac quamoptime notavit Celeb. Lud. De Dieu.

Quod ut clarius patescat, in medium huc afferam illa, quæ ipsorum primarii de istis loquuntur; imò potius, more Judaico, nugantur, ac superstitiose nimis hariolantur.

Raschi enim (seu Rabbi Salomon Jarchi) ad verba II Reg. cap. XXIII. v. 24. ita loquitur: תרפים צלמים שמדברים על ידי כשפים והעושה אותן צריך לבוין שעה אחת ושנה אחת ראויה לכך: *Teraphim fuerunt imagines quæ loquebantur per artes Magicas. Et qui faciebat istas opus habebat respicere certam horam & annum convenientem ad id.* Cum quibus conveniunt illa quæ idem Salomon habet ad Ezech. c. XXI. v. 21. & Hos. c. III. v. 4. Nisi quod ibi addat, *post ejusmodi Magicas consecrationes ipsa ex semetipsis locuta fuisse, atque annuntiasse futura.* Ad Hoseæ cap. III. hæc habet R. David Kimchi: ואין תרפים לע״ז שהם מגידים העתידות לדעת המאמינים בהם: *Nec sunt Teraphim Idolis, quæ prænuntient futura, juxta opinionem* [NB] *credentium in ea.*

Idem

Idem Kimchi quoque in I Sam. c. XIX. v. 13. ſequentia habet: תרפים יש מפרשים מי הם עז״ כמו התרפים אשר ללבן שגנבתם רחל ולבן עובד עז״ היה כמו שאמר לה למה גנבת את אלהי וחלילה חלילה שהיה בבית דוד עז״ ויש אומרים שהוא כלי הנחשת העשוי לדעת חלקי השעות ויראו בהם העתידות בשפט המזלות לפרש למה שמה אותם במטה במטה מקום דוד ואותו הכלי אינו בהכונה הזאת: *Teraphim quidam Interpretes volunt eſſe Idola, ſicut fuerunt Teraphim Labanis, quæ furata fuit Rachel. Laban fuit Idololatra, juxta id quod dixit ad eam: quare furata es Deos meos? abſit, abſit, quod fuerit in domo Davidis Idolum. Quidam* [NB] *dicunt fuiſſe inſtrumentum æreum, eò factum, ut viderentur in eo partes horarum, & ſimul etiam futura, beneficio aſtrorum. Id poſſit convenire negotio Labanis: ſed in negotio Micholis grave eſt explicare, quare poſuerit illa in lecto, in loco Davidis; cum iſtud inſtrumentum plane non fuerit ad hanc diſpoſitionem accommodatum.*

Ab hiſce quoque non multum abludit R. Moſes Ben Nachman, qui (ſecundum R. Bechai ad Geneſ,) putat quoque eſſe *inſtrumenta ad horas diei cognoſcendas: quibus tamen & utebantur ad futurorum Divinationes.*

Aben Eſra ad Geneſ. hæc ſequentia de iis affert: יש אומרים שהוא כלי נחושת העשוי לדעת חלקי השעות ואחרים אומו יש כח בחכמי המזלות לעשת צורה בשעות ידועות ותדבר הצורה והעד שלהם כי התרפים דברים און ופירוש הפסוק איננו כן וחקרוב אלי שהתרפים הם על צרות בני אדם והיא השויה לקבל כח העליונים ולא אוחל לפרש והעד שהתרפים כן ההרתים ששמה מיכל בת שאול במטה עד שחשבו שומרי הבית שהם דוד וכו׳: *Quidam dicunt Teraphim fuiſſe inſtrumentum æreum, factum ut cognoſcerentur partes horarum. Alii dicunt eſſe virtutem in peritis aſtrorum facere imaginem horis notis, ut loquatur iſta imago. Teſtis ipſis*

ipſis [NB] *eſt locus iſte : Nam Teraphim loquuntur Vanitatem*, Zacchar. X. v. 2. *At ſenſus iſtius loci talis non eſt. Veriſimile apud me eſt, Teraphim habuiſſe formam humanam, ita factam ut recipere poſſet virtutem ſuperiorem; quod tamen ego explicare nequeo. Cujus rei teſtimonium eſt, quod Teraphim, quæ Michol filia Saulis poſuit in lecto, tales fuerint, ut putarint cuſtodes domus, ea fuiſſe ipſum Davidem*, &c.

Denique R. Levi ben Gerſon, (in Geneſin) ita opinatur: התרפים הם על צורת אדם כמו שנראה כמיכל בת שאול והיא צורה נעשית בשעות ידועות יתעורר בה הכח הדמיוני אשר לקוסם וישמע כאלו קול נמוך מדבר אליו בענין העתידות אשר תשוטט בהם מחשבתו לא שזאת הצורה תדבר כי זה נלתי אפשר כי הדבור לא יהיה בזולת כליו אשר שם השם ית בטבע: *Teraphim ſunt imagines formâ humana, uti videre eſt in Michole filia Saulis, fuitque iſta forma facta horis certis ac notis apud ipſos : quâ excitaretur* [NB] *facultas imaginatrix Divinantis; audiretque* [NB] *quaſi vocem ſubmiſſam loquentem ad ſe de rebus futuris, quibus occupata fuit cogitatio ejus : non autem quod iſta figura loqueretur; quod fuit impoſſibile : cum ſermo non poſſit fieri, niſi per organa quæ Deus in natura poſuit.*

Revocanda nobis hîc ſunt in memoriam illa, quæ de *Bahalim Ob*, ac *Vaticinantibus per cranium* mortui, ex cap. VI. Maimonidis de *Havoda Sara*, ſive de Idololatria; attuli; ubi vox *Quaſi* e terra, vel *Quaſi* ex Axillis prodibat; quæ tamen non auribus, verum ſolâ imaginatione percipiebatur; quæque de *Bath Kool* ſeu *filia vocis*; ac de vocibus Ominoſis quaſi ex hoc illove angiportu auditis; ac denique de voce prætenſi Samuelis in Endor notata ſunt; uti & poſtremo, quæ modo paulò ſuperius, tam ex Celeberr. J. Coccæo, quam de Prophetis vice Jovis Ammonis reſpondentibus, dixi.

Ab-

Abſurda valde, imò ridicula ſunt quæ de conſtructione ſeu fabrica horum *Teraphim* habentur tam in Pirke Rabbi Elezaris, quam apud vulgo dictum Jonathanem in Geneſeos cap. XXXI. v. 19. qui ambo pene iiſdem verbis utuntur; niſi quod dictus Eliezer id (cap. XXXVI.) paulo latius exponat *Spiritumque immundum, nomenve ejus*, ipſorum compoſitioni, & lampades accenſas ipſorum adorationi adjungat.

Verba Jonathanis (quibuſcum illa Eliezaris conferri poſſunt) ſunt: ומה הן התרפים שוחטים אדם בכור ומולקין את ראשו ומולחין אותו במלח ובשמן וכותבין על ציץ זהב שם רוח טומאה ומניחין אותו תחת לשונו ונותנין אותו בקיר ומדליקין נרות לפניו ומשתחוין לו והוא מדבר עמהם ומנין שהתרפים מדברים שנאמר כי התרפים דברו און לפיכך גנבתם רחל שלא יגידו ללבן שברח יעקב: *Mactabant hominem primogenitum & avellebant caput ejus, & saliebant illud ſale & oleo [& aromatibus] ſcribebantque ſuper laminam auream nomen* SPIRITUS CUJUSDAM IMMUNDI, *& ponebant illam ſub linguam ejus. Poſtea poſuerunt illud caput* [NB] *ad parietem, & incendebant lampades coram eo, & procubuerunt coram ipſo, & ſic locutum eſt cum eis. Unde autem probatur quod Teraphim locuta ſunt? inde quod dicitur: Teraphim loquuntur Vanitatem* [Zacch. c. X. v. 2.] *Propterea furata eſt illa Rachel, ne indicarent Labano fugiſſe Jacobum.*

Recolligamus nunc, quæſo, quam bene inter ſe concordent illa, quæ jam modo ex Judæis attuli.

R. Sal. Jarchi qui, (quod non immerito, verum rectiſſime, in eo notant & Coddæus, & alii Hebraicè benè periti) *addictior eſt fabulis Talmudicis*, ſtatuit *Teraphim fuiſſe imagines arte Magicâ confectas*, &c.

R. D. Kimchi (qui parum tribuit Talmudicis ac Cabbaliſticis nugis, verum ſenſui hiſtorico & comparationibus Scripturarum inter ſe addictior eſt) exiſtimat id factum ita

Magicè, *ſecundum* [NB] *opinionem credentium in illa:* hæretque etiam admodum in incerto, an fuerint *imagines*, an verò *inſtrumentum* aliquod; cujus formam, qualis fuerit, ignorare videtur; ac dubitandi rationes non contemnendas affert: atque in hâc re Maimonidem ſibi conſentientem habet, *quod ea fierent ſecundum opinionem eorum, qui ejuſmodi ſuperſtitioſis futurorum prædictionibus dediti erant.*

R. Levi ben Gerſon opinatur eas, quamvis fuerint *imagines*, tamen non fuiſſe locutas. in qua re cum Kimchi & Rambam, (ſeu Maimonide) ipſi plane convenit; ac maximè cum Rambam; quatenus id ille in ſola imaginatione ſuperſtitioſorum Idololatrarum conſtitiſſe ponit: atque optime addit, *non poſſe fieri ſermonem, ſeu loquelam humanam niſi per organa, quæ Deus ad id in natura creavit.*

Aben Ezra veriſimile putat. *fuiſſe illa imagines. quæ tamen non fuerint locutæ.* Interim hæret circa virtutes Magicas, ac fatetur, ſe id non poſſe comprehendere; & locum I Sam. cap. XIX. in contrarium adducit.

Verum enim verò, ut multum ab hiſce jam præcedentibus differunt R. Eliezar, & R. Jonathan, ſic admodum abſurda (ut dixi) ac ridicula ſunt ipſorum, circa hæc *Teraphim*, commenta: nec merentur ut hîc aut repetantur aut refutentur; unde & cordatiores Judæi de ejuſmodi nugis ne per ſomnium quidem cogitaſſe videntur.

Interim non defuerunt inter ipſos Chriſtianos qui talibus nugaciſſimis figmentis quoque fidem adhibuere: nec deſunt hodie inter eruditos, qui ut veriſſimas ac certiſſimas hiſtorias amplectuntur, atque in teſtimonium advocant illa, quæ fabularum iſtarum auctores pluſquam Monachali mendacio confinxerunt.

Exemplo ſit hiſtoria illa de capite Gereberti, ſeu Sylveſtri ſecundi, de quo ita G. Malesburienſis: *De Gereberto fama diſperſit, fudiſſe ſibi ſtatuæ caput, certâ inſpectione Syde-*

derum; cum videlicet omnes planetæ exordia cursus sui meditarentur; quod non nisi interrogatum loqueretur, sed verum vel affirmative vel negativè pronuntiaret: verbi gratia, cum diceret Gerebertus, ero Apostolicus? respondit statua, Etiam. Moriar antequam cautem in Jerusalem? Non. Quam historiam, sicut & illam de Rogero Bachone Anglo, quem tale quoque caput fabricasse consingunt, Eruditissimus Anglorum Joannes Seldenus, absurditatis ac mendacii, ubi de *Teraphim* loquitur (in aureo illo opere de *Diis Syriis*) coarguit ac convincit.

Fuerunt namque hi viri, prout secula ista ferebant summi Mathematici: atque hinc, quod indoctæ ac superstitiosæ multitudini plane ignotis uterentur characteribus & figuris, mechanicamque affabre callerent, pro Magis ac Præstigiatoribus habiti.

At quam commode, sine præstigiis Diabolicis, ejusmodi capita, non solum per *ita* & *non* respondentia, verum & magis artificiose loquentia, componi queant, ostendit (præter alia ejusmodi experimenta) caput istud Athanasii Kircheri, de quo in Phonourgiæ suæ cap. VI. libri primi ita loquitur: *Accedit porro, ut Musæum meum privatum in aptiorem patentioremque Collegii Romani locum, quem galeriam vocant, transferre cogerer; intra quam paulo ante dictus tubus translatus etiamnum ab omnibus exteris spectatur & auditur, sub nomine Delphici Oraculi intitulatus; hac tamen differentia, ut quod tubus qui primo elatiori voce prolatâ verba in remota spatia diffusâ, palam propagabat, nunc submissâ & occulta voce, clam in ludicris Oraculis, fictisque consultationibus peragat, eo artificio, ut nemo adstantium de secreto reciproca colloquentium mussitatione instituto percipere quicquam valeat. Quod & advenis in hunc usque diem exhibetur; non sine Dæmonis alicujus latentis suspicione eorum qui machinam non capiunt. Nam & statua os ad normam lo-*

loquentis aperit & claudit, oculos movet. Ideo autem hujusmodi artificium condidi, ut imposturas & fallacias fraudesque veterum Sacerdotum in Oraculorum consultatione ostenderem. Dum enim per tubos fictos (quos in Oedipo descriptos vide) responsa darent, populum unà ad oblationes profuse faciendas, si exaudiri vellent, cogebant; atque proinde hac fraude magni illis lucri incrementum cederet. quamvis Dæmones clam quoque sese eorum operibus immiscuisse non negem.

Sed, ut denuo redeamus ad ipsa *Teraphim*; notandum est, istos Christianos, qui nimium traditiunculis & opinionibus Rabbinorum, ac *Doctrinæ Dæmoniorum* (quæ longe plura quam quidem opportet, aut ipsa S. Scriptura suadet, illis adscribit) addicti sunt, nec inter se, nec cum ipsis Rabbinis per omnia convenire. Communior, uti notum est, opinio, ac pene universalis, prætensa ipsorum Responsa *Dæmonibus malis* seu *Diabolis*, attribuit.

At doctissimus J. Spencerus longe aliam, ac plane contrariam, viam ingressus, illa ex *Divina inspiratione* respondisse defendit; vel *Deum* (ut propriis ejus verbis utar) *quandoque per Teraphim Oracula tradidisse.* Quæ ulterius ostendere nititur Dissertatione VI. Sect. 8. libri de Legibus Hæbræorum Ritualibus; ubi in hunc modum loquitur: *Ne præsentis Argumenti rationibus aut postulatis ullis defuisse videar, ostendere conabor proximò, Deum quandoque per Teraphim Responsa reddidisse, cum scilicet URIM nondum institutum esset, aut forte temporis iniquitas omnem ad Pontificis URIM aditum prohiberet*, &c. post quæ ad argumenta vel rationes, huic opinioni firmandæ ab ipso excogitatas, his verbis procedit: *Harum prima petitur e diserto Scripturæ testimonio. Cum enim Danitæ de Michæ Theraphim famam accepissent, & an Deus ipsorum cœptis affuturus esset prorsus ignorarent; ad Michæ Sacerdotem consilii*

Di-

Divini exquirendi gratiâ se statim conferunt, rogantes eum [Jud. VIII. 5.] *ut consuleret Dominum, ut scire possent, an prospero itinere pergerent, & res haberet effectum. At procul dubio Danitæ non eo stultitiæ desipuissent, ut Oraculum Divinum e Theraphim expectarent, nisi Jehovæ responsa, eo medio quandoque reddita, eos in Oraculi sic obtinendi spem aliquam adduxissent. Neque spes ea Danitas frustrata est, hoc a Sacerdote responsum accipientes: ite in pace; ante Dominum est via per quam ambulabitis. Hujus autem responsi veritatem, adeoque cœlestem originem, felix itineris eventus abunde comprobavit. Deum etiam hujusmodi responsum mediante Theraphim edidisse, non facile dubitandum est; cum Danitæ fama de Michæ Theraphim acceptâ Jehovam consultum irent, & ministerio Sacerdotis ejus ad responsum eliciendum uterentur.*

Prima igitur ratio (sive argumentum) ipsius petitur e diserto, uti perhibet, Scripturæ testimonio: quasi inde liquidò constet, Danitas, ex fama ad ipsos perlata motos, huc misisse legatos, ad consulendum Dominum Deum. At qualenam istud sit testimonium, ad quod tam audacter provocat, videamus ex ipsa S. Scriptura; quæ hoc modo loquitur: *Miserunt ergo filii Dan ex familia suâ quinque viros fortissimos . . . . . ut explorarent terram & diligenter inspicerent . . . . Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim, & intrassent domum Michæ, requieverunt ibi: & agnoscentes vocem adolescentis Levitæ, dixerunt ad eum; Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob causam huc venire voluisti? Qui respondit eis, hæc & hæc præstitit mihi Micha, & me mercede conduxit, ut ei sim Sacerdos. Rogaverunt autem eum ut consuleret Dominum, ut scire possent an prospero itinere pergerent, & res haberet effectum. Qui* [NB] *respondit eis: Ite cum pace. Dominus respicit viam vestram, & iter quo pergitis. Euntes igitur &c.*

Itane hîc aliquid comparet de Michæ *Teraphim*, adeoque & Oraculo vere Divino? Casu huc, ut videtur, diverterunt Danitarum exploratores, ac casu plane & præter expectationem, audiverunt ex Adolescente Levita; ipsum factum Sacerdotem Michæ, ibique ab hoc Micha confecta fuisse & nunc coli honore Divino tam sculptile ac conflatile, quam Ephod & *Teraphim.* quibus illi, cum anxii essent de expeditionis suæ successu (non ex mandato sibi a cæteris Danitis injuncto) moti, hos Deos pro se consuli voluerunt.

At *Jehovam consultum ibant* (ut perverse admodum vult noster Spencerus) & *Ministerio Sacerdotis ejus* [Jehovæ] *ad responsum eliciendum utebantur.* quod ex Bonfrerio firmare nititur, propter voces *Jehova* & *Elohim.* Quod attinet vero ad *Elohim*, certe eo nomine Dii Gentlum sæpissime appellantur: ac vox יהוה *Jehova* etiam a Prophetis *Baalim* aliisque Idololatris: uti ex 1 Reg. lib. cap. XXII. vers. 11 & 12. abunde constat, tum exemplo Zedechiæ filii Cnaanæ, tum ex cæterorum Prophetarum Achabi; contra quos rex Josaphat Prophetam Domini, super futura tunc expeditione, consuli expetebat.

Ut autem clarius perspiciamus, exploratores illos a reliquis Danitis, ut *Jehovam* super itinere consulerent, non fuisse missos, considerentur hæc verba v. 14. *Dixerunt quinque viri, qui prius missi erant ad considerandam terram Lais, cæteris fratribus suis: Nostis quod in domibus istis sit Ephod & Teraphim, & sculptile & conflatile? videte ergo quid faciatis.* Atque ut tandem intelligamus, *quam veri Dei cultores fuerint*, ac *quam ab omni cultus alieni specie & odore abhorrentes* (ut verbis utar Spenceri, qui hoc temere nimis affirmat) attendamus ad verba v. 30. &c. *Filii autem Dan erexerunt sibi Simulacrum* [פסל] *sculptile: Jonathan autem filius Gersom, filii Manasse, ipse atque filii ejus, fuerunt Sacerdotes in tribu Dam usque ad diem transmigrationis* (vel *captivitatis*) *terræ*

ræ. Et posuerunt sibi (פסל) *sculptile quod fecerat Micha, per omne tempus quo fuit domus Dei in Silo.* Si vero nunc calculum instituamus) secundum Celeb. Usserium Armachanium, Domus Dei (seu Tabernaculum) per annos 328. in Silo fuit, ibique ita, post Danitarum expeditionem, per 300. circiter annos permansit; donec a Philistæis abducta fuit. Post quod demum temporis spatium Propheta ac Judex Samuel [vide 1 Sam. VII. v. 3 & 4.] Deos Gentium, atque Michæ Simulacra, ex Israële removit.

Ostendat nunc nobis hic Spencerus (aut alii ipsius vice) tamdiu Deum per Idola a Micha fabricata, Responsa Divina, vel Oracula (si non semper, ad minimum per quædam intervalla) Danitarum tribui, si non & cæteris Israëlitis, reddidisse. Quod certe ne de unica illa Legatorum Daniticorum consultatione ostendere valet.

Ostendat ille, Deum istum Israëlis, qui tam Zelotypus & tantus vindex proprii honoris ac gloriæ est ac semper fuit; ut illam minime לפסילים seu *Sculptilibus* communicare voluerit; verum dixerit. Deut. 27. ארור האיש אשר יעשה פסל ומסכה תיעבת יהוה מעשה ידי חרש ושם בסתר: *Maledictus vir ille qui fecerit Sculptile aut Fusile, rem abominandam Jehovæ, opus manuum artificis, qui etiam posuerit in abdito.* Ostendat, dico, Deum per talia, quæ abominationes vocat & cum ipsis Idololatris internecioni devovet, unquam Divina Responsa sive populo Israëlitico, sive aliis, reddidisse: aut per *Deos fusiles* (ut eos Exod. 34. vocat) locutum fuisse; aut Angelis id per talia permisisse.

Imò, contra, ne quidem ullo modo liquet, ipsa *Teraphim* fuisse locuta; sive id instinctu Divino, sive Diabolico factum statuas. De Michæ Sacerdote quidem constat, illum ad petitionem Danitarum respondisse: *Ite in Pace; coram Jehova est iter vestrum, quo ituri estis.* Verum de ipsis *Teraphim* id

id non magis apparet, quam de prætenso Samuele ab inferis (uti volunt vulgo) evocato; aut de Statuîs tum Jovis Ammonis, tum Apollinis, tum aliorum simulacrorum in Templis Gentilium fatidicis; ubi Sacerdos respondebat, (sicut superius notatum) *hoc, aut illud, respondet Jupiter, Apollo,* &c.

Et tamen infinitæ lectionis vir Spencerus, absque ulla vel minimâ hæsitatione, affirmat, ipsum Deum Opt. Max. per hæc *Teraphim* Danitis respondisse.

Non solo tamen Michæ exemplo hypotheses suas adstruere nititur noster Spencerus: verum & *Laban* ipsi & *Rachel*, & Hosæas ac Zaccharias Prophetæ, vocantur in partes; ne quid omisisse videatur, quod causæ suæ robur addere valeat. *Laban* ipsi *ab Idololatriæ suspicione, & ejus Teraphim ab infami Idolorum nomine, liberantur.* & *Rachel* ipsi tam *pia* in verum Deum fuit, ut Patris suis Idola *furto licet ac mendacio, redemerit.* ô. furacem, certe, ac mendacem pietatem! At *nemo hactenus ipsam*, (testante Spencero) Idololatriæ ream fecit.

Verum melius ex religione patris, Labanis, de ipsius pietate judicium feremus; hic enim Laban de suis *Teraphim*, ut de *Dis* suis ac sibi peculiaribus, loquitur: dum Genes. cap. XXXI. v. 29. אלהי אביכם *Deum Patris vestri* [Jacobi ejusque familiæ] nominat; & vice versâ simulacra sua, seu *Teraphim* [v. 30.] את אלהי seu *Deos meos*, appellat: quæ Jacobus ipsi (versu seq.) regerit, dum, inter alia, respondet: *Apud quem inveneris*, את אלהיך, *Deos tuos*.

Ex revelatione tamen ei per verum Deum facta [quod & etiam Bileamo, Abimelecho, & aliis contigit] in aliqua veneratione videtur habuisse *Deum Abrahami* &c. namque inde, uti mihi videtur, illum simul cum *Dis Nachoris* &c.

con-

conjungit; dum ita jurat: אלהי אברהם ואלהי נחור ישפטו בנינו אלהי אביהם: *Deus Abrahami, & Deus Machoris, judicent inter nos; Dii* [nempe] *Patris ipsorum.* Quem vero hîc Jacobus in testem advocat, est ille *Timor Isaaci*, quem seq. cap. v. 9. ita alloquitur: *O! Deus patris mei Abrahami, & Deus Patris mei Isaaci, Jehova*, &c.

Talia sane asserta mihi demunt laborem cætera ipsi ex Hos. cap. III. & Zach. cap. X. allata (si tamen ad illa redarguenda ullus vel minimus labor necesse sit) refutandi. Nec desunt eruditissimi viri, qui hæc duo loca ita commode explicarunt: ut hic nullus Deus e Machina advocandus sit; nedum ipse Deus. Opt. Max. qui tam absurde a Spencero in patrocinium *Teraphim* advocatur.

At non soli Deo vero has per *Teraphim* respondendi vices, Spencerus adscribit, verum Angelos quoque hoc munere condecorat, dum diserte ait: *Verisimile esse, Angelos, cum Interpretum Divinorum partes agerent, e simulacris quibusdam (Deo & ordini Angelico consecratis) tanquam parvulis Sacellis, respondere solitos; ac compertissimum esse, Angelos ex arca parvula, & angusto Pectoralis duplicati panno, responsa quandoque tradidisse.*

Hæc dicta tamen hic nullo roborat argumento vel exemplo, vel S. Scripturæ testimonio, quo ostendat nobis, unquam Angelos (communi Theologorum sensu sumptos) ex *Arcâ Fœderis*, aut *Pectorali* Sacerdotis summi, Oracula (ac quidem, uti vult, vocalia) reddidisse.

Locutus quidem fuit olim Deus Opt. Max. per Angelos πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *Multifariam, multisque modis*, At quando, aut ubi, id per imagunculas fecit? Vel quomodo, ac quando per *Angelos* ex *Arca Fœderis*; quamvis ipse e medio Cherubim locutus sit?

Deum tamen per *Teraphim* fuisse locutum, astruere ulterius

rius nititur ex eventu, qui hoc Sacerdotis responsum secutus fuit. Verum (ne & alia hujus responsi auctoritati subvertendæ facentia adducam, eventus hîc minime Responsi veram Divinitatem arguit. Sic enim prætensus ille Samuel, in Endor, prædixit quæ brevi subsecuta sunt: sicque rex Nebucadnezar consuluit *Teraphim*, & eventus ipsi respondit. Interim & illius prætensi Samuelis prædictiones, & hujus Nebucadnezaris consultationes, pro responsis aut consultationibus, Diabolicis ab omnibus fere Theologis habentur.

At vide, mi Lector, quam *divisum Imperium hic cum Deo Diabolus habeat!* Namque uti τ͂ *Teraphim* responsa multis ac sæpius data, modò *Deo vero* adscripsit; sic quoque ille idem ea adscribit *Dæmoni*, seu *Diabolo.* ita enim paulò post loquitur: *Plurima Scripturæ Veterumque testimonia passim in hoc opusculo citata, fidem haud incertam faciunt, Dæmonem per responsa ex imaginibus Teraphim aut Seraphim titulo donatis, editas populi fidem sæpe fefellisse. Suadet autem ratio ut tutam ac frequentem illam, sub amico* τ͂ *Teraphim nomine, populi fallendi viam, ex hac sola occasione initium habuisse crederemus. Nempe Deo Opt. Max. sub antiquiora mundi tempora, solenne erat, ex simulacris Teraphim titulo distinctis verba facere; ut hominum animis Numinis præsentis sensum incuteret, eosque rebus in angustis cadentes & consilii inopes erigeret & illuminaret. Cum itaque Diabolus populum imaginibus hisce Propheticis facili fide & affectu adhærere senserat, ipse tandem (ut nubem eo densiorem fraudibus Ejus abjiceret) auctor extitit ut illius Mystæ statuas consimilis figuræ fabricarent; curavit etiam, ut iisdem (quantum fingere datum) Divinitatis insitæ signis, & recepto* ANGELORUM LUCIS *nomine* [*Teraphim aut Seraphim.*] *inclarescerent*, &c.

Nunc velim quoque Spencerum, ejusve asseclas interrogatos

tos; si *plurima Scripturæ Veterumque testimonia fidem haud incertam faciant, Dæmonem per responsa ex Imaginibus Teraphim aut Seraphim titulo donatis, edita, populi fidem sæpe fefellisse*, unde talia testimonia depromere queam? Id enim nullibi ex Sacra Scriptura apprehendere aut comprehendere potui: sicut nec unquam ullum jure indubitatum testimonium vidi in veterum, vel recentiorum cujuscunque generis scriptis, Diabolum ullibi aut unquam per imagines, ut per loquelæ, ac responsorum, instrumenta, fuisse locutum.

Verum tamen, posito paulisper pro vero (quod justo testimonio ipsis demonstrandum manet) *Dæmonem per Teraphim quandoque fuisse locutum*, quibus modis, vel quibus indiciis, discernere homines ritè potuerunt, atque uti opportet distinguere, inter *Teraphim* Diabolorum ope aut ministerio locuta, & locuta ex motu vere Divino? quin & unde homines quoque comprehendere valuerunt, una eademque *Teraphim* semper aut Divina solum, aut Diabolica reddidisse responsa; *cum tam tuta ac frequens ipsi* [*Diabolo*] *hæc fallendi via esset: hominesque ille tam facili fide & affectu adhærere imaginibus hisce Propheticis senserat.*

Adeone enim Deus populum suum circa Prophetias, ipsarumque veritates, in incerto reliquit, ut vix, ac quandoque ne vix quidem, internoscere valerent *Deusne* an *Diabolus* ipsis loqueretur?

Certe si talia jam ante Mosem tam frequenter contigerant, ac post Mosen adhuc exspectanda erant, opportuerat istum Legislatorem, cum de falsis *Prophetis* ac *Prophetiis* loquebatur, eorumque indicio (ut ab illis sibi populus cavere posset) prodebat; opportuerat, dico, ipsum simul monuisse Populum Israëliticum, *eum per Teraphim quoque falli posse;* ut ex quibus sæpe, dum responsa vere *Divina* exspectabantur, reddebantur responsa non *Divina* sed *Diabolica*.

Itane etiam *Deus* ille *Verus*, *Solus*, *unicus* & *Omnipotens*,

tens, atque ex iſtis fundamentis *Deus proprii honoris ac gloriæ ſumme Zelotypus;* quique Honorem aut gloriam ſuam nullis אלהים נכר ſeu *Diis Gentilium*, aut *Sculptilibus* conceſſit, aut ab aliis concedi paſſus eſt; itane ille conceſſiſſet *Diabolo* eam Gloriam, ut pro vero *Deo* ſe tuto venditare poſſet, ac ſic *Populum Dei* (quem per Prophetas ſuas ſic perpetuo pene ab Idololatria dehortatus fuit) ad Idololatriam & Dæmonum Gentilium cultus propelleret; dum per quaſi Divina reſponſa ipſi illuderet?

Diabolus tamen, ſecundum quamplurimos, *Simia Dei* eſt, ipſumque & in Scripturis & in Ritibus confingendis, ac Miraculis perpetrandis, æmulatur. Ita enim Juſtinus Martyr primus, quod ſciam, (Dialogo cum Tryphone,) ac poſt ipſum Tertullianus (libro de Præſcriptione adverſos Hæreticos,) ſecutus, cæterique pene omnes tam veteres quam recentiores Theologi, affirmant.

Nec mirum id certe; cum & Cyprianus, hæreticos *Simias Eccleſiæ faciat*, tum alibi, tum in Epiſtola ad Jubajanum, de Hæreticis; ubi de Novatiano hoc modo loquitur: *Nam Novatianus Simiarum more, quæ cum homines non ſint, homines tamen imitantur, vult Eccleſiæ Catholicæ veritatem ſibi, & veritatem vindicare, quando ipſe in Eccleſia non ſit: imò adhuc contra Eccleſiam rebellis & hoſtis extiterit.*

Verum uti perfacile fuit iſtis patribus (quandoque zelo, at non ex ſcientia, nimium abreptis) partes ſibi adverſas,& circa nonnulla æque, ſi non & magis, Orthodoxas, pro *Eccleſiæ Simiis*, imò & *Diabolo obſeſſis* habere; ſic & facile potuerunt confingere, *Diabolum Simiam Dei.*

Quis vero credat, mi Lector, *Deum Opt. Max.* de cujus Omnipotentia ac Zelotypia, non niſi impie talia cogitare poſſemus, *Diabolum* illum triſtiſſimæ generi humano ſedu-

ductionis reum, ac damnationis auctorem, (ob quæ & ipse damnatus, atque in ima Tartara detrusus ibi ad diem Judicii, catenis tenebrarum alligatus, custoditur) tanta adhuc, (post veri Christi adventum, quo Serpentis caput contritum est,) gratiâ apud Deum valere, tanta licentia ac nequitia in genus humanum grassari, ut impune ipsi liceat, ac perpetuò, laborare in illius æternam perniciem: ac, quod plus est, ut confictis, Oraculis, Miraculis, Ostentis, Ominibus similibusque, se *Dei Simiam* gerat, *pro Deo* sese haberi velit, ac pene ubique, ac semper (imprimis tamen apud Gentes minus prudentes aut expertos) sub tali persona, incautos in æternum exitium perducat illos, quos Salvator noster J. Christus proprio suo, atque inæstimabili, sanguine redemit? An vero Jesus Christus qui *nos ab omni vi ac potestate Diaboli liberavit;* id non aliâ fecit conditione, quam ut quotidie nobis magis magisque contra ipsum [Diabolum] depugnandum sit; si per gratiam Dei, ac fidem in Filium ejus in Regnum cœleste intrare, ibique in æternum vivere ac gaudere velimus. dum interim illi permittitur (quasi catenis suis solutus per totum mundum, istum in finem divagari liceret) si non *vi*, [dolus an virtus, enim, quis in hoste requirat] *astutiâ* saltem ac *dolis*, nos a Deo; ipsiusque imperio, ad sese in infernum, ac damnatorum sedes, pertrahere?

Hoc, certe, non facile mihi persuaderi patiar; neque ita me docet textus Authenticus Sacræ Scripturæ: quem non minus quam cæteri verè atque Orthodoxè Christiani, pro vero verbo Dei & habeo, & semper habebo.

Verum enim vero, ut huic capiti de *Teraphim* (adeoque & toti operi) finem imponam: Dico ex omnibus de *Teraphim* a me jam adductis, nihil aliud posse concludi, quam quod fuerint *instrumenta* quædam *Divinatoria*, quibus Ethni-

Ethnici (vel Idololatræ) Orientales, ut futura (forsan & alia) inde, quasi Divinitus, cognoscerent, abutebantur.

Quod autem humanam formam habuerint, ne quidem ex Micholis exemplo (1. Sam.) satis clare ostendi potest: diversæ tamen magnitudinis fuisse, ex Labanis & Michæ *Teraphim* cum istis Micholis collatis, non male, quantum opinor, concluditur.

Celeberrimo

D°. STEPHANO MORINO

S. Theol. Doct. & Ling. Orient. Professori, &c.

NOn potui non, Celeberrime vir, post nactam tuam beneficio dulcissimi nostri Almelovenii, amicitiam, affectare quoque tuam familiaritatem: ut sic mihi oboriatur occasio ulterius quid proficiendi, dum tali utor circa studia mea Magistro.

Ansa certe mihi data fuit, arrepta saltem, eo colloquio, quod mihi in musæolo meo tecum intercessit, super *Codice Pentateuchi Samaritano;* quando sc. iste primum allatus fuerit ad istos *Chaldæos*, *Cuthæos*, ceterasque gentes, quos Salmanasser, post devectos in captivitatem ac servitutem Israëlitas, in ipsorum jam vacuas urbes ac regiones transplantaverat; atque an ille Sacerdos, qui missus fuerat a Rege ad populos illos jam Leonibus ob Idololatriam infestatos, S. Sanctæ *Legis Codicem* ullum, vel (quod plus est) ipsum Mosis *Pentateuchum*, eo secum detulerit: an vero, ex adverso, hi populi eum dudum post ista tempora, ac quidem tempore Sanballetis, a Judæis cum Manasse ad hos *Samaritanos* transfugis, acceperint.

Quæ me movent ut credam, ipsos non ante Sanballeten *Pentateuchum* possedisse, sunt I°. Israëlitas a Roboanno primo usque ad Salmanassarem, atque ita per 270. annos, sine ulla intermissione (ita enim ipsa loquitur S. Scriptura 2. Reg.

XVII. v. 22.) & Religioni & Cultui Idololatrico adhæsisse: atque ita quidem, ut quis sibi imaginari, vix, ac ne vix quidem, queat, quomodo ullus *Codex Legis* in isto populo con-conservari potuerit: cum in ipsa Judæa (ubi minus perpetuò Idololatria vigebat; quod subinde Rex aliquis veræ Religioni deditus ibi imperaret) ipse populus semper adhuc ita Cultibus Idololatricis implicatus manserit, ut tales pii Reges nunquam Idololatriam extirpare valerent; verum illa semper magis magisque, licet pressa, resurgeret; ac tantus inde Legis sequeretur neglectus, ut tempore Josiæ *Codice Legis* reperto ac lecto, stupor & Regem & reliquos invaderet, quod audirent talia in ipso contineri, qualia ipsi plane ignorare videbantur. Quod certe fieri non potuisset, si præter istud exemplar plura alia, tum manibus populi (Scribarum saltem, Sacerdotum, ac Levitarum) versata fuissent. Et certe Jeremiæ tempore in Judæa (vide cap. 6. v. 13.) *a Propheta usque ad Sacerdotem unusquisque inter illos prævaricabatur.* Unde & conjecturam facere licet de Sacerdotibus populi ac Regni Israëlitici, si qui inter illos cum reliquo populo ob Idololatriam avecti fuerint.

Verum enim vero, an ulli alii Sacerdotes ac Levitæ, præter Apostatas, cum reliquo populo in servitutem atque exilium abducti fuerint, merito quis dubitet, imò potius deneget, qui considerat, Roboamum (seu Jeroboamum) cum jam erexisset, in Dan & Bethel, *Hircos* & *Vitulos* [ita enim loquitur S. Scriptura 2 Paral. XI. v. 15.] *ac Sacerdotes sibi constituisset ex fece vulgi, omnes Sacerdotes ac Levitas, qui in toto erant Israele, suas possessiones reliquisse, & demigrasse in terras Judæ & Jerusalem: sicuti & omnes illi qui verum Deum, veramque ejus quærebant ac colebant religionem.*

Illi autem ita demigrantes, procul omni dubio, omnes Sacros *Codices Legis*, si qui [NB] inter ipsos essent, aliosque

que libros Sacros secum transportarunt in terram Judaicam; ne ab Idololatris prophanarentur, veraque religio ac verus cultus veri Dei, in ipsis injuria afficeretur. Ac si qui ibi remanerent Apostatæ Sacerdotes ac Levitæ, certe, de iis minime cogitandum est, ipsos majorem curam ejusmodi *Codicum* gessisse, meliusque eos conservasse, quam pii illi ac vere religiosi in Judæa; qui inter plurimos Idololatras, sic ut poterant veram religionem, verumque cultum, conservabant.

Quo minus quoque cogitari potest, ipsos jam debellatos, captosque, & hinc in exilium ac servitutem avectos, vel avehendos (ac quidem propter Idololatriam) tanta tum temporis fuisse pietate, (cum tamen essent Idololatræ) ut per ruinas ac rudera, si alicubi forte latitassent, *Codices* perquisissent, secumque in servitutem detulissent: quasi non in servilem captivitatem abducerentur: sed ita commode ac placidè inde demigrassent, ut supellectilia secum portare potuerint.

Verum, siquidem constaret ullo modo, eos *Codicem* aliquem inde secum avexisse in perpetuum istud, ac necdum finitum exilium, eumque in servitute illa conservatum fuisse; ostendendum restaret, Sacerdotem illum (cujus mentio fit 2 Reg. XVII. v. 27. 28.) eundem *Codicem* nactum fuisse, aut Apographum ejus; ipsumque ad istos *Cuthæos* &c. detulisse.

Attamen, dicat aliquis; Sacerdos ille ad *Cuthæos* cæterasque gentes missus, ipsos docuit Legem. Hoc, certe, non dicitur; verum: *Docebat ipsos quomodo illi timerent Dominum:* quod ex patroparadotis, seu traditione, is facere potuit. Nec denegare velim, ullos vere pios isti servitutis voragini involutos fuisse; aliosque inter ipsos, quasi ex alto Idololatriæ lethargo, hac pœna excitatos resipuisse; atque ibi quoque, quamvis absque *Lege scripta* (quod usque ad Irenæum, atque ulterius multi faciebant Christiani, inter tot

tantosque Hæreticos) Deum coluisse: sed quæstio tota hic versatur circa *Pentateuchi Codicem*; quem secum detulisse ex Assyria minime liquet: ac multo minus aliquem inter illos Israëlitas, quos quis forte credat ibi fuisse derelictos (de qua re quoque minime constat) sibi *Codicem* talem conservasse: uti ex præcedenti temporum constitutione satis clare elucescit.

Si porro consideremus, quales fuerint, post hanc Sacerdotis institutionem hi *Chaldæi*, *Cuthæi*, &c. ac quam parum *Legis* observantes ac pii; reperiemus ipsos fuisse æque Idololatras ac illi, qui temporibus Jeroboami & Achabi, Regumque similium Israëlitarum, alterutro latere claudicantes, Dîs suis unaquæque gens sacrificabant; imò & filios suos Molecho; sive is Anamelech esset, sive Adramelech.

Adde & quales sibi adsciverint Sacerdotes. Hi namque tales plane fuerunt, quales Jeroboamus sibi (*Vitulisque* & *Hircis* suis) constituerat: uti clarissime perspicitur, ex collatione libri 1. Reg. c. XII. & 2. Reg. XVII. v. 32. Ex quibus & conjecturam facere licet, quam bene Legem edocti fuerint; & an Sacerdos ille Legem ipsam iis apportaverit, prælegerit, & ex ista ipsos instituerit, ipsique istum Codicem inter se conservaverint.

Sic & considerandum venit, quamdiu illa Idololatria, qua *unaquæque gens suos colebat Deos*, *&c.* perduraverit.

Ad minimum, certe, id fuit usque ad reditum Judæorum ex Captivitate Babylonica, ac Templum denuò a Zorobabele exstructum; atque adeo per annos circiter ducentos; si ponamus Secundum Regum Librum statim post liberationem ex ista Captivitate fuisse conscriptum. Sin vero illud tempus, quo primum *Codicem* nacti sunt, extendamus ad Sanballetici (seu Samaritici) Templi ædificationem, ipsorum Idololatria pene per 400. annos sese extenderit.

At qualis fuit ille *Sanballetes?* nempe ex urbe Moabitica

Ho-

Horonaim, minime vero Judæus: quique ad ipsum transibant Judæi, erant homines, qui (contra veræ Legis præcepta) alienigenarum matrimoniis, unà cum Manasse (Sanballetis genero) implicati erant. Cui addendum ex Josephi libro Antiquitatum secundo (cap. ultimo) patere, *istos Israëlitas qui jam tempore Alexandri Magni inter Cuthæos, seu Sichemitas, &c. versabantur, fuisse illos Judæos, qui cum Manasse Jaddi fratre, a reliquis Judæis ad Cuthæos, &c. defecerant: usque numerum fuisse adauctum per alios Judæos, qui ob crimina commissa ex Judæa eò refugium quærebant.* Quod fere semper in talibus, ac similibus, locum habuit.

Manassen igitur primum istuc detulisse *Pentateuchum* satis certum puto; idque eo magis, quod is cum suis transfugis Judæis inter ejusmodi Gentes quales *Cuthæi*, &c. erant, Templum ædificaret; atque, ex isto Schismate, necesse haberet *Codices* (vel *Codicem*) eo secum deportare, ad cultum religiosum, ac ministeria Templi, cui jam ut Summus Sacerdos præfectus erat, constituenda.

Quibus accedat quoque, quod *posteriores Samaritani* Historiam de transportatione *decem Tribuum* prorsus ignorent. Solus quippe *Pentateuchus* ad ipsos pervenit, relictis in Judæa cæteris libris Propheticis & Historicis, qui illud certò ipsos docere poterant. Uti & (2°.) quod ex permistione illa *Cuthæorum* &c. cum transfugis istis Judæis, amphibii isti (ut sic loquar) *Samaritani*, si Judæis essent felicia tempora, se Judæorum cognatos esse jactitarent; sin vero infelicia atque improspera, se Colonos esse Assyriorum, asserent.

Vides interim, Celeberrime vir, me destinguere *Codicem Legis* a *Pentateucho*: quod credam *Codicem*, vel *Codices Legis*, ante Captivitatem, fuisse sub custodia Sacerdotum ac Levitarum; [Prophetas interim hic minime excludo] ex quo-

quorum numero Scribæ Sacri (si quando id, permittente Idololatria populi publica, ac sub Regibus Idololatris, locum habuit) fuerunt : atque ita hinc *Codicem*, ne quidem optimis Judæorum temporibus, vulgi manibus tritum fuisse.

An vero id locum, inter Israëlitas perpetuò Idololatriæ adhærentes habuerit, locumve habere potuerit, cuivis mediocriter istorum, prout licet, temporum gnaro, considerandum quoque relinquo.

Quod porro attinet ad *Pentateuchum*, (cujus mentionem ne quidem in Esdræ aut Nehemiæ, aut ipsorum Maccha-bæorum libris reperimus) is, certe, mihi (cum Hieronymo aliisque eruditissimis viris) compositus videtur ab Esdra Scriba: eumque Esdram, ex directione & instinctu Divino, cum ex *Codice Legis* (quam totam huic operi inseruit) tum ex aliis libris, historicis quidem at vere Propheticis, istum composuisse. Quod si verum est, ad *Cuthæos* ille Sacerdos Israëlita nullo modo adducere potuit *Pentateuchum*.

Denique considerandum est, post *Legem* ita *Pentateucho* comprehensam, ac singulis Sabbatis populo in Synagogis prælectam, Judæos nunquam denuò prolapsos fuisse in Idololatriam. Sic, ex contrario, *Samaritanos* istos per centenos annos ita utroque latere claudicasse; (quod jam ostendi,) semper Idololatriæ impliciti manerent. Quod procul omni dubio, non ita contigisset, si Pentateuchus inter ipsos lectus, ac populo prælectus, fuisset.

Si denique ponamus Esdram instauratorem tantum fuisse *Pentateuchi*; illaque quæ Moses (uti Aben Esra, Masius, Rich. Simonius, imò ipse Huëttius aliique, opinantur) ipse scribere non potuit, ab Esdra fuisse cæteris inserta vel addita; certum est, ante Esdræ hanc instaurationem Samaritanos *Pentateuchum* non potuisse habere : cum eadem illa, quæ Esdras inseruit aut addidit in ipsorum *Pentateucho* quoque

que

que compareant. Unde liquet etiam clare, Eſdram literas Sacræ Scripturæ (*Samaritanorum* uſui veteribus relictis) non mutaſſe.

Ita ut, ſi literæ fuerint mutatæ, id non ab Eſdra factum fuerit, ſed a *Samaritanis*; quorum *Pentateuchus Apographon Pentateuchi Judaici eſt*.

Hinc eſt, Celeberrime vir, quod (ut literæ Hebraicæ mihi videntur quoque antiquiſſimæ) primum locum, maximamque auctoritatem *Pentateucho Judaico* tribuam; huic vero proximam *Pentateucho Samaritano*, ut *Judaici Pentateuchi apographo;* poſt hos *verſioni Vulgatæ;* ac poſtremo inter illos loco *Verſionem* ꝧ LXX. (ita dictam) *Interpretum* habeam.

Clarissimo

D°. ANTONIO VAN DALE

S. P. D.

STEPHANUS MORINUS.

UT prima, vir Clarissime, amicitiæ nostræ Conciliatio mihi fuit gratissima sic suavissimum erit illius exercitium; tantum optassem, ut commodius occurrisset argumentum; illud enim quod proponis innumeris difficultatibus est obnoxium, nobisque in continuis tenebris erit necesse versari; quia parum lucis, a me saltem, potest sperari: sed defectum meum tuâ solertiâ supplebis, atque ex mutuo sententiarum diversarum concursu nonnullæ scintillulæ etiam poterunt micare; quamobrem responsionem hanc libenter aggredior.

Non mihi videtur in dubium revocari debere Sacerdotem, cum suo Pentateucho, ad novos debellatæ Israëlitarum regionis Colonos a rege Babylonis missum fuisse, paulo post captivitatem; quia expresse legitur 2. Reg. 17-25. hos בתחלת *in principio* a leonibus fuisse infestatos, quoniam Deum regionis Dominum legitimo cultu non prosequebantur; quo audito Rex unum ex deportatis Sacerdotem mittendum curavit, ut cum illis maneret, illosque doceret את משפט *modum legitimum* colendi terræ Deum: id autem non potuit præstari absque *Pentateucho*, quo cultus ille præscribitur, & divinitas imperatur: nam cultus illius fundamentum est ob-

obſequium, quia ἐθελοθρησκείαν averſatur Col. 2-23. & mandatorum ſuorum obſervationem ſacrificiis præſtantiſſimis anteponit. 1. Sam. 15-22. Debuit igitur ille ſacerdos ante omnia his gentibus exponere Conſtitutiones Dei, circa ſacrificia, & cæteros cultus, ut dum iis vacarent, ſe Deo obſequi ſcirent: unde in lingua Ebræa verbum *docendi*, & *lex* eamdem originem habent, ut vera doctrina a lege pendere agnoſcatur: doctor igitur ille ſecum deferre debuit legem, & Deum imitari, qui in ipſo Ægypti exitu, & itineris ad Chananitidem exordio legem dedit.

Verum enim vero temerarium eſſet affirmare, ipſiſſimum fuiſſe Moſis αὐτόγραφον, quod in poteſtate Iſraëlitarum non erat, ſed in templo Hieroſolymitano a pontificibus debuit aſſervari, ut ex eo cæteri Codices exſcripti corrigerentur; quum legamus Deut. 31-24. Moſem ſcripſiſſe totam legem, eamque Levitis dediſſe, ut ad latus arcæ illa conſtitueretur, & ibi eſſet לעד *ad teſtimonium* reddendum de veritate: nihilominus ſi ſtatutis Judæorum ſtare velimus, exiſtimare poſſumus Moſis quoddam αὐτόγραφον etiam fuiſſe in Iſraëlitarum manibus; quoniam docent Moſem morti proximum tredecim legis exemplaria propria manu exaraſſe, & unum ſingulis tribubus dediſſe, & unum præterea Levitis; de quo dixit Deus lib. 6. לקח *accipite*, & *ponite* ad latus arcæ &c. ut ad illa ſingulæ tribus, ad hoc omnes ſimul recurrerent, & ex conſenſu uniformem conſervarent fidem & cultum: non autem impoſſibile fuit, inter decem tribus captivas, unum ſaltem, ex decem exemplaribus fuiſſe conſervatum. Potuit alia inſuper ratione illud exemplar habere hic ſacerdos, quoniam lex a Moſe ſcripta non tantum datur ſacerdotibus, ut illam ſingulis Iſraëlitis exponerent; ſed etiam data dicitur *omnibus Iſraëlitarum ſenioribus*. Deut. 31-9. quin R. Moſes Maimonides, in Jad Chaz 1. part. lib. de dilectione cap. 7. Sect. 1. docet, quod unum eſt, ex præce-

 ptis

ptis assertivis, quod obligat unumquemque Isralitam, ad sibi propria manu scribendum librum legis secundum hæc verba Deut. 31-19. *nunc scribite vobis hoc Canticum* &c. כלומר כתבו לכם תורה שיש בה שירה זו לפי שאין כתובים את התורת רשיות: *est enim quasi diceret : scribite vobis legem in qua extat hoc Canticum, quia non scribunt legem divisim & per sectiones :* imo addit, quod quamvis aliquis habuisset librum legis a majoribus scriptum, tenebatur alterum propria manu scribere in proprium usum; quod confirmatur exemplo regis, qui ob gravia negotia ab hoc labore videbatur excipi debere, & tamen audi legem Deut. 17-10. *Simulatque insederet solio regni sui, scribat sibi legis hujus exemplar, secundum illud, quod est in conspectu Levitarum;* seu αὐτόγραφον Mosis, quod cæterorum norma esse debuit : quin Rabini volunt, quod si jam grandævus esset, alterumque jam descripsisset, dum privatus erat teneretur alterum denuo scribere, ut legi satisfaceret. Denique tanti faciunt illa sua exemplaria Judæi, ut nullo pretio illa concederent : & qui omnem pietatis curam abjiciunt, illorum conservatione, hujus defectum aliquo modo suppleri posse arbitrentur : quamobrem plurima exemplaria legis fuerunt inter captivas tribus, & proprium habere debuit missus sacerdos, aut cito etiam describere potuit. imo ipsi Samaritani, in suis ad celeber : Jobum Ludolfum mihi amicissimum literis, jactant se habere in tabernaculo conventus montis Gerisim legem scriptam ab Abisua filio Phineesi pontificis anno decimotertio ab Israëlitarum in Chananitidem adventu; tamdiu illam conservasse longe fuit difficilius.

Minime autem probabile existimo delatum Manassis Jadduæ pontificis fratris tempore ad Samaritas pentateuchum; quandoquidem antea profitebantur Judaicam religionem; primo enim Hierosolymi templi resurgentis exordio sub Esdra suam operam ad illius restaurationem offerunt, affirmantque

se

se Deo sacrificasse a tempore Esarhadonis, qui e patria in Samariam eos deduxerat, addunt Judæos alloquendo : ככם *sicut vos Deum quærimus*, seu colimus Esd. 4-2. Josephus l. 11. Antiq. c. 4. Esdras Apocryphus etiam lib. 3. c. 5-69. Constare autem debet religionem a Deo Israelitis præscriptam non potuisse observari absque lege sacra, victimas, festa, cibos, vestes, varias purificationesque præscribente.

Præterea video apud Josephum l. 12. c. 1. acerrimas contentiones inter Judæos, & Samaritanos, fere ipso Manassis tempore jam interfuisse ob τὴν πάτριον ἀγωγὴν τῶ ἐθῶν *instituta patria, & vivendi rationem*, unde licet colligere, non ortas a recenti institutione, sed a diuturna majorum consuetudine; utramque autem communi lege inniti oportuit, ut continuæ controversiæ daretur locus, alioquin Judæi divina lege sua freti plenam illico reportassent victoriam; debuerunt igitur eadem admittere statuta, & super diversa eorum expositione dunctaxat digladiari, quia de divino cultu agebatur : revera continuata est altercatio sub Jadduæ, & Manassis regimine, qui fratres erant, in Judaica religione educati, & summi pontifices, ac legis Mosaicæ propugnatores æqualiter haberi satagebant.

Imo tantum abest, ut a Manasse putem ad Samaritas delatum Pentateuchum, ut multo verisimilius mihi videretur, illos a prima antiquitate illum ante schisma habuisse, nisi diversitas literarum, quæ a genuina forma paulatim degeneraverant inter Babylonios, persuaderet sacerdotem ab aula Babylonica missum, ad docendam coloniam Babyloniorum, suum Pentateuchum literis Babylonicis curasse describi, & propterea hodiernum ipsi esse tribuendum; si enim Manasses primus illum attulisset, literis hodiernis Ebraicis proculdubio descriptum dedisset; quoniam iis, cum cæteris Judæis, uti solitus erat.

Verum est pios decem tribuum Israelitas diu gemuisse, & de-

delituiſſe ſub idololatrarum tyrannide; attamen non fuerunt penitus extincti; plurimi enim Iſraelitarum, Ephraimitarum inprimis, & filiorum Manaſſis, ac Simeonis ſocietatem inierunt cum Aſa Judæorum rege, & ab ejus partibus ſteterunt. 2. Cron. 15-9. poſtea Joſaphat Judæ rex pius percurrens a Berſeba ad montem Ephraim maximam Iſraelitarum partem, ad legitimum Dei cultum reduxit. 2. Chron. 19-4. poſt plenam etiam Iſraelitarum Captivitatem, non pauci ſuperſtites qui in antris, & ſylvis delituerant, aut ſponte derelicti in ſubacta regione, ut illam ſub rege colerent, aut etiam in Judæam & vicinas Provincias confugerant, ad fidem avitam illico redierunt, ſubitaque hac converſione declararunt, non defeciſſe, vel ſaltem ad defectionem fuiſſe coactos; & enim ab Ezechia invitati ad paſcha undique concurrerunt 2 Cron. 30-1. & ſeq. paulo poſt univerſam regionem perluſtrarunt, idola fregerunt, & excelſa deſtruxerunt, ne minimum priſtinæ idololatriæ remaneret veſtigium, ut cap. 31. refertur; idque repetitum fuiſſe regnante Joſia cap. 34-6. & ſequenti videmus. Sane ſubita illa, & generalis converſio manifeſte oſtendit plurimos Iſraelitas inviolatam conſervaſſe fidem, & ſacros etiam codices; allatum tamen a ſacerdote ambabus ulnis excepiſſe ob literas regias quibus, cum novis colonis tenebantur uti, & ſuam cum antiquo conformitatem; addam ad novorum colonorum inſtitutionem etiam viſum aptiorem. eo autem piis Iſraelitis facilius fuit libros ſacros conſervare, quod nondum bellum libris ſacris fuerat indictum, ut poſtea ſub Antiocho 7. Mac. 1-59. quod tamen non prævaluit, contra providentiam eorum conſervationi invigilantem.

Ut conſervavit codices ſacros in gratiam fidelium arcana providentiæ ſuæ virtute Deus, ſic utroſque auctoritate manifeſta etiam protexit, impediendo Ramam ædificari a rege Iſraelis, ut omne cum Eccleſia Judaica commercium interdiceret Cron. 16-1, & præſertim mittendo prophetas, qui conti-

tinuis admonitionibus, & illustribus miraculis rapidum idololatriæ cursum interruperunt, & piis ab ea aversis fuerunt solatio. vix Jeroboamus vitulos suos in Dane, & Bethele collocaterat quum ecce Propheta eum thura dantem interpellat, & ab Josia altare destruendum prædicit, qua confidentia rex offensus dextram ad satellites tendit, ut illum ad supplicium traherent; sed extensa ejus manus subito exaruit, minasque in prœces, ut pristinam sanitatem recuperaret, convertere cogitur; sicque suorum idolorum in ipsorum conspectu declarat vanitatem 1. Reg. 13-2. Ahija inter Ephraimitas degens eidem mortem subitam filii, & horrendum ipsi, & toti familiæ imminens declarat exitium cap. sequent Jehu Propheta in regem Israelis Bahasam ingentes clades divinitus decretas ob idololatriam fulminat, quas eventus comprobat 1 Reg. 16-1. Elias tot & tantis miraculis clarus horum vestigia premit, atque Achabum præ cæteris impium aggreditur, & ei denunciat diram famem, & inauditum trium annorum, & sex mensium sterilitatem quæ suum regnum desolarent, ut 1. Reg. 17-1. & Luc. 4-25. Capite autem sequenti fit mentio centum Prophetarum, quos conservaverat Abdias ex persequutione Izebelis 1. Reg. 18-4. post Eliam; venit Elisæus, Micheas & alii, quorum miraculis non potuit idolatrarum furor non comprimi, & piorum fides non valide confirmari: præsertim id apparuit, quando Elias provocavit Achabum, & 450. suos sacrificulos ad veri numinis vim experiendam: in conspectu enim regis idololatriæ penitus dediti, & totius populi exemplum ejus imitantis, hos omnes Bahalis sacrificulos mactavit, & ad cruentum illud sacrificium populus ipse manus administras etiam præbuit 1. Reg. 18. inde patet omnes Israelitas non fuisse penitus perditos: & Deus Eliæ existimanti se solum remansisse fidelem, declarat septem millia sibi conservasse Israelitarum, qui coram Bahale genua non flexerant. eadem fuit præcedentium & sequentium

tium temporum ratio, neque tantum insignium Prophetarum numerum inter Israëlitas reliquisset, ut Israëlitas monerent, & innumera patrarent miracula, nisi inter ipsos multi superfuissent fideles; quia non ante porcos, margaritas projici Matt. 7-6. & consequenter hi fideles suos codices divinifœderis testes, & indices sedulo conservarunt ut fidem suam indesinenter foverēt.

Ipsi desertores non magnum etiam visi sunt ipsis facessisse negotium; nam animum a Deo aversum non profitebantur; sed suis prophanis cultibus, adeo cœci erant, ipsum rite colere intendebant; unde eo ipso tempore, quo vitulum aureum adorarunt dicebant; *hi dii tui, qui te ex Ægypto eduxerunt.* Exod. 32-4. iisdemque verbis etiam usus Jeroboam legitur 1. Reg. 12-28. imo Prophetas acriter in eos insurgentes ferebant, & viros Dei agnoscebant, nuncupabantque, atque nonnunquam consulebant, ut Ahijam Jeroboamus 1. Reg. 15-2. Micheam Achabus 22-8. vide 2. Reg. 1-9, 11, 13. & 2. Reg. 3-11, 12. &c. sic suam idololatriam cum lege conciliari posse arbitrabantur, & solo idololatriæ spiritu acti, nondum spiritus persequutionis furores experiebantur; quare non impediverunt ne alii legem conservarent. sic Pentateuchus inter captivas Israëlitarum reliquias facile potuit inveniri, etiam post captivitatem; sed nulli fuisset usui inter Cuthæos, qui nequidem legere illum potuissent; postquam autem literis eorum descriptus fuit, quum lingua Ebræa non esset a Chaldaica multum diversa, & facilior ipsa cum Israëlitis conversatione efficeretur, sensim pervenerunt in aliquam illius cognitionem, & tandem utraque gens in unam, gentem, & in eamdem etiam religionem, rejectis prioribus superstitionibus coaluit.

At Israëlitæ leguntur 2 Reg. 17-22. adhæsisse omnibus Jeroboami sceleribus, neque ab eis recessisse, postquam a Judæis eos distraxerat: verum patuit quosdam excipi debuisse, & inprimis plurimos Prophetas, piosque illos, in quorum gra-

gratiam Prophetæ mittebantur; quare *omnes Iſraëlitæ* hic pro majori, & magis conſpicua earum parte ſunt capiendi, ut 2 Reg. 17-6. *Rex Aſſyriorum tranſportavit Iſraëlitas in Aſſyriam;* vidimus enim non omnes fuiſſe tranſportatos, & magnam eorum partem relictam, quoſdam etiam fuga ſe eripuiſſe, ad fratres Judæos etiam confugiſſe. 2 Cronic 10-18. legimus ſimiliter Iſraëlitas Idoramum lapidibus obruiſſe, quis credat omnes, & ſingulos debere intelligi? non igitur ex eo quod Iſraëlitas cum Jeroboamo a Deo, & Juda defeciſſe legimus concludendum eſt, nullos excipiendos quare in illo verſu non *omnes* defeciſſe leguntur: ſed quamvis extaret, exceptionem aliquam pati poſſet, neque etiam majorem numerum ſemper comprehendit, quum enim ſententia Achitophelis legitur probata Abſalomo, & כל *omnibus* ſenibus Iſraelis 2 Sam. 17-4. aut ei prælatam poſtea Cuſçai ſententiam adverſam putandum nullas exceptiones admiſiſſe, quum ne minima quidem pars ſenum Iſraelitarum in hoc conciliabulo intereſſent. Sic 1 Reg. 15-27. Bahaſſa cum numeroſo Iſraelitarum exercitu Nadabum Iſraelitarum regem *cum toto Iſraele* in obſidione Guibbethonis opprimit; nemo non videt oppreſſores ſaltem ab oppreſſis excipi debere. eodem ſenſu accipiendum eſſe, quod in loco objecto generaliter dicitur. Sicut quod ſæpius occurrit in libro judicum, *Iſraëlitæ*, & filii Iſrael defecerunt a Deo, ut 3-6. 4-1. 61. 10-6. 13-1. ſane qui vellet ex his, & ſimilibus locis inferre legem inter Iſraelitas penitus defeciſſe, cogeretur concedere eam toties illico reſurrexiſſe, cum tota Eccleſia; quum videamus poſt illas prævaricationes reſtauratum fuiſſe cultum Dei, ſimulatque gravis aliqua calamitas hanc gentem officii monuiſſet; ſed præſtat exiſtimare plures pios ſemper adfuiſſe, qui legi operam ſincere dabant, & ad reſipiſcendum præibant, poſtquam impietatis furor in aliis deferbuerat.

Tibi autem vir celeberrime, contrarium ſuadet Judæorum

Tibi

exemplum, qui a violenti Idololatriæ impetu sæpius ita sunt abrepti, ut quamvis a piis regibus nonnunquam fortiter ad officium revocarentur; nihilominus impietas eousque prævaluit, ut cultus Dei omnino fuerit interruptus, templumque clausum 2 Chron. 28-24. & 29-7. idola etiam in eo culta fuerint 2 Reg. 21-4, 5, 7. Mac. 57-2. Mac. 6-2. Et Deus declaraverit se Hierosolymam conservaturum propter unum pium, si in ea posset inveniri, Jerem. 5-1. Denique liber legis periisse, creditus sit, & Josiæ demum tempore repertus: ex quibus judicare licet, Israeliticam corruptionem omnes limites supergressam fuisse: agnosco libens, indeque novum pro mea sententia duco argumentum, ad probandum, omnes sacros codices non periisse, inter Israelitas, quum non perierint inter Judæos Israeliticæ depravationis æmulos, quorumque facinora etiam atrociora repræsentantur 2 Cron. 21-13. & peiora etiam Chananæorum impietatibus 2. Reg. 21-9. si autem hi plures reges pietati deditos, illi plures Prophetas, & plura etiam miracula forsitan habuerunt: absit tamen, ut credam nullum pium inter Judæos remansisse; est enim semper *residuum* quoddam Jes. 4-3. & 10-20. Sunt etiam varii pietatis gradus, quorum respectu pios superesse, aut non superesse licet dicere. ad codicem autem sacrum Josiæ tempore inventum, videtur fuisse Mosis αὐτόγραφον in sanctuario quippe asservari debuit, secundum ipsius mandatum Deut. 31-26. at non dubito illius exemplaria plurima in religiosis familiis fuisse conservata, & in aliis situ, & pulvere obsita jacuisse, quæ regi adolescenti erant ignota, ob solemnis cultus interruptionem, sub Ammone patre, & Manasse avo impietati mancipatis, & ob servilem aulicorum dominos imitantium indolem, quæ res sacras raro curat: plurima inquam revera conservata constare debet, quia *fides est ex auditu; auditus vero ex Dei verbo* Rom. 10-14. & 17. & absque eo Ecclesia existere non potest, quia eo in unum cor-

pus

pus coalescit; eo etiam semine fideles regenerantur 1. Pet. 1-23. aluntur Deut. 3-3. & fide excipientes operibus illud adimplent Deut. 5-1. quare quando Josaphati mandato plurimi legati ad populum vicatim erudiendum mittuntur libros legis habent, ut ad institutionem penitus necessarios 2 Chron. 17-8. unde post supradictas depravationes clamabat Jesaias 8-20. *ad legem, & ad testimonium*, & Judæis commendabat legem Malachias 4-4. lex etiam ad Joannem duravit Luc. 16-16. & durare debuit, quia erat pædagogus ad Christum Gal. 3-24. neque unus apex ejus irritus esse debuit Matt. 5-18. & idcirco debuit permanere, ut ejus complementum, dum fieret agnosceretur: hinc in captivitatis exitu Cyrus suum nomen in Propheta Jesaia legit. Joseph. Antiq. lib. 11. cap. 1. & Alexander eodem lib. cap. ult. didicit ex Prophetia Danielis imperinm ipsi esse destinatum. denique non video, qua ratione possit negari tot reges, Sacerdotes, & principes captivos caruisse sacris codicibus, qui eorum genealogias continebant, cum totius gentis, & familiarum historiis, licet omnem religionis suæ curam omnino exuissent. vix etiam ulla familia paulo religiosior absque illis vivere potuit; quum ab iis disceret vestes suas ex diversæ materiæ filis non debere contexi, neque animalia diversæ naturæ eidem conjungi aratro, in iisque dumtaxat inveniret terram colendi, vites plantandi, & avicularum aucupio innocue indulgendi rationes legibus præfixas Deut. 22. edere etiam vix licuisset, ob cibos fere innumeros a lege interdictos Deut. 14. & necessitate in omnes carnes a sanguine penitus purgandi requisitam Lev. 7-27. quid si addam festa, novilunia, Sabbata a principio ad finem exacte observanda, purificationes diversas secundum varia pollutionum genera? sane quivis æquus rerum æstimator agnoscere tenebitur impossibile fuisse has omnes Mosaicæ legis cæremonias observare, absque lege illas præscribente, ita ut vix suffecisset illam habuisse, nisi

oculis unius cujusque etiam indesinenter objiceretur. forsitan respondebitur servos in duram servitutem redactos ab illarum observatione liberos fuisse, at regeram in alia sententia fuisse Danielem, & socios qui a dapibus regiis abstinebant, ne contaminarentur, Daniel. 1. Juditham similiter 12-2. & Tobitum qui festum pentecostes observabat 2-1. quin Daniel 6-10. stata precum tempora noluit prætermittere, licet irrevocabile regis edictum obstaret: imo etiam versus templum orat, secundum Salomonis præceptum 1 Reg. 8-48. an memoria absque lege poterat horum officiorum omnes Judæos monere? non puto, neque possum in animum inducere meum, legem hæc omnia imperantem, ad nos providentiæ divinæ beneficio integram pervenisse, quum abrogata esset, defecisse vero, quum erat sedulo observanda.

Absit autem, ut has observationes a traditione pependisse existimemus, quia fuissent humani cultus, utpote sola hominum auctoritate, & arbitrio erroribus obnoxio innixi, qui Deo, ut vidimus, non possunt placere; vidimus etiam Danielem habuisse in ipsa captivitate librum Jeremiæ & ex eo vidisse imminentem captivitatis exitum, ut ex suo libro in Judæa demonstratum est Alexandro imperium ipsi esse destinatum. Constat insuper Esdram e captivitate retulisse codicem legis, & reduci populo legem exposuisse Nehem. 8-3. idem Esdras dicitur in lege exercitatissimus Esd. 7-6. & Esdras, Nehemiasque 8-7. atque Levitæ cum Esdra incumbunt lectioni legis, & ejus expositioni. ante hanc captivitatem potuit a magistris Sacerdos missus in patriam ad eam similiter postea docendam erudiri, potuit illam in patria etiam docuisse, & proprium codicem conservasse; quum omnes fere Sacerdotes Deo permanserint fideles, & flagranti desperatione confugerint ad Judæos, & postea redire in suas possessiones potuerunt, & in captivitatem rapi.

Sed diutius suffecit traditio ad Euangelii conservationem, inter

ter multas nationes, usque scilicet ad Irenæum. id posset ad meæ sententiæ confirmationem trahi; si enim lex in memoriæ inconstanti superficie volitans potuit rapacitatem temporis evitare; multo magis potuit constanti literarum præsidio munita: potuit lex traditionis opera conservari, sicut inter gentes conservata innumeris erroribus permixta, neminem enim latet non exiguam legis a Mose scriptæ cognitionem ad gentes pervenisse, & eam corrumpendo plerasque superstitiones composuisse; multa etiam ex ea instituta ad vitam civilem, & bonos mores idonea, sed quot corruptionibus innatam humani cordis malitiam comitantibus obnoxia fuerunt? Non igitur inconstans hoc, & corruptibile traditionis subsidium sufficiebat legi perpetuæ fidelium normæ; neque etiam existimo Euangelium labilis hominum memoriæ fidei derelictum, post virorum divinitus inspiratorum exitum, qui sive ore, sive scripto docerent, perinde erat; quia ab omni errore erant tuti 2 Thess. 2-15. non video etiam Irenæum id affirmasse, lego dumtaxat lib. 3. advers. hær. cap. 4 *quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat sequi ordinem traditionis, quam tradiderunt quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem.* 1. Suppositio est hypothetica contrarium affirmans, quum Apostoli scripta reliquerint populis a se conversis ad Romanos sc., Corinthios, Ephesios &c. 2. Non dicitur locum habere nisi in quibusdam Barbaris literas ignorantibus, qui a salute propter hanc incapacitatem non poterant excludi. 3. Ab Apostolis divinitus actis edocti fuerant. 4. S. spiritum omnes defectus amolientem acceperant. 5. Traditioni non datur locus, quam in iis quæ scripturarum testimonio carent. Longe diversa est ratio gentis idololatræ, a nescio quo Sacerdote erudiendæ, cui necessaria fuit lex ad fidem facien-

ciendam : præterea possem plurimis Irenæi locis probare ad S. Scripturas esse recurrendum contra traditiones, & hæreticos illas jactantes.

At nullum, in missione hujus Sacerdotis, de lege docenda verbum: contra missus dicitur ad docendum משפט 70. κρίμα, *judicium* Dei, sive legem; vox enim hæc apud Jeremiam 49-11. vertitur νόμος a 70. 1. *Lex*, & Levit. 18-26. προστάγματά μου *mandata mea* hoc verbo significat Deus qui loquitur, & ibidem hæc explicat per חקתי *præcepta mea*, iis autem tota lex comprehenditur. quamvis autem ad hæc verba אי יראו *quomodo timerent* dumtaxat attenderemus; solent ea religiosum timorem, & cultum lege præscriptum exprimere, ut Jonæ 1-9. ait Propheta אני ירא. 70. ἐγὼ σέβομαι *ego colo* Deum cœli.

Gens Israelitica tempore suæ transportationis, hujus Sacerdotis missioni, coævæ, erat corruptissima; sed corruptionis hujus expers erat lex, quam cum Idololatricis suis cultibus posse conciliari inepti arbitrabantur. quis enim credat Salomonem tanta sapientia præditum, divinæ legis quam tot scriptis præstantissimis illustraverat fuisse penitus oblitum, quum idola varia erexit, iis etiam sacrificavit, atque omnes vicinarum gentium abominationes regno suo intulit? Cor ejus corruptum est, & ruit in scelera, quæ mens voluptatum illecebris irretita non animadvertebat; quemadmodum David, licet piissimus, & optime sciens adulteria, & homicidia lege esse interdicta, libidine sua furens horum scelerum atrocitatem non animadvertit, antequam fuisset a Nathane nominatim accusatus 2. Sam. 17-5. imo in alio iracunde damnabat, quod in se nondum advertebat; eadem esse potuit Israelitarum conditio; ad similia regum suorum facinora principes sese composuerunt, Sacerdotes conniverunt, populus ea imitatus est, & nemo fuit Nathan, qui reges ab officio incogitanter deficientes serio admoneret; sic sensim decrescente le-

gis

gis ſtudio prævaluit ſcelus, & lex in ſcriniis manſit inutilis, attamen a piis culta, & conſervata fuit; imo a quibuſdam etiam deſertoribus, qui aliquam pietatis ſpeciem ſtudebant conſervare, ſicut ii dequibus Jeſaias 58-2. *& me cotidie quærunt, & ſcire vias meas volunt: veluti gens, quæ juſtitiam facit, & judicium*, ſive legem, *Dei non derelinquit*: externis igitur officiis fungebantur, & legem violantes, illam obſervare ſimulabant: ab his omnibus codicem legis, invita corruptione habere potuit ſacerdos. experientia etiam docet horrendam corruptionem, quæ Apoſtolorum ævo, totam pervaſerat Judæam, & ingentes calamitates, quæ totam gentem diſtraxerunt, & generali ſervituti addixerunt non impediviſſe, quominus libros ſuos longe ampliores, acceſſione Propheticorum ſcriptorum, factos conſervarent, & nobiſcum etiam communicarent; quod a majoribus etiam factum fuiſſe circa captivitatis tempora teſtantur verſiones Chaldaicæ in gratiam Judæorum qui linguæ Ebrææ obliti erant, & Græcæ in gratiam Ptolomæi, & forſan etiam Judæorum inter Græcos diſperſorum factæ, quæ inſuper etiam utiles fuerunt Euangelii promulgationi inter omnes gentes tandem futuræ. Si inter gentes ſuos libros potuerunt diſſeminare, an ita ſibi defuiſſent ut eos nequiviſſent conſervare.

Non exiſtimo ex inordinatis Samaritanorum moribus poſſe probari eos Pentateucho caruiſſe, quandoquidem Iſraelitæ & Judæi, qui tot habere debuerunt, in omnia ſcelera effuſos viderimus. inde enim colligendum bonas leges ad vitam probam non ſufficere, & cum ſanctis præceptis depravatos mores ſæpe inveniri: imo præſente Deo inter Iſraelitas, & ſub ipſo Moſis regimine, atrociſſima facinora rebellis illa gens ſæpe patravit, & nihilominus legem ſcriptam in extremis ſuis calamitatibus conſervavit, neque ſacerdotes eorum ex infima plebe ſelecti difficiliorem effecerunt inter eos legis conſervationem, quum potiores ſacerdotes præiverint

ſæpe plebeis ad ſcelus; Aaron ipſe ſummus pontifex vitulum aureum fuderit, & Nadab, & Abihu ejus primogeniti alienum ignem obtulerint, maleque perierint, Num. 3-4. nihilominus fateor hanc Sacerdotalis muneris tranſlationem fuiſſe nefariam, poſt Levitas ad illud divinitus conſtitutos: attamen ante cultum ſacrum perfecte conſtitutum, in excelſiſque præſertim, exempla Samaritanis non omnino contraria occurrunt. Sic Gideon ex Manaſſe oriundus Deo juvencum in altari a ſe ipſo erecto ſacrificat Jud. 6-2. Manoah Danita ſimiliter 13-18. Saul Benjamita 1. Sam. 13-9. holocauſtum offert: his ipſi patriarchæ præiviſſe leguntur, & in primis Jacob qui in vicinia Samariæ Gen. 33-20. & in Bethele 29-7. ad ſacrificandum altaria extruxit: his exemplis quæ in Pentateucho inveniebant Iſraelitæ ob neceſſitatem, quia Sacerdotes, & Levitæ a ſchiſmate illorum averſi ad Judæos confugerant ſic majores imitabantur, qui coluerant vitulum aureum in ipſo Dei conſpectu, & forma illa vituli ipſis viſa convenientior, quod maxima eorum pars a Joſepho originem ducebat, qui ſingulare fuit divinæ erga Iſraelitas providentiæ ſignum, quique hac forma ab Ægyptiis cultus creditur; nempe bos, inter animalia agriculturæ dedita eminens, aptiſſimus viſus eſt ad egregium annonæ curatorem deſignandum; unde L. Minutius, ob annonam ſedulo curatum, *bove aurato extra portam tergeminam eſt donatus*, Romæ, apud T. Livium lib. 4. §. 49. Ægyptii potuerunt ſimili monumento gratum in Joſephum teſtari animum, & deinceps ſuo bove Api, ſecundum ſententiam auctoris de mirabil. S. Scripturæ inter opera S. Auguſtini lib. 1. cap. 15. quidquid ſit, Joſephum *Bovem* cognominatum Ebræi docent, teſte R. D. Kimchi in Gen. 49-6. & confirmant Deut. 33-17. & *Libro Chronicorum Moſis Ebræo* doctiſſimi Gaulmini opera edito refertur, Ægyptios cadaver Joſephi a nepotibus in Chananitidem transferri debere edoctos, in ferreo feretro incluſum

ſum Nilo immerſiſſe, ut impedirent; ſed Moſem, in Nili aquis ſcribendo: *aſcende bos*; confeſtim eduxiſſe, & delatum poſtea fuiſſe: idcirco volunt vobis ſymbolum, quod in cherubinis etiam fuit præcipuum, cæteris fuiſſe prælatum, ad ſignificandam Dei beneficientiam; proptereaque Deum hac forma antea cultum ab Iſraelitis, Samaritanos etiam deinceps coluiſſe.

Difficile autem eſt durationem illius Idololatriæ certo definire, quia rara in ſuperſtitibus hiſtoriis Samaritanorum mentio; attamen quoniam in mitiorem partem, in dubiis, convenit propendere, mihi videtur probabile, eos poſt ſtragem a leonibus editam, & beneficio ſacerdotis Iſraelitici miraculoſe compeditam, morigeros legi ſe præbuiſſe, & una cum reſiduis Iſraelitis, qui partim triſti fratrum exilio, partim opera piorum Judæorum, in pietatis tramitem redierant, certatim legi dediſſe operam, atque Idololatriam abjeciſſe. Saxea ſane utraque gens habuiſſet corda ſi infandis parentum calamitatibus ad pænitentiam ſatis commota non fuiſſet, ut novos colonos recenter perculſos cladibus a leonibus inflictis, ad quoddam pietatis deſiderium etiam traheret. neque objiciendum affines Judæos ita reſipuiſſe, ut ſimiles pænas evitare voluerint; nam ſententia in eos jam lata fuerat, & decretum exitium tantiſper dumtaxat remorari potuit inconſtanſtans eorum pietas; profuit tamen Samaritanis, quos, cum toto Iſraele invitavit ad paſcha Ezechias 2. Chron. 30. & multi venerunt 2. Chron. 30. Joſias ſimiliter, qui inſuper omnia inter eos exelſa deſtruxit, vitulos etiam a Jeroboamo erectos fregit, atque effecit, ut כל הנמצא *omnis qui repertus eſt* in regione Iſraelis Deum coleret 2 Chron. 34-33. quum igitur omnes cultus Idololatrici eſſent ablati, & omnes, qui in hac regione erant Deum colerent, Cuthæi & cæteri novi coloni, qui præcipuam illius partem occupabant eum colere debuerunt: quare tantum abeſt, ut eorum converſio expectaverit

rit reditum Judæorum e captivitate, illam etiam præcessit, & omnia sua idola saltem abjecerant, 18. Josiæ anno: quum autem Hoseæ an. 9. qui septimus erat Ezechiæ 2. Reg. 11-1. subacta fuerit Samaria, & paulo post in vacuas incolarum sedes Cuthæi &c. missi, qui initio Idola, ut antea coluerunt; sed tunc deseruerunt; jamvero ab illo anno adhuc 22. annos regnavit Ezechias: Manasses vero ejus filius 55. 2 Reg. 21-1. & nepos Amon. 2. an. 2. Reg. 21-19. qui omnes anni licet completi essent, & nullum fuisset interstitium inter Samariæ occupationem, & novorum colonorum missionem, ad 18. sequentis Josiæ annum conficerent 97. annos, ultro quos Cuthæorum Idololatriam posse promoveri non video.

Quare non opus est disquirere tempus quo secundus regum liber scriptus, licet non dubitem diaria hæc fuisse collecta a præfectis qui cotidie in ea referebant, quæcunque observatione digna occurrebant, & huic consequenter ultimam manum in captivitate fuisse impositam, & tandem ab Esdra, aut alio Propheta in S. Scripturæ ordinem redactum.

Equidem non me latet Judæos Samaritanis infensissimos Idololatriæ multiplicis eos infamare; nam R. Aben-Ezra in præfatione commentarii ad librum Estheræ dicit eos initio Genesis pro nomino *Dei*, posuisse Asima, & eorum Pentateuchum habere in principio *creavit Asima*, quod idolum erat Emathæorum, qui suum *Nergal* potius apposuissent, si in pristino errore permansissent. vid. 2 Reg. 17-30. præterea falsi manifeste arguitur Pentateucho ipso in quo idem nomen, quod in Ebræo. denique computum suum sic auspicantur: *in nomine Dei Israelis, non est similis Deo nostro, Jehova Deus unus* apud Scaligerum de emend. temp. lib. 7. R. Salomo Jarchi etiam in suis notis Thalmudicis, dicit eos circumcidisse *in nomine columbæ*, & columbam in monte Gerisim coluisse. at nullo Testimonio probat, & videtur audivisse, Semiramim Babylonis conditricem, a columbis dictam,

&

& nutritam, columbamque in insignibus gestasse; unde in animum induxit suum eos columbam coluisse quia gentes signa militaria colere solebant, Cuthæi autem Babyloniorum erant imperio addicti: verum enimvero nullum Idololatriæ vestigium inter Samaritanos, post illorum conversionem observatum est, & R. Benjamin testis oculatus in suo itinerario refert *eos legis Mosaicæ Solius esse observatores* additque eos habere *Sacerdotes ex Aaronis stirpe, quos Aronæos* vocant, quique sacro Cultui vacant, secundum legis præcepta, & quicum Samaritanis matrimonio non conjunguntur; sed cum iis qui sunt e genere sacerdotali, ut Jeroboami instituta penitus abjecisse intelligantur: denique observas eos offerre sua sacrificia in monte Gerisim quemadmodum in lege scribitur: *edes benedictionem hanc in monte Gerisim* Deut. 11-29.

Reformatum fuisse ante Sanabalitici templi ædificationem Samaritanorum cultum ex hoc ipso Sanabalete probari etiam posse existimo; nam Cuthæus erat; & Darii regis Satrapa; si autem Idololatra fuisset, & alienus a religione Judæorum filiam suam nuptui non dedisset Manassi Jadduæ pontificis fratri; neque Manasses sacris legis institutis addictus, & cum fratre, iis solitus vacare Idololatram duxisset. revera seniores Judæorum ægre dumtaxat ferunt Jadduæ pontificis fratrem, & aliquo modo collegam duxisse externi generis uxorem, rati gradum factum ad patrias de connubiis leges dumtaxat antiquandas, ut refert Josephus Antiq. lib. 11. cap. 8. neque Idololatriam exprobrant: ejicitur nihilominus a fratre, quia ejus matrimonium legi adversabatur Levit. 21-14. licet ibi de summo pontifice tantum agi videatur, eumque solum ad ducendam e gente sua conjugem astringi, & Ezechielem primum omnibus sacerdotibus legem communem perspicue fecisse 44-22. sed a Samaritanis non admittebatur, neque cæteri Prophetæ schismate suo posteriores: imo Judæi qui illum admittebant, non semper observarunt hanc constitutio-

 nem,

nem, ut patet Esdr. 10. ubi non solus populus cum Chananitibus matrimonia contraxerat, sed plures etiam pontificum filii. sic crimen illud non fuit inter ipsos Judæos inauditum: excelsa etiam inter ipsos, ut vidimus, non rara, & post conditum templum etiam, atque prætereá sub piis regibus, quod gravius fuit, quoniam lex, Samaritanorum unica norma, nullum locum, præ aliis, præscripserat; sed tantum præscribendum docuerat Deut. 12-13. *ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris; sed in eo quem elegerit dominus, in una tribuum tuarum offeres hostias.* Quum locus ille non fuerit aliter designatus, Samaritani, qui illum solam consulebant, Gerisimum montem electum fuisse, ut supra visum existimaverunt, unde Samaritana Joan. 4-20. *patres nostri adoraverunt in hoc monte, vos dicitis in Hierosolyma esse adorandum.* neque tamen negabant in Hierosolyma posse adorari, eam enim in siclis suis *sanctam* solent nuncupare, ut cultui divino singulariter dicatam; sed in unaquaque tribu jure fieri contendebant, ut ante Salomonem fieri solebat in diversarum tribuum *excelsis*, ab altaribus in collibus erigi solitis, sic denominatis (sicut a במה *excelsum* Bῆμα *suggestus, tribunal* vocantur, ac Βωμὸς *altare*, a Βαίνω *ascendo*) sane erectum fuit tabernaculum, & oblatæ victimæ 1. In Gilgale tribus Benjamin, ubi primum pascha celebratum Jos. 5-10. in Scilo tribus Ephraimi Jos. 18-7. in Nob. 3. Benjamini 1. Sam. 21-6. in Gabaon 4. tribus Benjamini 1. Chron. 21-29. tandem delatum fuit a Salomone in templum 2. Chron. 5-5. antea igitur in illis locis & coram arca ordinarie colebatur; sed quoniam fixa non erant, in aliis privatim coli potuit, ut exempla Manoæ, Gideonis, & Samuelis ipsius 1. Sam. 7-9. & 9-12. & 10-8. quamvis autem post templum consecratum non licuerit Deut. 12-13. Elias tamen in monte Carmel sacrificat 1. Reg. 18-38. sed Propheta erat, & miraculo sacrificium suum approbatum fuit: quapropter Samaritani non

sunt

ſunt excuſandi in hunc uſque diem ſacrificantes in monte Gериſim, niſi altero crimine, quo ſoli legi fidem adhibent, & ſchiſmatis tramiti pertinaciter inſiſtunt : attamen in ipſis Prophetis vocationem gentium prædicentibus aliquod ſubſidium poſſent nanciſci Oniæ Jadduæ pontificis nepotis exemplo, qui templum adinſtar Hieroſolymitani fretus Prophetia Jeſaiæ 19-19. in Ægypto altare ædificandum dicentis, etiam conſtruendum curavit; de quo Joſephus Antiq. lib. 13. c. 6. in reliquis ſaltem a prima inſtitutione, legem religioſe obſervant, & religioſius quam Judæi legis moralis, Sabbathi, circumciſionis, feſtorum, & cerimoniarum quæ a mera Rabinorum traditione non pendent, obſervationi ſedulam dant operam : quin conſtantem pontificum ſuorum ſeriem ab Aarone ad Eleazarem ſuum pontificatum an. 1590. adhuc exercentem, & numerum centum & viginti duorum pontificum complentem ſe habere autumant in ſuis ad Scaligerum literis. Joſephus denique addendo lib. 11. cap. ultimo Hieroſolymitas ob violatum Sabbathum, & illicitos cibos, reos ad Samaritas tranſfugiſſe, atque ſe calumniam paſſos dixiſſe; eo ipſo teſtatur hæc crimina ipſis improbata, quum rei habiti de calumnia quererentur neque Joſephus etiam dicit hos a Samaritis benigne ſuſceptos.

Quandoquidem Samaritæ ſolum admittunt Moſis Pentateuchum debet conſtare eos a Manaſſe illum non accepiſſe; quoniam ſacerdos, ac pontificis Judæi filius, & frater erat, & conſequenter ad illos attulit, ſed libros Propheticos omnes ad illum diem ſcriptos. & conſtat ex ſupradictis præter Pentateuchum ſaltem Judæos habuiſſe libros Jeremiæ, Danielisque, & de Pſalmis etiam non licet dubitare, quum ad illos in templo canendos multi Levitæ eſſent conſtituti : ſed quum a primo captivitatis Babylonicæ exordio legem opera ſacerdotis eos miſſi acceperint, & patres ſchiſmatici Babylone degentes eam dumtaxat admitterent, quia ante ſchiſma, aut

Prophetarum ſcripta nondum extabant, aut non erant in ordinem redacta, aut in gratiam Davidis, & Salomonis, a quorum poſteris defeciſſenr, arbitrarentur fuiſſe interpolata, ea non potuerunt cum lege excipere: habent tamen hiſtoriam Joſuæ, & quorundam aliorum, & cantica etiam in conventibus recitari ſolita; ſed neſcio an e Davidicis ſelecta fuerint, quum ea non viderim - ea autem cum lege eos ſcio non æquare.

Minime etiam puto ex tranſfugio Manaſſis, & ſociorum ad Samaritas natas varias illas origines, quas pro diverſo rerum ſtatu hi ſibi arrogaſſe referuntur, ac convenientias repetendas exiſtimo ab ipſo tempore quo commiſceri cæperunt Cuthæi, & cæteri novi coloni, cum reliquiis Iſraëlitarum; quare quum ſuperſtites Iſraëlitæ Judæorum conſanguinei eſſent, alii vero Babylonii, non immerito alterutram originem declarabant, prout rebus ſuis conducere exiſtimabat; ob illam autem permiſtionem Judæi antiqua & illuſtri ſua proſapia ſuperbi eos abominabantur, quod non feciſſent ob ſocietatem cum Manaſſè & commilitionibus ſocietatem; quare Joſephum, Ephraimum, & Manaſſen nuncupabant ipſi majores ſuos, & de Juda, aut Levi nullam faciunt mentionem.

Pontificii care emerent argumentum, quo probaretur legis codices in ſolis ſacerdotum, & Prophetarum manibus fuiſſe: eos habebant ſane, ut incorruptos conſervarent, & populis exponerent; ſed populus etiam habere debuit, ut facis inſtar prælucerent pedibus Pſal. 119-105. & totam vitam, moreſque dirigerent, imo ipſi legem, & miracula a Deo facta docere jubentur liberos ſuos Deut. 6 & 11. inſcribere etiam fronti, manibus, domus januis, & poſtibus; non tamen hinc intendo approbare Tephilin, & Mezonzoth ſuperſtiones Judæorum olentes, ſed aſſiduum legis ſtudium quod requirebat, ut lex menti & oculis continuo obverſaretur: quare beatitudo uniuſcujuſque viri conſiſtere in perpetua

tua meditatione legis Psal. 1-2. declaratur, & totus Psalmus 119. Pausis 22. pro numero literarum Ebræarum constans, & singulæ hæ pausæ a versibus suum literam in capite habentibus legis commendationem continet, & illo artificio probat eam continere omnem eruditionem nobis necessariam. Deus ipse imperat Josuæ, ut in libro legis indesinenter meditaretur, & ita ei assuesceret, ut in ejus ore semper ea versaretur. 1-8.

Pentateuchi vox Græca in libris Ebræis certe non occurrit, & a Græcis interpretibus, qui multis libris titulos Græcos dederunt, sic γένεσις, ἔξοδος &c. quoniam Græca lingua eo tempore erat notior, & ubique fere usurpata; tunc præterea libri sacri in ordinem secundum communem sententiam ab Esdra redacti ad perfectam molem excreverant, & distingui debebant: quare in legem (qua Pentateuchus intelligitur) Prophetas, & Psalmos videmus distingui Luc. 24-44. ubi Psalmi cætera hagiographa comprehendunt, quia in eorum capite erant: lex igitur quoad rem est Pentateuchus, sive ut Judæi loquuutur חומש liber quintuplex: sic passim sit sæpius mentio in S. Pentateuchi, quia lex passim in ea celebratur.

Quamobrem miror te, vir doctissime, suspicari *compositum ab Esdra fuisse Pentateuchum.* Quia Moses in Pentateucho passim loquitur, & legem eum significantem asserit scripsisse, ut Deut. 31-24. miror etiam te affirmare, in eadem sententia fuisse Hieronymum, quia oppositam manifeste amplectitur, in ipso loco ad quem videris respicere, nempe adversus Helvidium cap. 3. ubi agit de sensu *usque ad* Deut. 34-6. & Gen. 35-4. secundum versionem Græcam; ostendit autem, *usque ad* ita negare de præterito, ut non affirmet contrarium in futuro, ut probaret, quod Matt. 1-25. Josephus dicitur non cognovisse beatam virginem *usque ad* partum suum, non significaret, quod post eum, cognoverit illam, quoniam non

in illis locis Pentateuchi *usque ad diem*, quo ſcriptus, idola Labanis a Jacobo defoſſa, & ſepulchrum Moſis ignota dicuntur; poſtea autem non magis patuerint; ſcribit autem: *certe hodiernus dies illius temporis exiſtimandus eſt, quo hiſtoria ipſa contexta eſt, ſive Moſem dicere volueris auctorem Pentateuchi, ſive Eſdram ejuſdem inſtauratorem operis, non recuſo;* & quoquo modo capiatur dies ille docendum ipſi eſſe, poſt eum reperta fuiſſe illa idola, & ſepulchrum Moſis, aut agnoſcendum *uſque ad*, contrarium in futuro non affirmare. itaque Moſem diſerte Pentateuchi auctorem dicit, & Eſdram reſtauratorem, & dat autem liberam optionem a Moſe, aut ab Eſdra diem propoſitum numerandi, quia poſt utrumque adhuc idolum, & ſepulchrum occulta jacebant: præterea ſi Moſes non compoſuiſſet quomodo Eſdras illum reſtauraſſet? quin propugnat J. Morinus lib. i. exerc. 2. cap. 2. αὐτόγραφον Moſis ad Eſdram conſervatum, & ſecundum illud ab eo fuiſſe correcta cætera exemplaria; quod non difficilius fuit quam Biblia ab Eſdra deſcripta in hunc diem per 2150. annos conſervaſſe; Judæi tamen autumant reperiri Biblia tempus Eſdræ proxime attingentia, ut R. Aboab in ſua Nomologia; & Bononiæ civitas gloriatur ſe habere manuſcripta Eſdræ, apud equitem Villamontium in ſuis peregrinationibus lib. 1. c. 6. a Moſe autem ad Eſram vix mille anni fluxerant, fides autem ſit penes illos.

Fide autem dignum exiſtimo Moſem compoſuiſſe Pentateuchum, quia illius auctor non eſſet divinitus inſpiratus ſi Moſem ſe eſſe finxiſſet: quin divina providentia videretur Eccleſiæ ſalutem neglexiſſe, ſi legem ei neceſſariam ſcripto mandari non curaſſet; abſque enim ſua norma innumeris erroribus expoſuiſſet, & demum ratam feciſſet, quum ad exitum vergebat, atque deſtituta erat teſtimonio eorum, qui datam ex ore Dei in Sinai viderant; & miraculorum ad illam confirmandam teſtes fuerant; quaſi vero eorum dumtaxat ratio-

tionem habuerit Deus, & futuræ incredulitati noluiſſet occurrere; ſicut factum, quando novimus Moſem in conſpectu tot teſtium minime credulorum, peracta illa miracula &c. retuliſſe, & nullam referenti contradixiſſe. quis hodie probaret hiſtoriæ Euangeliæ ſcriptores, ſi Euangeliſtæ, & Apoſtoli ſuo, & convenienti tempore, ipſis non præviviſſent, & geſta coram omnibus tunc retuliſſent? at quædam in Pentateucho addi debuerant ab Eſdra, ut Moſis mors: id nego, etſi enim mihi idoneus teſtis eſſet Eſdras, quia θεόπνευςον credo: eadem fide non præditi diverſum ferrent judicium, & negarent certum poſt duo annorum millia teſtimonium ferri poſſe: & ſcriptores ſacri licet de rerum veritate ſint certiſſimi, nolunt a probabilitate recedere. non igitur dubito, res hiſtoricas a viris hiſtoriæ conſcribendæ præpoſitis, quando poſſibile fuit, adſcriptas, & Prophetarum coævorum calculo confirmatas fuiſſe, ne minima dubitandi anſa præberetur, atque infidelitas omni careret ſubterfugio; quod demonſtratur ipſo Samaritano Pentateucho, in quo additamenta, quæ dicuntur ab Eſdra facta, extant, quæque a Samaritanis, qui exſecrantur Eſdram, ſponte admittuntur.

Supereſt ratio petita a Samaritanorum diuturna Idololatria quæ recentem Pentateuchi uſum apud ipſos fuiſſe demonſtrat. ſed converto argumentum, & dico converſionem ab idolis, poſt ſacerdotis miſſi inſtitutionem, fortius demonſtrare eos tunc Pentateuchum idololatriam prohibentem habuiſſe: licet ingenue fatear hoc argumentum non eſſe validiſſimum, quia Iſraelitæ Deum audientes in Sinai fulminantem, habenteſque duas tabulas ejus digito inſcriptas, innumeris in deſerto idololatriis ſe ſæpiſſime polluerunt. hæc feſtinanter ſcripta bene conſulas rogo, vir Clariſſime, meque tibi addictiſſimum perge amare, teque Deus O. M. ſoſpitem ſervet. Amſtelod. 11. Julii an. 1695.

Cele-

Celeberrimo viro

D°. STEPHANO MORINO

S. Theol. Doct. & Ling. Orient. Professori, &c.

S. P. D.

ANTONIUS VAN DALE.

PRo humanissimis tuis ad me literis responsoriis gratias quammaximas ago. At audacem me, Vir Celeberrime, reddidisti tua ista humanitate. Quare non possum non aliquid reponere ad eruditissimum illud responsum. Si sic tua aliquatenus abutor bonitate, temporisque tibi circa meliora jacturam causor aliquam, condonabis id, spero, novæ nostræ amicitiæ, ac desiderio meo per talia ac similia ulterius quid proficiendi.

Quæstionis cardo hîc non vertitur in eo, an Sacerdos ille Samaritanus, cujus mentio fit 2. Reg. c. 17. v. 27. 28. *Codicem* aliquem *Legis* ad Cuthæos, &c. apportaverit: verum, an ipsum *Pentateuchum*, seu חומש, vel quinque Libros Mosis, ex Captivitate & exilio ad ipsos detulerit. Nam si vel maxime constaret (quod tamen minime constat; nec mihi, ob rationes cum jam datas, tum & alias quæ addi possent, verisimile fit) Sacerdotem istum Missionarium Apographon Legis ipsis attulisse; longe tamen alia ratio *Pentateuchi*, vel חומש, esset: qui, quantum ego expiscari valeo, non ante Ma-

Manaſſis cum Jadduâ ſchiſma (i. e. circiter 400. annis poſt miſſum eo Sacerdotem) ad ipſos pervenit. Notandum certe eſt, nullibi in ipſa S. Scriptura Vet. Teſtamenti reperiri vocem ſive חומש, ſive aliam quampiam, qua *Pentateuchus*, vel *Quinque libri Moſis* indicentur aut exprimantur. Occurrunt quidem in Scriptis Novi Teſtamenti (Actis ſc. Apoſtolicis) *Lex & Prophetæ*; ubi *Legis* voce Pentateuchus intelligitur: verum ob aliam plane rationem; ob Lectiones nimirum Sabbaticas, in quas jam *Pentateuchus* a longo tempore diviſus ac diſtributus fuerat. Sicuti hîc contra, per vocem *Prophetas* intelliguntur Lectiones iſtæ Propheticæ ſeu הפטרות, quæ ex Prophetarum ſcriptis deſumptæ, atque eodem modo diſtributæ, ſingulis quoque Sabbatis, ante populi ex Synagoga demiſſionem, prælegebantur.

Ut hoc clarius eluſceſcat, conſideremus, quæſo Librum illum Fœderis, cujus mentio fit Exodi cap. XXIV. v. 3, 4, 7. in quo Moſes deſcripſerat כל הדבר יהוה וכל את המשפטים *Omnia verba & omnia judicia*: ſicuti quoque Librum iſtum prælegebat populo. Sic quoque, ſecundò, conſideremus Librum iſtum, quem Moſes (per 24 capita Deuteronomii, a 6. ſcilicet ad 27.) populo prælegit, ac deſcripſit

Aliam hanc Legem, & a 10. Verbis, ſeu Decalogo, & a Pentateucho, fuiſſe, oſtendunt nobis Verba Deuter. IV. v. 14. ubi, poſt illa quæ, verſu 10. de Decalogo dixerat Moſes, idem addit: *Mihique mandavit in illo tempore, ut docerem vos* [חקים] *ceremonias* [*vel Statuta*] *& judicia* [משפטים] *quæ facere deberetis in terra quam poſſeſſuri eſtis.*

Mandatum iſtud Dei, cap. V. v. 31. hoc modo enarrat: *Tu vero hîc ſta mecum, & loquar tibi omnia Mandata mea, & ceremonias atque judicia; quæ docebis eos ut faciant ea in terrâ, quam dabo illis in poſſeſſionem.* Poſt quæ, ſtatim cum

initio ſexti cap. hoc modo pergit : *Hæc ſunt igitur præcepta & ceremoniæ & judicia* [וזאת המצוה החקים והמשטים] *quæ Dominus Deus veſter, ut docerem vos, & faciatis ea in terra ad quam tranſgredimini, ad poſſidendum : ut timeas Dominum Deum tuum, & cuſtodias omnia mandata & præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, & filiis & nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ*, &c. III°. Conſideranda ſunt iſta verba Moſis, Dent. XXIX. v. 1. *Hæc ſunt verba Fœderis quod præcepit Dominus Moſi, ut feriret cnm filiis Iſraël, in terra Moab, præter* [NB] *illud Fœdus, quod cum illis pepigit in Horeb, &c.*

Unum tamen idemque ſubſtantia hoc Fœdus fuiſſe cum illo quod ad Horeb montem cum populo Deus pepigerat, credo: & libro Deuteronomii comprehenſa; (quamvis eadem eſſent cum illis quæ ante tradita fuerant, in Exodo &c.) aliis hic quandoque verbis, aliiſque perſonis, & alio tempore propoſita, aut renovata fuiſſe, ante me jam Belgæ Interpretes (in notis maginalibus) notarunt.

Neque aliunde exiſtimen Deuteronomii nomen a Græcis Interpretibus impoſitum fuiſſe libro, in quo illa ſic repetuuntur, ſeu denuò populo Iſraelitico proponuntur : neque ex alia ratione (dum eodem digitum intenderent) eoſdem Interpretes, tum exemplari quod Regi, ut Apographum Legis a Sacerdotibus erat petendum, tum illi, quod Joſua ex Mandato Dei (Joſuæ VIII. v. 32.) lapidibus calce illitis, ut inſcriberetur curarent, Deuteronomii nomen impoſuiſſe.

Unde 4 quoque conſiderandum eſt, iſtud mandatum de erigendis ingentibus lapidibus calce lævigatis, quibus inſcribenda erant *Omnia Verba Legis hujus plane & lucide*. Quod mandatum, ut dixi, ſic executus fuit Joſua : *qui Lapidibus inſcripſit Deuteronomium Legis, quod ille* [Moſes] *ſcripſerat coram filiis Iſraël*. . . . . *Poſt quæ Legit omnia*

ver-

verba Benedictionis & Maledictionis, juxta omnia quæ scripta fuerant in libro Legis, &c.

Ita igitur tunc publice proposita & exposita fuit *Lex*; ut & legi a quocunque & describi posset: cum aliàs esset servanda sub custodia Sacerdotum, &c. a quibus quoque ipsius explicatio ac definitiones erant petendæ: sicut Deuter. VII. v. 9. & 11. indicatur: ubi & תורה & משפט clare ab invicem discriminantur.

Hanc modo dictam *Legem* complexam quoque fuisse omnia illa quæ Moses Divinitus tradiderat circa structuram, & ornamenta vel instrumenta Tabernaculi, Vestimenta Sacerdotalia, atque alia hujus generis (cum illa tantum temporaria essent mandata, nec Legem ullam perpetuam continerent) mihi minime verosimile fit: ac multo adhuc minus, eodem *Legis Codice* simul comprehensas fuisse tum Creationis mundi, tum alias quoque omnes, quæ in Pentateucho comparent historias: quod (præter alias rationes, quæ hîc dari possent) iis omnibus, simul cum Lege, describendis, ac quidem *dilucide* (i. e. ita ut commode legi possent; ne magnæ quidem urbis alicujus mœnia (ac forsan neque Antwerpiæ, aut Amstelædami) sufficerent. Neque aliquid hîc in contrarium faciunt ista verba, libri Josuæ, cap. VIII. v. 34. & 35. *Post hæc legit omnia verba Legis, Benedictiones & Maledictiones, juxta omnia quæ scripta sunt in libro Legis. Nec fuit ullum verbum ex omnibus quæ præceperat Moses* [historias certe non præceperat] *quod non legerit Josua coram tota congregatione Israëlis*, &c. Historiis enim hîc opus non erat, sed *Lege*: quod historiarum Sacrarum notitiam, a Sacerdotibus, ac Scriptis Propheticis sub eorum custodia remanentibus, adipisci possent.

Quod attinet porro ad *Codicem* istum *Legis*, quem (2 Paralip. c. XVII. v. 9.) per urbes Judææ Josaphatus circummi-

misisse legitur; fuit is aut ipsum Mosis Autographum, aut certe ipsius Apographum, sub custodia Sacerdotum & Levitarum, ac quidem in templo, conservatum : neque alius fuit is, quem Hilkia postea reperiit, in reparatione, Templi Hierosolymitani; uti nec alius quoque is fuit, quem (Nehem. c. VIII. v. 1. &c.) *Sacerdotes* ac *Levitæ* populo prælegebant.

Hanc igitur *Legem*, sive apportaverit iste Sacerdos, sive non, id minime facit ad *Pentateuchum* ad illos Cuthæos, &c. deportatum. Neque valent hîc ullo modo argumenta desumpta vel a præceptis circa talia datis, ad debitam præceptorum obedientiam, aut executionem; vel a corruptis Cuthæorum moribus, Legi ipsis apportatæ minimè respondentibus, ubi ostendendum est, eos ante Sanballeten Pentateuchum possedisse.

Hunc tamen *Pentateuchum* vel חומש, Cel. Vir, existimas eos dudum ante Manassis defectionem nactos fuisse; eo quod jam antea profiterentur, ut credis, Judaicam Religionem. Verum enim verò hic paulisper subsistendum; ut perpendamus obiter, quales hi homines habeantur ipsis Esdræ ac Nehemiæ; quorum testimonio erant *inimici atque hostes Judæorum*, quos jam audiebant ædificare Templum Deo [NB] Israëlis. Unde ipsos dolose (quasi percupide anniterentur, ut simul cum Judæis ædificarent) aggressi sunt, dicentes. *Nam sicut vos, requisituri sumus Deum* [NB] VESTRUM; *cui & sacrificavimus a diebus Asorhaddon Regis Assur, qui adduxit nos huc.*

Longè aliter autem de ipsis testatur Sacra Scriptura 2. Reg. XVII. v. 28. &c. usque ad finem capitis. Unde & Zorobabel hoc declinabat, sub prætextu mandati Divini : cum & revera tale quid Judæis illicitum esset. Erant namque, secundo, hi homines, (ut de semetipsis in Epistola ad Regem testantur,

tur, cap. IV. v. 9, 10.) *Dinæi, Aparsathcei, Tapelæi, Acervæi, Babylonii, Schuschancæi, Elamitæ, & cæteri de gentibus quas transtulit Asnaper magnus & gloriosus, & habitare eas fecit in civitatibus Samariæ*, &c. Neque hîc, aut supra (versu 2. hujus capitis) se esse *Ephraimitas* ullo modo perhibent.

De ipso *Sanballete* Manassis Socero constat, ex Neh. cap. III. eum fuisse Horonitem, adeoque & Moabitem: quod urbs ista Horonaim ex præcipuis urbibus esset terræ Moabiticæ. Sic & *Tobia*, qui Ammonites erat, propinquus per matrimonium fuit Eliasibi Sacerdotis maximi, atque alienigena æque ac Sanballetes. Ipsos vero amplexos fuisse Judaicam Religionem aut ritus nullibi legitur: verum potius contrarium.

Neque mirum adeo videri nobis debet, talia cum Gentibus alienigenis atque Idololatricis contracta fuisse matrimonia; cum id quoque de Salomone, aliisque Regibus, liqueat; atque ex Esdræ cap. X & XI. & Nehemiæ cap. XII. clare constet.

Interim, Cel. vir, præfracte negare velim *Cuthæos* hos, seu *novos Samaritanos*, tanto temporis spatio potuisse nancisci, aut nactos fuisse (sive occasione transfugarum Judæorum, sive alia; præsertim temporibus ad Alexandrum magnum propius accedentibus) ullum *Codicem Legis*; eosque inde magis magisque (multos saltem inter ipsos) declinasse ab Idololatria, quamvis Templo ac Templi ministeriis, aliisque eo spectantibus adhucdum carerent: verum inde minime sequitur, eos jam ante Manassis transfugium, ullum *Pentateuchi*. seu חומש, exemplar possedisse.

Neque derogat id ullo modo Legi Divinæ, si illa diutius inter solos Judœos permanserit: *aut Pentateuchus* non ante *Sanballeten* ad *Cuthæos*, &c. pervenerit: modo constet, uti

 con-

conſtat, & *Legem* Divinitus datam fuiſſe, & *Pentateuchum* Divinâ ex providentia, & inſtinctu, fuiſſe conſcriptum.

Nec ſi minus bene ſciamus, an ipſe Moſes *Pentateuchum* conſcripſerit, an vero Eſdras; vel is Eſdras ſaltem eum aliquatenus in ordinem digeſſerit, atque, ubi neceſſe id erat, ſuppleverit, aut explicaverit, id magis prohibere debet, ut auctoritatem debitam ipſi tribuamus, quam Libris Judicum, Ruth, Regum, & Chronicorum, aliiſque libris aut Pſalmis, qui ab Anonymis, nobis, Prophetis fuere conſcripti, atque anxie cum reliquis Prophetarum libris ſervati; & in Canonem tandem, eodem dirigente Divino inſtinctu, redacti ſunt.

Ut autem *Samaritani* ſolum adhucdum recipiunt *Pentateuchum;* ſic nullos alios Sacræ Scripturæ libros, præter iſtum (ne quidem Prophetarum Prophetias) agnoverunt. Nec tantum illos rejecerunt, qui ſolis Judæis; verum & iſtos qui Iſraëlitis Samariticis (ſeu 10. Tribubus) Prophetias ſuas annuntiaverant, ac deſcripſerant: ut Hoſeam, Amoſum & Micham. Quinetiam ne quidem Haggæum aut Zachariam agnoſcunt; qui 220. annis poſt *Samaritanos* per Salmanaſſarem avectos, inter Judæos jam reduces ex nomine Dei locuti ſunt; atque ipſos contra hoſtes, & ad inſtaurationem Templi, omni vi ac molimine, impedire conantes, adeoque & contra hos novos Samaritanos animarunt ex mandato Divino.

Hæc ſunt, Cel. vir, quæ tuis eruditiſſimis, æque ac humaniſſimis, literis opponere volui. Si interim aliquid præterierim (ut verba Irenæi, quarum explicatio ulterior reperitur pag. 257. operis mei; uti & Hieronymi verba adverſus Helvidium) ea hic omittere, ut ad quæſtionem hanc minus neceſſaria, malui: quamquam revera plane

ne pro me faciant, egoque in ea re cum ipsis sentiam.

Neque existimo, me Pontificiis nimium patrocinari, dum pono (quod verissimum puto) *Codicem*, vel *Codices Legis*, ante captivitatem imò & aliquanto post, sub sola Sacerdotum ac Prophetarum custodia fuisse; exceptis solis Regibus, si quando ipsum possiderent. Quod id aliter sæpius contigisse ex unico Josiæ, pii, si quis alius, Regis exemplo abunde patescat.

Adde Mosen (Deut. XXXI. v. 9.) *Legem jam a se conscriptam tradidisse Sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, & omnibus Senioribus Israëlis; ut* [NB] *quoquo septennio eam populo prælegerent*: cum alias deberent *Librum istum ponere in latere arcæ fœderis Domini Dei; ut esset contra ipsos in testimonium*: uti v. 26. exserte dicitur: quibus addere queamus Deut. XVII. v. 9, 10 & 11. uti & Matth. XXIII.

Hæc autem non frustra mandata fuisse credo: ut, nempe, eo melius S. Scripturæ integritas conservaretur; dum ab ipsis demum apographa essent petenda.

Nec tamen putaverim, ita *Codices* sub custodia Sacerdotum ac Seniorum populi fuisse, ut non plures præter ipsos (præsertim procedente tempore post Captivitatem, ac præcipue post Antiochum Epiphanem,) sibi *Codicem* possiderent ac conservarent; illosque ea occasione multum numero accrevisse: at minime tali modo ac numero, ut Rabbini de ipsis (etiam quoad tempora ante Captivitatem) nugantur.

Nam quod attinet ad *Tephilim* seu *Totaphoot*, & *verba postibus ac parietibus inscribenda*, vel inscripta: talibus minime carent (quin & ab ipsis Sacerdotibus ac Monachis illa iis obtruduntur) Romanæ Ecclesiæ asseclæ illi, qui minime legunt ipsam Sacram Scripturam.

Hæc

Hæc igitur, Cel. vir, ad tua, veritatis ſtudio (quod æque tuum eſſe clare ſentio) conſcripſi. Non ita tamen, ut pertinaciter refragari velim meliora docenti. Quod a nemine mihi gratius accideret, quam a te Celeb. viro atque Amico: quem ut Deus Opt. Max. diu ſoſpitem ac ſanum nobis relinquat toto animo voveo ac precor.

Harlemi 5. Septembris
1695.

Clariſſimo

D°. ANTONIO VAN DALE

S. M. P.

STEPHANUS MORINUS.

Vir humaniſſime,

SUaviſſimæ tuæ epiſtolæ gratiſſimum faciunt interſtitium inter ordinarias occupationes meas; iiſque mens mea recreata ad eas alacrius redit: quare pro illis plurimas habeo, & refero tibi gratias, citiuſque reſpondiſſem, niſi metuiſſem, ne frequentiori interpellatione, moleſtum negotiis, quibus te obrui quereris, adderem pondus. ad me quod attinet, nihil urget, ut commodum ad ſcribendum prævertas tempus, quo enim tibi erit commodius, mihi erit gratius; quoniam in omnibus tuo deſiderio exopto ſatisfacere, ut tuis etiam quæſtionibus facerem ſi valerem, quo in eandem ſententiam conveniremus; nihilomimus in ipſo diſſenſu nonnulla eſt delectatio, quam optabat ille qui amico ſemper aſſentienti aiebat: ſaltem ſemel dic non, quæſo, ut pateat nos eſſe duos.

Sic inter nos diſſenſum affectare non eſt opus, ſe ſponte prodidit, & nunc etiam paulo clarius, quam antea agnoſcitur, quum manifeſtiſſime diſtinguas Legis a Moſe traditæ codicem, ab illo Pentateucho, quo nunc utimur, quemque recentiorem exiſtimas; quia nullum hujus nominis veſtigium in

in S. Literis invenis : quin videris insuper existimare hunc Pentateuchum esse prolixiorem illa lege, quæ præceptis innumeris non constabat, quandoquidem brevi tempore potuit legi, & quibusdam lapidibus etiam inscribi; Pentateuchus vero sit amplissimus, & totis vastissimæ urbis mœnibus inscribi non possit : non opponam exiguitate characterum magnum opus posse in minimum spatium reduci, & vidisse Ciceronem (si Plinio lib. 7. cap. 21. credimus) Homeri Iliadæ in nuce inclusam, quæ non minor videtur Pentateucho: id esset in re seria non satis serium : dicam igitur legem, pro parte legis nonnunquam usurpari, & has ipsas completæ legis partes multas etiam leges affines sub se comprehendere: sic *lex holocausti* plures sub se habens Levit. 6-9. *lex parturientis* etiam Lev. 12-7. *lex Sepræ* Lev. 14-57. sic pro parte legis completæ lex sumitur Exod. 24-3, 7. Deut. 6 ad 27. imo Decalogus ipse legis nomine merito designatus Exod. 24-12. denique tota ceremoniarum sive vestes, sive Tabernaculi structuram, sive belli administrationem, sive politices regimen spectent, compages, lex una fuit sub se varias illas legis species habens, hæ particulares non ingens spatium postulabant leges; sed generalis cunctas complectens; quæ tamen ceremoniarum compages ipsa pars fuit legis omnibus suis partibus generaliter completæ, quia hæc ex omnibus composita est; propterea & legis, & legum sit passim mentio : hæ etiam variæ leges non simul datæ fuerunt; sed successive, & divisim; quo spectant verba citata ex Deut. 29. *hæc sunt verba fœderis & præter fœdus, quod pepiis, in Horeb*, & quoniam plurima mandata, ad ea quæ data sunt in Horeb post decalogum, deinceps fuerunt addita, quædam etiam repetita, & clarius exposita, repetitoque fœdere insuper confirmata ut Deut. 29-12. quæ omnia totam simul composuerunt integritatem legis, quæ a Mose morti proximo ultimum accepit suum complimentum, quamque suis moralibus præceptis,

ceptis, ceremoniis, politicis ſtatutis, atque hiſtoriis convenientibus comitatam exiſtimo eſſe intelligendam, lege a Moſe ſcripta, & ſacerdotibus, & omnibus Iſraëlitarum ſenioribus tradita, ut ſeptimo quoque anno, coram toto Iſraële illam ſolemniter legerent Deut. 31-9, 24. atque ad arcæ latus collocarent, ut in teſtimonium ibi ſemper permaneret. 26. ſic exemplar legis ibi ſemper aſſervatum, ut ad illud cætera poſſent comprobari: Sacerdotes autem, & Levitæ propria ſua habuerunt, ut continuo populum docerent Deut. 32 10. mal. 2 7. ſed inſuper populi ſeniores omnes ſuas etiam habuerunt, quo unus quiſque ad ſe pertinere illam legem agnoſceret, & ſciret illius cognitionem eſſe neceſſariam ad præſtandum ex toto cordis affectu Deo obſequium. hanc legem totam obſervare tenebatur Joſua 1-7. & *in ore* ſemper habere 8. quare moriturus omnem Iſraëlem ad totam illam legem obſervandam ſedulo adhortatur, & repetito fœdere adſtringit. 24-25. hæc eadem lex reperta in templo 2. Reg. 22-8. Liber autem illam continens coram rege lectus dicitur, non quod totus eo momento lectus fuerit; ſed quia legit legem, qui partem legit, quia ſingulæ ejus partes homogeneæ ſunt; quin ne mandata ulla lecta fuiſſe, ſed dumtaxat minas, quæ ad apperturam libri divinæ providentiæ opera, aut prudenti ſacerdotis concilio potuerunt occurrere ad calcem Deuteronomii, diceremus niſi expreſſe affirmaretur omnia verba libri lecta fuiſſe, quod diverſis vicibus fieri potuit vid. 2. par. 34-30. obſervandum igitur accurate quando de tota lege, aut de partiali, ut politica, ceremoniali, aut morali agatur; quia omnes ad illam œconomiam ex æquo pertinebant, licet moralis præſtaret. dixi hiſtorias adjunctas ad illam etiam pertinere, ſunt revera illius fundamentum; creatio enim mundi & electio gentis Iſraëliticæ, providentiaque ejus conſervationi ſemper invigilans, cultus a Deo in lege requiſiti ſunt validæ rationes: unde in ipſa Decalogi præfatione ſit mentio liberationis ex

Ægypto. Falleretur præterea qui putaret totum Ecclesiæ officium consistere in operibus a lege præscriptis, fides enim est etiam necessaria, quæ historicæ narrationi creationis, promissioni de semine caput Serpentis contrituro, & de benedictione ex prosapia Abrahamidum oritura, de Scilo etiam, & toto Israëliticæ Ecclesiæ, cui omnia in figura accidebant curriculo 1. Cor. 10·11. debet adhiberi, & præcipuam antiqui cultus partem constituebat, quum, ab illa fide, fideles nuncuparentur. quis negabit Israëlitarum fidem utiliter exercuisse, quum nunc etiam ingens ab illis historicis narrationibus nostra percipiat emolumentum? quanto magis debuerunt proficere Israëlitis, qui toti ab illis pendebant, atque iis in spem futuri liberatoris dumtaxat sustentabantur? quamobrem cum lege mirabiliter concurrebant: erat enim *pædagogus ad Christum* Gal. 3-24. nisi malimus affirmare legi mandatorum has historias præluxisse, ut demonstrarent gratiam redemtoris, dum illa minis suis agitabat peccatores, quo gratiam hanc ardentius anhelarent.

Nosti vir experientissime, tuos familiares, Galenum, Fernelium &c. historias curationum, & experientiarum ab ipsis factarum, agendo de morbis, de bona valetudine conservanda, aut de corporis humani conformitatione, non raro interserere; quanto convenientius fuit Mosem funestas peccati causas, & propensam Dei erga Israëlem benevolentiam exponere; quum legem peccati virus arcentem, & remedia gratiæ in sacrificiis, & aliis typis latentia a Deo omnis perfectionis auctore Israëlitis jussus est tradere? cur ejusmodi historiæ, quæso minus conveninnt legis promulgatori, quam Pentateuchi auctori plurimis sæculis recentiori? sane primo omnium auctori divinitus acto ad Ecclesiæ institutionem, convenire videbatur, primas rerum origines, & ipsius Ecclesiæ natalia, & totam familiam declarare, quando quidem ignorari a fidelibus nolebat Deus, & ordo perverteretur, si

tan-

tanti momenti documenta ad extremorum temporum exitum amandarentur. quis Propheta aptior Mose, qui parem non habuit Deut. 34-10. & mirum etiam erit periisse tanti Prophetæ, si aliquis Mose antiquior, memoriam, qui Mosem etiam præcedere debuit, ut in *capite libri* illustre de liberatore Oraculum apponeret, quodque Christo attribuitur Ebr. 10-7. ex Ps. 40-9. an David respexit ad auctorem Sanaballete recentiorem? aut novitius scriptor antiquum & θεόπνευστον ipse θεόπνευστος supplantavit, ut recens licet primus in historia haberetur?

Ut meam sententiam ingenue declarem, id alienum a ratione mihi, videtur; imo semper existimavi etiam periculosum positos a majoribus terminos temere, & sine urgenti ratione movere; quum igitur Pentateuchus simulatque in lucem venit Mosi fuerit attributus, & ejus nomine insignitum Patres liberis eum a prima antiquitate constanter tradiderint, Ecclesiaque fidelibus similiter tradiderit, atque hodie etiam tradat, neque quinque libros Mosis a Pentateucho distinguat in omnibus omnium Christianorum bibliis, ab universali, & convenientissima illa sententia minime recedendum credo: & credent quicunque hactenus probaverunt hanc Vincentii Lirinensis regulam, in commonitorio primo cap. 3. *in ipsa item Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Præsertim quia id non est ex earum doctrinarum genere, quæ lapsu temporis, & ignorantia depravantur; sed sponte patent oculis, & auribus fidelium: *fides enim ex auditu verbi Dei* Rom. 10-17. quare simulatque traditum est Ecclesiæ, ipsa illud tradidit filiis suis, ut hoc semine incorruptibili filios Dei faceret, sicque continua successione ad nos singulari providentiæ divinæ beneficio incorruptum pervenit, ut efficaci hoc medio ad salutem necessario nunquam careamus, quod præcedenti epistola probatum, necessarium dico, quia Deus vo-

voluit suam verbi opera voluntatem innotescere, ut cultus noster obsequio niteretur: initio quidem longævi patres poterant sufficere ad conservandam doctrinam in familiis suis absque depravatione; nam suam docere Adam potuit ad Methusalem, qui ad Semum; Semus autem ad Isaaci annum 50. pervenit; sic tres præceptores ad patriarchas per 2150. annos & amplius suffecerunt ad conservandam doctrinam, quæ postea per frequentes vitæ brevissimæ successiones facilius mutationi fuisset obnoxia, nisi a Mose fuisset scripto mandata, & ad nos pervenisset ut pervenerat ad Nehemiam 13-1.

Ne autem traditionis majorum, aut meræ convenientiæ auctoritate quinque Pentateuchi libros videamur adjudicare observandum est legem supponere historiam creationis, ut præviam, & utilem ad conciliandum sibi Israëlitarum studium Deut. 4-32. quare creatoris oblivio ut ingens scelus describitur Deut. 32-18. magis urgebo · omnes Pentateuchi libri ipso legis nomine a S. Scriptoribus citantur *Genesis*. Gal. 3-21. *non auditis legem; scriptum enim Abramum duos habuisse filios & unum ex serva, alterum ex libera* &c. ubi autem nisi in Genesi 16 & 21. *Exodus* Nehem. 10-35. invenerunt scriptum in lege, primogenitos, & primitias debere offerri. nempe Exod. 13-12 & 23-19. *Leviticus*, nam ex lege reperta Josias 2. Reg. 30-24. amovet pythones interdictos Levit. 19-30. & 20-6. *Numeri*, ad instar legis præscriptæ Num. 29 & 30. jubet Ezechias 2, Chron. 31-3. offerri oblationes, *Deuteronomium* cap. 27-4. jubet Moses in monte Hebal altare ædificari; Josua autem 8-30. illud dicitur ædificasse secundum *mandatum Mosis in lege* 8-30. denique in illis libris Moses passim loquitur in prima persona, ut illorum auctor, illos igitur scripsisse debuit, alioquin falleret. sic Deut. 30-1. *quando* evenerint quæ *proposui* &c. *faciesque mandata quæ præcipio tibi* hodie &c. 15. Considera quod

quod hodie dedi in conspectu tuo vitam &c. 18. *annuntio vobis hodie* &c. *contestor vos hodie* & alias quidem referte dixisse Mosem; sed non semper, ut simul declararetur auctor, & simul significaretur ministram dumtaxat præbuisse operam, Deumque eo ut simplici organo usum ad Israëlitarum institutionem: sic autem nullus vere loqui posset post ejus mortem; nisi antea monuisset, se Mosis legem, & historiam relaturum, Mosisque nomine usurum, ut magis nativa sua relatio haberetur. plura exempla, & argumenta possent afferri; sed sponte infra occurrent, & hæc sufficere videntur.

Miror hæc tua verba, vir prudentissime de Pentateucho & Samaritanis [*quantum expiscari valeo non ante Manassis, cum Jaddua schisma (i. e. circiter 400. annis post missum sacerdotem) ad ipsos pervenit.*] nam videntur pugnare cum istis, quæ paulo post addis [*constat, & legem divinitus datam fuisse, & Pentateuchum divina ex providentia, & instinctu fuisse conscriptum*] etenim enumeratio 22. librorum Canonicorum a Josepho lib. 1. contra Apionem, ab omnibus orthodoxis, cum hac observatione admissa fuit, eos a Mose ad Artaxerxem extendi: ἀπὸ δ' Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου, γέγραπται μὲν ἕκαστα; πίστεως δὲ οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ ἑαυτῶν, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. *ab Artaxerxe vero* (inquit) *usque ad nostrum tempus, singula quidem sunt scripta; sed simili fide digna non habentur, quia non amplius fuit certa Prophetarum successio.* Josephus sacerdos fuit, & in gentis suæ historia instructissimus: non igitur ipsum latere potuit Prophetiæ apud ipsam defectus, & quemadmodum fidem adhibemus Romanis scriptoribus, quando annotant tempus, quo prisci sui reges desierunt aut imperatores rerum summa sunt potiti, Josepho Judæorum sui temporis doctissimo, eam non possumus denegare; præsertim quoniam agitur de præstantissimo decore,

re, cujus conſervatio ipſi & toti genti fuiſſet honorificentiſſima. neque ſolus teſtatur hunc finem Prophetiæ inter ſuos tunc fuiſſe impoſitum, ipſa gentis Chronica idem declarant; ſic enim magnum *Seder Gnolam Rabba* dictum, poſtquam explicaſſet Prophetiam Danielis de Alexandro magno, ſcribit: *huc uſque Prophetæ per Spiritum S. vaticinati ſunt: deinceps inclina aures tuas, & verba ſapientum audi.* Breve autem ſive *Seder Gnolam Zuta* agendo de anno 2 Darii, quem exiſtimat eſſe Artaxerxem Aſſueri, & Eſtheræ filium, ſcribit: *eo tempore obiit Ezras ſcriba, Haggæus, & Malachias eſtque ſublatum Prophetiæ munus ex Iſraele.* Suffragatur Miſcna in Maſech. Avot. cap. 1. his verbis: משה קבל תורה מסיני ומסרה ליהושע ויהושע לזקנין וזקנין לנביאים ונביאים מסרוה לאנשי כנסת הגדולה *Moſes accepit legem e Sinai & dedit illam Joſuæ, Joſua Senatoribus, Senatores Prophetis, Prophetæ Viris magnæ Synagogæ.* Inter hos magnæ Synagogæ viros fuerant Ezras, Haggeus, Zacharias, & Malachias, ut docet R. Maimonides in præfatione *Jad Chazaka*, ubi fuſius enarrat hujus traditionis hiſtoriam quam concludit ſcribendo: האחרון מהם שמעון הצדיק *poſtremus eorum fuit Simeon juſtus*, quem dicunt filium Oniæ Pontificis de quo Eccleſiaſtic. 50-1. & R. David Ganz teſtatur præterea per annos 40. Pontificatum geſſiſſe, & Alexandro magno in Darium proficiſcenti occurriſſe, atque Jadduam a Joſepho ſecundum illius ſæculi morem pluribus nominibus multiplices præſtantium virorum dotes ſignificandi, fuiſſe nuncupatum. in Tſemach David ad annum 448. millenarii quarti a mundo condito, & 40. a reædificatione ſecundi Templi. Quum Simeon juſtus eorum, qui Prophetis ſucceſſerunt fuerit poſtremus, & poſt diuturnum pontificatum ſenex occurrerit Alexandro magno, tunc inveniri non potuit Propheta, aut vir θεόπνευςος, qui S. Spiritus inſtinctu Pentateuchum ſcriberet: quando quidem omnes Judæi acerrimi gloriæ gentis pro-

propugnatores insuper fatentur S. spiritum sub secundo Templo defecisse cum aliis quatuor insignibus idque probant ex Aggæi. 1-8. eorum commentatores. denique Malachiam vocant חותם הנביאים *signaculum Prophetarum;* quoniam eorum ultimus fuit, & in his Christianos habent consentientes.

Licet etiam petere cui bono S. Spiritus cum ratione semper agens aliquem tunc inspirasset ad scribendum Pentateuchum Ebraice, quum lingua Ebræa exoluisset inter ipsos Ebræos, & opus habuerint libros sacros in linguam Chaldaicam, cui in captivitate assueverant, transferri? an ob Cuthæos, quibus semper ignota fuit, & quibus necessaria fuit versio eorum Samaritana, qua ad hunc diem utuntur? Textum Ebræum literis Samaritanis exaratum dumtaxat conservantes, ut antiquum monumentum veritatis divinitus revelatæ ad quod docti in dubiis tenentur recurrere, quod frustra fieret, si Pentateuchus recens similiter esset, & paulo ante compositus a nescio quo.

Si post omnes Prophetas etiam compositus fuisset Pentateuchus, ante illum cæteri Prophetarum libri fuissent absoluti, & in ordinem, quo illos habemus redacti, ut communis fert sententia, & quidem satis probabiliter, quum Ezras videatur idcirco dictus scriba magnus, & velox in lege Mosis Ezræ 7-6. unde in h. l. Grotius: *extabat ergo toto exilii tempore lex inter Judæos, ut apparet &* Dan. 19-13. *Ezdras allatis optimis exemplaribus accuratam legis dedit* ἔκδοσιν, *addiditque historias sequentium temporum, cum Propheticis libris, & iis Poeticis, qui auctoritatem obtinebant.* Malui illis doctissimi viri verbis uti, quam meis, ad colligendum, quod si illo demum tempore Pentateuchus post illam Esdræ editionem deferri ad Samaritanos cœpisset, debuissent conjunctim accipere cæteros libros sacros simul ab Esdra editos, & quum non acceperint, colligendum longe

ante Esdræ, & omnium librorum sacrorum collectione, & post schisma 10. tribuum suum Pentateuchum accepisse: quare deinceps hos libros Pentateucho ante admisso adjungere noluerunt; quoniam schisma improbabant, jusque familiæ Davidicæ legitimum commendabant. quin ad hanc sententiam, vir doctissime, videris pedetentim accedere: nam quum ex Luca 24-44. voluissem probare Pentateuchum ab initio obtinuisse, & legis nomine designatum tertiam S. librorum partem constituisse, quoniam Prophetæs, & Psalmi cætera ἁγιόγραφα comprehendentes, partes duas faciebant, fateris, quod: *occurrunt in scriptis Novi Testamenti lex, & Prophetæ; ubi legis voce Pentateuchus intelligitur: verum ob aliam rationem, ob lectiones nimirum Sabbathicas, in quas jam a longo tempore divisus, ac distributus fuerat*, & non capio cur Pentateuchus ob divisionem in lectiones Sabbathicas legis nomen obtinuerit; sed certum est ad eas minime Novum Testamentum respicere, & totam legem absolute significare: eo tamen ipso, quod Pentateuchum, lege in 53. sectiones, quæ unicuique Sabbatho convenirent, ut singulis annis tota legeretur, distributâ, vis intelligi, existimo jure colligi Pentateuchum esse legem Mosis, quoniam si non esset, Euangelium veritatis norma eum legem Mosis absolute non vocaret: imo non legem Mosis illum dumtaxat vocat; sed Mosem ipsum, ut Act. 15-21. Jacobus in primo concilio ait: *Moses enim ab ætatibus antiquis in singulis urbibus habet, qui ipsum prædicent, quum in singulis Sabbathis legatur.* legitur *Moses*, in libro scilicet a se scripto, & *ab ætatibus antiquis*, non instituto heri, aut nudius tertius opera novitii Pentateuchi introducto: vix potuit Pentateuchi in has sectiones divisi auctor Moses manifestius declarari. sic Matt. 8-4. Leprosus jubetur offerre donum a Mose præscriptum, nempe libro 3. Pentateuchi, sive Levit. 14-4. etiam Matt. 19-4, 5, 7. de matrimonii institione, & divortio ex Gen. 1-24.
Mo-

Moses jussisse dicitur fratrem superstitem fratris mortui uxorem ducere teneri, ut ipsi suscitet posteritatem ex Deuter. 25-5. tædiosum esset plura referre loca in quibus ex lege, & Mose citanrur verba. quæ in Pentateucho leguntur, & declarant, legem Mosis, a Pentateucho minime esse discriminandam, & diversis, illis nominihus intelligendum librum, qui repertus legitur 2. Reg. 22-8. 2. Par. 17-9. Nehem. 8-1. nisi quod unus fuit propria manu Mosis descriptus, alii vero ab aliis ex illo, aut simili describi potuerunt; quum unum dederit in testimonium, qui ad latus arcæ debuit asservari, & alios sacerdotibus, & tribuum principibus Deut. 31-9.

Sacerdotes sane præ cæteris hunc librum tenebantur sedulo asservare, ut doctrinam in eo contentam discerent, & eam alios docerent Jerem. 18-18. Mal. 2-7. hinc *tractantes legem* eos Jeremias vocaverat 2-8. sed non dubitandum omnes pios illam etiam habuisse ut ejus studio incumberent, quoniam, ut ipsi sacerdotes, ad illius observationem tenebantur, & illam propterea sæpissime deberent consulere. dubitas tamen plures ante captivitatem in manibus eam habuisse; at contra florente tunc religione sub Davide, & Salomone, piisque judicibus vix puto ullum ea caruisse, quum in hodierna dispersione miserrimi eam habere solent & ad fœlicem vitam pertineat: בתורת יהוה *in lege Dei delectari*, ובתורתו יהגה יומם *& in lege illius meditari interdiu:* imo id non sufficit, sed ולילה *noctu etiam* illud officium esse præstandum docet David Ps. 1-2. neque a populo ad legem remittendos esse seductores Jesaias 8-2. doceret nisi populus legem habuisset; hinc Lucerna pedibus prælucens dicitur Ps. 119-15: & qui pie vivunt in mandatis legis dicantur passim ambulare, quoniam præ oculis illa semper habent; iisque accurate satagunt insistere. quapropter plurimi libri Sacri a ministris Antiochi, & ab apostatis Judæis traditi & combusti 1. Mac. 1-59. &

60. plurimi Judæorum, qui illos habebant etiam combusti. imo gentes, ut inventu faciles eos quærebant, & appositis idolorum figuris polluebant. 1. Mac. 3-43, Jeremias etiam Judæis in captivitatem abductis legem dedit, & sedulo admonuit ne mandatorum ejus obliviscentur 2 Mac. 2-2. denique innumera legis fragmenta in gentium scriptis reperta luculenter testantur innumera fuisse illius exemplaria, quæ promiscuæ plebis manibus assidue terebantur, & ubi quæso Plato, & alii creationem &c. didicerunt?

Ad Samaritas quod spectat carere non potuerunt unquam legis exemplaribus, si iis intelligamus Israelitas 10. tribuum a Judaica divulsos; inter ipsos enim multi sacerdotes, & multa tribuum capita, apud quos exemplaria a Mose data fuerant conservata, & plura ex iis exscripta; quamvis enim idololatræ essent, legem Dei non prorsus abjiciebant neque omnia ejus mandata aspernabantur, unde ad verum cultum a regibus æquis facile reducebantur: multi autem eorum, qui ingruente captivitate ad vicinas gentes & Judæos inprimis transfugerant, aut in antris, sylvisque delituerant, aut sponte ad colendam terram relicti fuerant, remanserunt cum Cuthæis, & cæteris advenis, qui legem eos docere poterant; sed quum opus esset illam domi legere, ut ejus præcepta accuratius noscerentur, missus est ad hos sacerdos, qui literis Cuthæis descriptam exhiberet: si autem suffecisset eam a sacerdotibus legi, & haberi, non opus fuisset his literis illam describi, quoniam sacerdos eam propriis literis scriptam expeditius legisset, & his gentibus etiam potuisset exponere; sed ipso naturæ lumine, & fidei ad obsequium compositæ natura, conspicuum est, normam & legem omnibus ad ejus observationem obstrictis innotescere debere. forsan existimabit aliquis, parum profuisse illas literas, quum verba remanerent Ebræa; sed certum est adhuc magnam remansisse affinitatem, inter Chaldaicam linguam quæ in imperio

Ba-

Babylonico obtinebat, & Ebræam; ut patet 2. Reg. 18. ubi Eliakim rogat Rabſacem, ut loquatur Arabice ſive Chaldaice, non Judaice i. e. Ebraice, quoniam intelligere poterant; ipſe vero recuſat, quia volebat a circunſtante plebe intelligi, nempe viri ſapientes diverſas dialectos facile conciliant. etiam tempore patriarcharum ſervus Abrahami & poſtea Jacobus, cum Labane, & Syris familiariter converſabantur, & nunc etiam ut verſio Samaritana facile ab Ebr. ling. gnaris intelligitur, ſic Samaritanis valde attentis non plane incompertus fuit Pentateuchus Ebræus, quando literis Samaritanis ſuis fuit exaratus: at poſt aſſiduum cum Iſraëlitis commercium quo literæ Ebrææ ipſis familiares factæ fuerunt, labor ille fuiſſet ſupervacuus, ex illo igitur colligi poteſt a primo illorum in vacuas Iſraëlitarum ſedes adventu, Pentateuchum Samaritanis literis fuiſſe exaratum.

Novum mihi videtur ſuppeditare argumentum acerrima illa contentio, quam Judæis, cum Samaritanis Alexandriæ interceſſiſſe refert Joſephus Antiq. lib. 13. cap. 6. illis propugnantibus κατὰ τοὺς Μωυσέως νόμους Templum Hieroſolymitanum eſſe legitimum; his vero Gariſitanum, ea lege, ut utrius partis cauſidici ſuccumberent morte mulctarentur, & κατὰ νόμον utrique agerent; inde enim manifeſtum eſt eos legem communem habuiſſe, eamque fuiſſe legem Moſis, ea igitur non diverſa erat a Pentateucho, quem ſolum ſuſceperunt ab initio Samaritani. probabiliſſimum inſuper eſt fretos Samaritanos Pentateucho ſuo, in quo legebant Deuteron. cap. 27. v. 4. *quum tranſieritis Jordanem erigetis lapides iſtos, quos ego præcipio urbis in monte Gariſim ædificabis etiam ibi altare;* quum enim in lege nulla eſſet mentio Templi Hieroſolymæ conſtruendi, ſed tantum loci quem debebat eligere Dominus Deut. 12-11. 18-21. 26. 26-28. & ſeq. putaverunt jus ſuum eſſe extra omnem controverſiam Samaritani; cauſa tamen ceciderunt coram rege Ptolemæo Philo-

metore, & procerum concilio, atque merito; nam falſum erat teſtimonium, & evidenti S. Textus depravatione innitebatur, in textu Ebræo enim, qui genuinus abſque controverſia eſt agnitus legebatur עיבל *Hebal*. Sicut in Græca verſione Ptolemæo Philadelpho regis abavo jubente facta, ut in Chaldaicis, Syris, & omnibus aliis verſionibus ſola Samaritana excepta, quæ exemplari ſuo ſuffragatur, eadem lectio proſtat. quin comprobatur ipſo eventu, Joſua enim poſt occupatam Chananitidem, in monte Hebal altare ædificaſſe legitur Joſ. 8-30. ut juſſerat Moſes: non potuit validiori ratione redargui textus Samaritanus; ſimul etiam antiquus probatur: quis enim credat in Pentateucho recenter compoſito, & ab omnibus diligenter conſiderato auſos fuiſſe tantum ſcelus Samaritas? Et quis inſuper ſcelus illud recens latuiſſe gentem, & patronos ad templi ſui decus propugnandum electos? ſi autem hos patronos, & totam gentem non latuiſſet S. textus depravatio, an auſa fuiſſet gens illam exhibere coram Rege & ſuo Senatu in conſpectu Judæorum, qui originalem textum habebant; & verſionem etiam Græcam? an patroni ſub certo vitæ ſuæ periculo, quod revera ſubierunt, illam tueri tentaſſent? id ab omni ratione fuiſſet alienum, & contra veriſimillimam hanc depravationem ſub literis ignorabilibus latentem Judæos latuiſſe; nam cauſæ ſuæ non timuiſſent: latuiſſe etiam Samaritanos, quia a prima gentis antiquitate patrata fuerat, ab iis, qui Iſraëlitas Cuthæis permixtos ab his diſcedere, ſuamque cum Judæis ſocietatem redintegrare nolebant, & propterea templum in Gariſimo monte juxta Sichemum commodiſſimo condendum, jam meditabantur, ut Hieroſolymitanum deſiderarent; fuit etiam locus fraudi ſatis obnoxius, quoniam in eo de Gariſimo, & Hebale fit æque mentio, uterque mons præterea ab utraque Iſraëlitici itineris parte occurrens debuit ſex tribus ſuſcipere; quin poteſt Gariſimus etiam videri potior, quia benedictiones ex eo, ut

ex

ex Hebale maledictiones pronunciari debebant; ita ut inter incautos facillimum fuerit ei attribuere altare, ut benedictionum appendice, quamvis pænam, & maledictionem igne vorante, & victimæ expiationis vacuæ morte debitas peccatoribus pœnas potius portenderet & Hebali magis conveniret, ut revera a Deo fuit attributum, atque ad Garisimum fraudulenter detortum; quamvis enim descriptæ circunstantiæ inadvertentes potuerint decipere, auctores non deceperunt, & nimia præcautio hic dolum prodit, quia hæc eadem verba, ut majorem fidem facerent bis fuerunt absque ulla ratione repetita, & inserta Exod. 20-17. & Deut. 5-21. post 10. mandata legis moralis.

Perspecta mihi sunt S. Scripturæ, & Josephi loca, quæ pessimam Samaritanorum indolem describunt; sed puto iis non probari nullos inter eos fuisse, qui pietati darent operam, & legis illam dirigentis libros conservarent postquam a sacerdote misso e Babylone instituti fuerunt, & a piis Judæorum regibus sæpius ad officium redacti, cum Israëlitis inter eos permixtis: quamvis igitur libri sacri non deessent, neque bona exempla, nonnulli, & forsan potentiores, Judæis potuerunt adversari, & legem non curare; mihi sufficit, quod fuerint aliqui tam ex Israëlitis quam ex novis colonis in unam, cum illis, gentem coalescentibus, qui destructis a Josia idolis pascha cum Judæis celebrarunt 2. Reg. 23. 2. Chron. 34-6. & quod versu insuper 35. legitur Josias compulisse omnes qui in regione Israëlitarum erant ad colendum Deum, eosque toto vitæ suæ tempore a Dei cultu non recessisse; quia statim ab initio Deum coluisse dicuntur 2. Reg. 17-32. licet, Israëlitas imitati, sua idola non abjicerent; ipsi profitentur se Deum colere Esd. 4-2. at. 9. se alienigenas declarant; ita est, & vera erat hæc declaratio respectu advenarum; non est autem inauditum societates ex diversis hominum conditionibus constantes, unam, aut alteram ostentare prout præsenti statui

tui magis conducit, & politicum est, atque nonnunquam absque religionis præjudicio; neque patriam ejuraverant, quando fuerant a sacerdote Israëlitico instituti.

Constare dubito Sanabaletem Horonitem Neh. 2-10. & passim deinceps, fuisse Manassis socerum, qui filiam suam illi dedit tempore Alexandri Magni: ille enim sub Dario Notho vivebat, filiamque suam nuptui dedit filio Jehojadæ pontificis, quem amovit Nehemias 13-28. hic vero suam dedit Manasse Johannis pontificis filio, & Jojadæ nepoti, quem ab altari amovit ejus frater Jaddua pontifex: sic nec tempora, ne personæ inter se conveniunt, licet Scaliger, & R. David Ganz aliter judicaverint.

Irenæus putavit absque lege, ante eam datam, potuisse quosdam salvari, & merito, quum nondum obligaret; at post quam data est debuit observari, & propterea legi, & conservari; quamobrem optime tandem observas legem non ita delituisse in conclavibus sacerdotum, quin multi privatim legere illam potuerint, quando in ipso templo adeo neglecta jacuit; ut deperdita inter sacerdotes videretur; at procul dubio Jeremias, qui tum vivebat, & plurimi pii ejus studio incumbebant. mandatum autem singulis septennis legendi legem, & scriptam habendi in postibus &c. ad lectionem legis assidue commendandam spectabant, neque debent cum superstitiosis pontificiorum schedulis, quæ legitimum S. Scripturæ usum pervertunt, ullo modo hæ imperatæ inscriptiones comparari. Ad hæc autem epistolaria responsa quod attinet, vir Clarissime, tua sunt, simulatque ad te dantur; utere igitur illis, sicut tibi videbitur, meque tui amantissimum pergas redamare rogo, atque obsecro.

Amstelod. 23. Septemb.
1695.

Celeberrimo viro

D°. STEPHANO MORINO

S. Theol. Doct. & Ling. Orient. Professori, &c.

S. P. D.

ANTONIUS VAN DALE.

MOlestum me tibi non esse meis interpellationibus, Vir Celeberrime, easque gratas permanere, beneficii loco mihi quammaxime duco: dum tamen quas mihi immerito refers gratias, eæ tibi a mea parte vere cedere debent.

Verum, ut ad quæstionem inter nos agitatam rursus accedam; observo discrepantiam inter nos exinde fuisse partim ortam, partim adauctam, quod non satis inter nos conveniamus circa Pentateuchum Hebraicum, vel, si mavis, Judæorum; quatenus is 5. libros Mosi, ut Scriptori, attributos complectitur: an, scilicet, is a Mose talis ac tantus, uti ad nos ab Esdræ tempore pervenit, conscriptus fuerit; an vero ab hoc Esdra ita ex Mosis scriptis (Legibus ac narrationibus ex ipsius ore descriptis, vel ab ipso ita dictatis) præterquam ex aliis quoque Scriptis Propheticis (libro Bellorum Domini, aliisque) fuerit concinnatus: ut inde, velut a potissima, vel magis essentiali, parte (Lege scilicet, & iis quæ ad eam pertinebant) aut *Lex Mosis*, aut *Pentateuchus Mosis* (quod

is Moses ibi præcipuam partem, in quatuor posterioribus libris obtineat) appellaretur.

Quam posteriorem opinionem non primus ego, sed post alios, tam Veteres quam recentiores, eruditissimos Scriptores, amplector. Hieronymus sane, hîc, præter alios jam ante citatos, sufficit; dum adversus Helvidium hoc modo loquitur: *Loquitur, in Genesi, sermo Divinus: Et tradidit Jacob Deos alienos, qui erant in manibus eorum, & inaures quæ erant in auriculis eorum abscondit eas Jacob subter terebinthum, quæ est in Sichemis, & perdidit eas usque in hodiernum diem. Item in fine Deuteronomii: Et defunctus est Moses servus Dei in terra Moab contra Phegor; & non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. Certe hodiernus dies illius temporis existimandus est, quo historia ista conscripta est; sive Moysen dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Esdram ejusdem Instauratorem operis, non recuso.*

Ex ista autem jam dicta discrepantia opinio illa in te videtur exorta, Vir Celeb. quasi Pentateuchum quendam novum, Veteribus ignotum, atque a novitio Scriptore & ignoto, sive *a nescio quo* (ut loqueris) ac post Macchabaica tempora (ita enim ex verbis meis, non sat bene intellectis, innuere videris) pro genuino ac veteri, aliis obtrudere velim. At, si relegas meas Epistolas, aliud quid, ac contrarium plane, ex iis clare perspicies.

Pentateuchus enim ille ab Esdra ad nos incorruptus perduravit (namque Variæ Lectiones in hunc censum venire non debent; nec cum Cuthæorum, seu novorum Samaritanorum mala fraude hîc ullo modo comparari possunt;) & Judæi illum, nec ante Christum natum voluerunt corrumpere aut intervertere, (quod satis ex solis Prophetiis de futuro Messiâ constat; quas nec Græci Interpretes, cum vertendi ista occasio corrumpendi sic simul ansam daret, vel faci-

cilius dare posset, temere attigerunt;) nec post Christum natum ullo modo corrumpere potuerunt. Ita ut ipsius auctoritati vel integritati id minimè deroget, si Apographum Hebraici Codicis post 400. annos post Salmanassarem, ad Cuthæos, seu novos Samaritanos, pervenit, ibique, occasione supra jam memorata, corruptum fuit: cum & Lex a Mosis tempore in Israële, & Pentateuchus (quo illa comprehensa fuit) ab Esdra usque ad nos, perduraverint.

Etsiamsi igitur ab ipso Mose nil, nisi quod ad Leges attinet (ac Benedictiones & Maledictiones cæteraque verba ex hujus Mosis ore prolata) perscriptum fuerit; reliquæque res Historicæ, ac quæ ad complementum; (ex. gr. Mosis mors, &c.) aut explicationem Legis faciunt, ab Esdra, ex Scriptis Propheticis, jam supera memoratis superadditæ, & intermixtæ fuerint, ut sic ratio & causæ Legis clarius ac manifestius extarent: cum jam & Prophetæ Divinitus docti cum Haggæo, Zacharia ac Maleachia desinerent; neque hujusmodi Doctores & Interpretes populo amplius, ante Joannem Baptistam exspectandi essent) etsiamsi, dico, id ita contigerit, tamen nemo negare potest (nisi & simul negare ausit, totam istam Captivitatem & Liberationem ex illa, & media per quæ illæ effectum sortitæ sunt, contigisse secundum prædictiones Prophetarum Spiritu Sancto ductorum; adeoque & secundum directionem ac ductum Divinum hoc Esdræ negotium ex motu atque instinctu Divino fuisse peractum: cum id ne quidem de Lege, post furores Antiochi Epiphanis rursus restituta negari cum ratione possit.

Ita, ut ille Pentateuchus ab Esdra conscriptus æque magnæ auctoritatis nobis esse debeat, quasi ab ipso Mose conscriptus esset. Idem enim ubique & semper est Spiritus Sanctus, & ejusdem semper & ubique (per quemcunque demum verum veri Dei Prophetam) veritatis.

Esdram autem, quamvis aliàs Scriba vocetur, hîc Pro-

 phe-

phetæ partes egiſſe, nemo mentis compos negabit. Qui Eſdras, ſi quidem alias ipſe non fuiſſet Propheta, Prophetas, certe, Haggæum, & Zachariam, & Maleachiam, in munere ſuo, adjutores habuit.

Si igitur, poſt Eſdram, Haggæum, Zachariam, & Maleachiam Prophetæ ac Prophetiæ (uſque ad Nov. Fœdus) defecerunt, id meæ cauſæ minime hic obeſſe poteſt.

Veteres termini igitur, Celeberrime Vir, non temere a me moventur: neque ullo modo mihi imputandum, quaſi Pentateuchum Hebraicum alicui auctori Sanballete recentiori attribuerem; ſomniaremque perabſurde, Davidem, Pſalmo XL. v. 9. aut Apoſtolum ad Hebræos (cap. X. v. 7.) ſcribentem, ad talem novitium ac nuperum &c. reſpexiſſe. Quare iſta, quæ tam ex Vincentio Lirinenſi, quam ex aliis adducere tibi placuit, mihi plane præter rem allata videntur: nec video magis, quid contra me faciant iſta, quæ ex Joſepho quoque & Rabbinis, affers.

Nam certe Eſdræ ac Nehemiæ libri inter vere Canonica, atque inſtinctu Sp. Sancti ſcripta ſemper habiti, & Canoni antiquitus incluſi fuerunt. Hincque fruſtra mihi videntur allata illa, quæ ex Grotio aliiſque ulterius ſuperaddis. Mihi autem quammaxime verum videtur Eſdram (tali modo, ut jam ſupra indicavi) Scriptorem fuiſſe Pentateuchi; quamvis non ſimul Canonis confectorem: cum Nehemiæ liber ab initio Canoni incluſus, poſt Eſdræ demum mortem conſcriptus ſit. Quod patet ex mentione Darii Codomanni (ſeu Nothi) ac Sanballetis, &c. quod Eſdra adhuc vivente ita fieri non potuit. Unde non incommode concludere mihi videor, illud ſchiſma Canoni per hunc librum claudendo occaſionem & cauſam dediſſe: quibus acceſſit, proculdubio, defectus Prophetiæ; de quo ſtatim locutus fui.

Quando autem, in præcedentibus meis literis, loquebar de Pentateucho Samaritano, putabam me illud ſat clare diſtinxiſſe

xisse a Pentateucho Judaico; atque imprimis dum eum a Manasse Hierosolymis translatum ad Cuthæos, &c. ibique transcriptum, atque ista occasione corruptum, statuo; eo tempore, scilicet, quo jam novo Templo in monte Gerizim ædificato, ii Cuthæi, seu novi Samaritæ, Pentateucho, propter Leges, tum circa ministeria, tum circa alia, carere minime possent.

Neque ullo modo ostendi potest, Pentateuchum ante ista tempora ad Cuthæos, &c. fuisse delatum. Et tamen hic Rhodus, hic saltus.

Isto igitur Sanballetis tempore, istiusque schismatis occasione, firmiter credo corruptum fuisse textum Pentateuchi, dum istum jam literis apud Cuthæos &c. in usu habitis Manasses ille transcriberet, (quo commodius eum hi Cuthæi legere valerent: [quamquam & hoc prætextui sumi potuit] atque ita ex Deuter. c. XXVII. v 4. jam per ipsum corrupto, tam Exodi Capiti XX. v. 17. quam Deut. c. V. v. 21. totos quinque versiculos intrusos fuisse; (quod id sic commodius, ac cum minori fraudis suspicione perpetrari posset) ut ita huic Templo Gerisitano contra Hierosolymitanum, sua constaret auctoritas ex ipsa, quasi, Sacra Scriptura.

Hæc namque impostura longe tutius committebatur, quando jam Pentateuchus literis, quæ ipsis vernaculæ essent, transscriptus, Cuthæis hisce seu novis Samaritis, in usum novi Templi, &c. divulgandus erat. Neque potuit hæc fraus ita statim subolere Cuthæis, quibus primum jam is Codex obveniebat: quod & Judæi illi transfugæ, qui hujus flagitii erant conscii, id minime detegerent, & Judæi Hierosolymitani id serius, proculdubio, deprehenderent: atque inde tractu temporis omnes hi Samaritani (sive Cuthæi illi antiquitus essent, sive Judæorum Apostatarum progenies) quam serio crederent ac pertenderent, his tribus S. Scripturæ (prætensis) textibus clare ostendi, Montem Gerizim eum esse,

quem Deus ſibi elegerat. Uti ex exemplo quod ſub Ptolomæo Philometere (ſi Joſepho hîc fides habenda) contigit, clare pateſcit.

Nec dubitem, tum ob cauſas jam memoratas, tum ob ſcripta illa poſtrema (Eſdræ, Nehemiæ, ac poſtremorum Prophetarum) jam tum in Canonem incluſa, vel pro verè Sacris habita, Manaſſem illum præter Pentateuchum, etiam omnes reliquos libros, tam Hiſtoricos quam merè Propheticos, repudiaſſe; illoſque Judæis Hieroſolymitanis dereliquiſſe: ne inde horum Samaritanorum cauſa nimis aperte, ac funditus, everteretur; vel ne aliàs nimis multa, imò fere infinita, ex iis recidenda fuiſſent, ne impoſturæ ipſorum clare nimis, ac brevi, pateſcerent.

Quod attinet vero ad novum iſtud Argumentum, quod tibi ſuppeditare videtur acerrima illa contentio inter Judæos Ægyptios ac Samaritanos (ſi tamen hîc Joſepho, ut hiſtorico, credere fas eſt;) illa mihi huc nihil facere videtur: cum contentio illa non eſſet ſuper Pentateucho, niſi quatenus iſtum, cui Samaritæ patrocinabantur falſatum eſſe arguebant Judæi Alexandrini; quorum Pentateuchus, quamvis alias minus accuratè ex Hieroſolymitano verſus, tamen maligne corruptus non fuit: Cuthæi verò contrarium defenderent ac pertenderent. Uterque enim populus ex Lege argumentabatur; Judæi ex Pentateucho integro & incorrupto, Samaritæ, contra, ex corrupto. quæ corruptela quidem non ſemper latere potuit Doctores Judæos: veruntamen a Sanballetis tempore, jam pene per 180, annos, Cuthæorum Codex ſic falſatus fuerat.

Notandum vero, hanc contentionem, de qua (ſi tamen unquam illa contigit) Joſephus lib. XII. c. 1. loquitur, contigiſſe quidem inter Judæos ac Samaritas: at quales Judæos? Alexandrinos (ut modo notavi) & cæteros in Ægypto degentes; illos nempe, qui per Oniam, ut ſibi Templum ſimile

mile Hierosolymitano, in regione Heliopolitana ædificarent, a Ptolomæo Philometere impetraverant: ac quidem sub isto prætextu, quod Esaias Propheta id ita futurum prædixerat. Cum tamen Judæi Hierosolymitani istud Templum maxime abominarentur; atque (uti in Mishna, tractatu מנחות cap. XIII. §. 10. habetur) *Sacerdotes qui ministrabant Templo Oniæ, eodem haberent loco, quo Sacerdotes Excelsorum.* Et tamen tales (Alexandrini, &c.) Judæi, talique in rerum statu, litem priores (si bene capio Josephum) moverunt; ac quidem super ac pro Templo Hierosolymitano. *Credat Judæus Apella! non ego.* Præsertim, cum & ipse Josephus (libro VII. Belli Judaici, cap. 37.) de hoc Templi ædificatione hæc sequentia testetur: Οὐ μὴν Ὀνίας ἐξ ὑγιοῦς γνώμης ταῦτα ἔπραττεν, ἀλλὰ ἦν αὐτῷ φιλονεικία πρὸς τοὺς ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις Ἰουδαίους, ὀργὴν τῆς φυγῆς ἀπομνημονεύοντι. καί τοι τὸ ἱερὸν ἐνόμιζε κατασκευάσας, εἰς αὐτὸ περισπάσειν ἀπ᾽ ἐκείνων τὸ πλῆθος. *Non tamen hæc Onias sana voluntate faciebat; sed erat ei contentio cum Judæis circa Hierosolymam degentibus, propter fugæ memorem iracundiam: & hoc templo ædificato, arbitrabat ad se omnem ab Hierosolymis multitudinem allecturum.*

Verum enim vero revocandum quoque in memoriam, quod jam plus semel indicavi, non satis tuto huic historiolæ fidem haberi, tam ob illa quæ jam modo attuli, quam ob epistolam illam Ptolomæi ac Cleopatræ, quam Josephus ut ad Oniam ab ipsis conscriptam adducit. Isti enim in epistola de loco, ubi Templum extruendum petebatur locuti, ita pergunt: διὸ καὶ θαυμάζομεν εἰ ἔσται τῷ θεῷ κεχαρισμένον τὸ καθιδρυσόμενον ἱερὸν ἐν ἀσελγεῖ τόπῳ, καὶ πλήρει ζώων ἱερῶν. ἐπεὶ δὲ σὺ φὴς Ἐσαΐαν τὸν προφήτην ἐκ πολλοῦ χρόνου τοῦτο προειρηκέναι, συγχωροῦμεν σοι, εἰ μέλλει τοῦτο ἔσεσθαι κατὰ τὸν νόμον, ὥστε μηδὲν ἡμᾶς δοκεῖν εἰς τὸν θεὸν ἐξαμαρτεκέναι. *Quamobrem miramur, si poterit acceptum esse Deo Templum extruere in loco impuro & petu-*

tulanti [huic loco explicando facit Strabonis deſcriptio Canopi & regionis Heliopolitanæ] *ac pleno ſacris animalibus. Sed quoniam ais Prophetam Eſaiam jam olim hæc prædixiſſe, permittimus tibi hoc quatenus poteſt ſalva Legis obſervatione fieri; ne videamur per hoc peccare in Deum.*

Quis ſane cogitaſſet tam pio ac religioſo affectu, tantaque anxietate hos Reges fuiſſe, ne quid contra Legem Judaicam ea in re peccaretur; imo pene pluſquam Judæos; niſi hoc ita nobis traderet Joſephus?

At talia ipſi minime inſolita fuiſſe oſtendit, præter alia multa (ex quibus nonnulla in Diſſertatione, de Origine Idololatriæ, &c. adduco) epiſtola illa (libro XII. cap. 1.) Regi Cyro affictа; cujuſque Cyri quaſi ipſiſſima verba hic noſter Joſephus affert: cum tamen toto cœlo ab iſta, quæ Eſdræ capite primo extat, & ſenſu & verbis diſtet; pluraque addi poſſent, niſi ſic nimis extra oleas vagari viderer, longiſque ac crebris citationibus epiſtolæ modum excedere.

Ut igitur propius in viam redeam; rogas Celeberrime vir, cui bono Spiritus Sanctus, cum ratione ſemper agens, aliquem tunc inſpiraſſet ad ſcribendum Pentateuchum Hebraicé, &c.? Reſpondeo, Eſdram illum ex Hebraicis ſcriptis Hebraicè concinnaſſe [qua lingua Spir. S. illa ſcripta, ex quibus ſua adornavit, dictaverat.] & quidem Judæis, qui non in totum (Sacerdotes ſaltem, & Levitæ & Scribæ) oblivioni tradiderant linguam antiquam; & ſecutis temporibus, in Synagogis ſuis, lectiones Sabbaticas Hebraicè prælegebant; quas ſimul & lingua jam communi Judæorum vulgo vernacula, interpretabantur.

At cui bono, liceret jam & mihi interrogare, Sacerdos ille Miſſionarius (qui Pentateuchum ad Cuthæos detuliſſe perhibetur) lingua conſcriptum Hebraica eum Cuthæis tradidit, *quibus* (ut propriis tuis verbis, Vir Celeberrime utar) *ſem-*

ſemper ignota fuit, & quibus neceſſaria fuit verſio ejus Samaritana, qua ad hunc diem utuntur?

Verum videntur illum deſcripſiſſe (ſi non, ut potius reor, ipſe transfuga ille Manaſſes, iſtiuſve ſocii) ex Codice Hebraico, mutatis tantum literis; ſive ex odio Judæorum; ſive ut ſic melius etiam alii, præter Sacerdotes ipſorum ac Levitas Hebraicè callentes, iſti linguæ, quam pro Hebræorum antiqua agnoſcebant, melius aſſueſcerent; ſive, denique, ut ita facilius contextum ipſius, (ne nimis citò ipſorum fraudes pateſcerent) corrumpere poſſent: utque ſic ipſis æque ac Hieroſolymitanis, ſaltem prætenſus textus authenticus in promptu eſſet; quo contra iſtos, ſi ita neceſſe foret, contendere valerent.

Unde & ex Ephraim ac Manaſſe Joſephi filiis ſe (quando id ipſis ita conducere videbatur) ortos prætendebant. Qualia proculdubio, a transfugis Hieroſolymitanis didicerant: ut qui noverant urbem Sichem, ſicut ex hæreditate Manaſſis illa fuit, ita & celebrem ſemper fuiſſe in Iſraële.

Porrò, Pentateuchum, ob diviſionem in Lectiones Sabbaticas, Legis nomine Scriptoribus Novi Teſtamenti veniſſe, exinde quod eò ſolum reſpicerent, non puto: ſed quod Lex per Moſen data in iſto Sacro ſyntagmate potiſſimam, ſeu magis eſſentialem, partem conſtituerit. ſicuti nec Pſalmos e numero Prophetarum (ſeu ſcriptorum Propheticorum) excluſos volo; quamvis ab Evangeliſta Luca (capite XXIV. v, 44.) diſtinguantur inter ſe & *Lex*, & *Prophetæ* & *Pſalmi*.

Quando igitur in S. Scriptura (Act. c. XVI. v. 21.) dicitur, *Moſen a temporibus antiquis* (ἐκ γενεῶν ἀρχαίων) *oppidatim habuiſſe, qui ipſum in Synagogis legerent*, de nullo novitio Pentateucho ſomnio: & ejuſmodi objectioni, quamvis de illa minime cogitaverim, me jam ſufficienter occurriſſe perſuadeo. Namque ut illius prima tempora, ceu Pentateuchi, ab Eſdra uſque repeto; ſic deſidero tantum, ut in-

inter Legem, (ſeu Codicem Legis Moſaicæ) & Pentateuchum (quo tamen illa tota comprehenſa fuit) commoda fiat diſtinctio. Neque adhucdum video; quomodo id derogare queat aut Pentateucho Judaico, aut ipſi, in totum, Sacræ Scripturæ, ſi ſtatuatur ille per Manaſſem primum ad Cuthæos perveniſſe.

Ut igitur ad illa, quæ de Lege Dei adduxiſti, jam in præcedentibus reſpondi; ſic quoque ad iſta, quæ de piis Regibus Judæorum obſervaſti: quæ huc nihil faciunt; quod quæſtio noſtra ſit ſuper Codicibus in Chaldæam, ſimul cum captivis Iſraëlitis, avectis; an, ſcilicet, illi jam tum Pentateuchum conſtituerint, (ſi tamen ulli unquam per Iſraëlitas avecti fuere, quod minime probari poteſt;) & an talis Pentateuchus inde, per Sacerdotem illum a Rege ad Cuthæos, &c. delegatum, delatus fuerit; ac quidem talis qualem adhuc, ab Eſdræ tempore, conſcriptum poſſidemus.

Interim non poſſum hîc non meminiſſe verborum Clariſſimi. D. Camp. Vitringa; qui in eruditiſſimo opere de Synagoga Vetere, (nuperrime edito) locutus de Regum Judaicorum pietate, hæc ſequentia addit: *Imò ſi faciem Eccleſiæ iſtius intervalli [inter Rhehabeamum, ſcilicet, ac Joſiam] paulo propius contemplemur, eam multo afflictiorem & fœdiorem inveniemus, quam abſque exertis Hiſtoriæ Sacræ teſtimoniis auderemus cogitare aut credere.* Unde & de ſtatu Eccleſiæ Regni Iſraëlitici conjecturam facere licet.

Quod attinet autem, Celeb. Vir, ad iſtam tuam de Sanballete dubitationem; ſcio Clariſſ. Jacobum Capellum, eam quoque difficultatem moviſſe: ut qui duos diverſos Sanballetes diverſo tempore, ac duos quoque Manaſſes ſtatuat; qui ambo, unus hujus, alter alterius Sanballetis, generi fuerint. Cum tamen antea Joſ. Scaliger (in Euſebii Chronicon) ſatis clare oſtendiſſet, id falſum eſſe; neque aut ipſa S. Scriptura, aut Fl. Joſephus huic opinioni anſam præbeant. Verum

rum hæc ulterius enodare hujus loci nunc minus esse videretur.

Quæ denique de Irenæo, Cel. Vir, ad parenthesin meæ epistolæ insertam notas, illa ad rem nostram nihil mihi facere videntur. Irenæus enim non de Lege Judaica, verum de Scripturis Novi Testamenti loquitur; quas multæ gentes quæ jam in Christum credebant nondum possidebant; sed ad usque ipsius tempora tantum ex orali traditione Doctrinæ Euangelicæ credebant. Verba ejus, e libro II. cap. 2. afferuntur in Dissertatione mea de Vera ac Falsa Prophetia, pag. 257. quæ certe clara ac peremptoria sunt.

Quod attinet, postremo, ad *Totaphooth* & *Tephilim* Judæorum; Notandum est, hæc aliaque ipsis similia, inter magis superstitiosos Judæos (quales fere cuncti erant antiquitus, & adhuc sunt) æque in abusu fuisse (præter nugas Cabbalisticas, circa quas insanire semper visi sunt; undeque & mira & miraculosa se perpetrare quandoque posse nugati sunt) illa, dico, æque ipsis in abusu fuisse, quam Sententiolas, ac precatiunculas, (malis averruncandis sæpe adhibitas aut applicatas) ex S. Scripturæ verbis conceptas vel compositas, inter Pontificios ipsa Sacra Scriptura, lectioneve ipsius, privatos, neminem puto negaturum, qui illa leviter tantum inter se comparaverit: uti ulterius ostendo ubi (in Dissertationibus meis modo nominatis, pag. 519. &c.) de Exorcismis & Exorcistis, Amuletis ac Phylacteriis ago.

Cæterum ad ista, quæ de Codice Legis, prout ille a Pentateucho distinguendus sit, in secunda mea epistola dixi, non male, ut existimo, adjungerentur illa quæ cap. XXIV. v. 26. libri Josuæ, hoc modo habentur: *Deinde scripsit Josua verba ista in libro Legis Dei;* nempe illa, quæ postremo inter ipsum & populum Israëliticum habita fuere. Ast ubi locorum patet, Josuam hæc inseruisse Deuteronomio, aliive alicui ex quinque Mosis libris?

 Ve-

Verisimile, sane, magis est, ipsum (Josuam) hæc cæteris Legibus, Promissis, &c quæ jam ex fœdere cum Deo pacto, a Mose conscripta fuerant [vide Deuter. XXIX. v. 1.] adjunxisse, unà cum istis quæ (ex tali similive causa) Legi ita specialiter dictæ, jam ante adjunxerat: ut illa, si scientes fallerent, a Deo contra ipsos in testimonium essent, simul cum Benedictionibus ac Maledictionibus, de quibus Moses, Deuter. cap. XXX. v. 1. loquitur, ac cap. XXXII. v. 46. Quibuscum conferenda puto illa, quæ ex Josuæ libri capite VIII. v. XXXII. attuli.

Hæc sunt, Celeberrime vir, quæ tuis reponere volui: quod mea tibi ingrata non esse intelligam. Interim video quoque me magis magisque confirmari per hanc amicam contentiolam (ut sic loquar) in ista opinione, quam de literis Hebræorum antiquis jam conceperam; quæque ulterius super literis tam Samaritanis quam Punicis, aliisque, commentari, pro meo modulo, constitueram. Quorum quamvis plurima jam mihi præceperis, in eruditissimo tuo opere, de Lingua primæva, ac plane ad gustum meum; tamen ulteriorem disquisitionem, seu potius spicilegium, post uberem tuam messem, spero tibi non ingratum fore: dum tuis insistens vestigiis, tuoque usus consilio (cujus occasio ut diu adhuc nobis perennet, det nobis Deus Opt. Max.) ad ista (ut forsan & ad alia) pergere studeo. At in antecessum mihi destruendæ veniunt Columnæ illæ, quæ in agro Tingitano Procopiine an aliorum sive errore sive mendacio exstructæ, tanti fiunt etiam maximis quibusdam eruditione viris. Verum ut tandem desinam tibi fieri importunus mea loquacitate, hic finiam; dum permaneo tuus totus & ex animo.

Harlemi ipsis Calendis
Novemb. 1695.

Cla-

Clarissimo eruditione viro
THEODORO JANSSONIO AB ALMELOVEEN,
S. P. D.
ANTONIUS VAN DALE.

QUæ super Columnis a Procopio memoratis tibi scripseram me affecta habere, hac commoda adhuc data occasione, non potui non (quamvis festinato satis, neque accurate, elaborata) in lucem publicam protrudere. Sumas igitur, Vir Celeberrime, hanc disquisitiunculam pro schediasmate, non pro justo, super hac re, tractatu: ac si quid ablepsiâ peccatum sit, id mihi, æque ac cætera condonare non dedigneris.

Qui de Origine, lingua & literis Phœnicum ac Pœnorum scripsere, pene omnes adducunt Procopium Cæsariensem, seu prætensam illam Inscriptionem, quam adhuc suo tempore in Mauritania Tingitana, adeoque & prope urbem Tingin (quæ nunc nobis Tanger appellatur) extitisse affirmat.

Quapropter mihi non inutile videtur, ut ipsius Procopii verba paulo attentius consideremus: non quod illa tanti nobis esse debeant; sed quod multi admodum inter eruditos, imo & summi inter istos, viri, (Grotius, Huëttius, Seldenus, Bochartus, alii) inde argumenta desumant pro Coloniis non tantum, verum & pro literis Phœnicicis. Verba autem ipsius Procopii sunt hæc sequentia: Ἐπειδὴ Ἑβραῖοι ἐξ Αἰγύπτου ἀνεχώρησαν, καὶ ἀγχὶ τῆς Παλαιστίνης ὅρων ἐγένοντο· Μωσῆς μὲν σοφὸς ἀνὴρ, ὃς

ὃς αὐτὸς τῆς ὁδοῦ ἡγήσατο, θνήσκει. διαδέχεται δὲ τὴν ἡγεμονίαν Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυῆ· ὃς ἔς τε τὴν Παλαιστίνην τὸν λεὼν τοῦτον εἰσήγαγε· καὶ ἀρετὴν ἐν τῷ πολέμῳ κρείσσω ἢ κατ' ἄνθρωπον φύσιν ἐπιδειξάμενος [τὴν χώραν ἔσχε, καὶ τὰ ἔθνη πάντα καταστρεψάμενος] τὰς πόλεις εὐπετῶς παρεστήσατο, ἀνίκητός τε παντάπασιν ἔδοξεν εἶναι· τότε δὲ ἡ ἐπιθαλασσία χώρα, ἐκ Σιδῶνος μέχρι τῶν Αἰγυπτίων ὁρίων, Φοινίκη ξύμπασα ὠνομάζετο· βασιλεὺς δὲ εἷς τὸ παλαιὸν ἐφειστήκει· ὥσπερ ἅπασιν ὡμολόγηται, οἱ Φοινίκων τὰ ἀρχαιότατα ἀνεγράψαντο· ἐνταῦθα ᾤκηντο ἔθνη πολυανθρωπότατα, Γεργεσαῖοί τε καὶ Ἰεβουσαῖοι, καὶ ἄλλα ἄττα ὀνόματα ἔχοντα, οἷς δὴ αὐτὰ ἡ τῶν Ἑβραίων ἱστορία καλεῖ· οὗτος ὁ λαὸς ἐπεὶ ἄμαχόν τι χρῆμα τὸν ἐπηλύτην στρατὸν εἶδον· ἐξ ἠθῶν τῶν πατρίων ἐξαναστάντες ἐπ' Αἰγύπτου ὁμόρου οὔσης ἐχώρησαν, ἔνθα χῶρον οὐδένα σφίσιν ἱκανὸν ἐνοικήσασθαι εὑρόντες, ἐπεὶ ἐν Αἰγύπτῳ πολυανθρωπία ἐκ παλαιοῦ ἦν· ἐς Λιβύην ἐστάλησαν, πόλεις τε οἰκίσαντες πολλὰς, ξύμπασαν Λιβύην μέχρι στηλῶν τῶν Ἡρακλέους ἔσχον· ἐνταῦθά τε καὶ ἐς ἐμὲ Φοινίκων φωνῇ χρώμενοι ᾤκηνται· ἐδείμαντο δὲ καὶ φρούριον ἐν Νουμιδίᾳ, οὗ νῦν πόλις Τίγισίς ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται· ἔνθα στῆλαι δύο ἐκ λίθων λευκῶν πεποιημέναι ἄγχι κρήνης εἰσὶ τῆς μεγάλης γράμματα Φοινικικὰ ἐγκεκολαμμένα ἔχουσαι, τῇ Φοινίκων γλώσσῃ λέγοντα ὧδε· ἡμεῖς ἐσμεν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ. *Postquam Hebræi ex Ægypto demigraverant atque ad Palæstinæ terminos accesserant, Moses, vir sapiens, ac qui ipse Dux itineris fuerat, mortuus est: cujus imperio successit Josua filius Nun. Qui, cum & populum hunc in Palæstinam introduxisset, etiam, dum virtutem bellicam plusquam humanam ostentans, Regionem illam occupavit, illisque gentibus bello devictis, urbes facili negotio in potestatem redegit: quo cunctis illis invincibilis videbatur. Tunc vero regio illa tota mari vicina a Sidonis finibus usque ad Ægypti terminos, Phœnicia appellabatur. Rex vero unicus antiquitus ipsis imperabat: uti in confesso est inter omnes qui vetustissimas Phœnicum conscripserunt historias. Ibi & habitabant populi numerosissimi, Gergesæi & Jebusæi, & alii alia nomina habentes, quibus illos Hebræa hi-*

historia appellitat. Hic populus; igitur, cum exercitum illum adventitium existimaret plane invincibilem, secundum mores patrios inde demigrantes profecti sunt in Ægyptum ipsis conterminam; ubi nullum reperientes locum qui ipsis aptum præberet habitaculum: quod Ægyptus ab antiquis temporibus populosissima esset, profecti sunt inde in Lybiam; ac multas ibi condentes urbes, omnem Lybiam, usque ad columnas Herculis possederunt. Ibi & meo adhuc tempore, Phœnicum lingua utentes, habitant. Extruebant quoque munimentum in Numidiâ, ubi nunc est urbs Tingisis appellata. Ubi & duæ Columnæ ex albo lapide erectæ sunt prope magnam (ibi) fontem, quæ literas Phœnicicas sibi insculptas habent, hoc modo: NOS SUMUS II QUI AUFUGERUNT A FACIE JOSUÆ PRÆDONIS, FILII NUN.

Quæ occurrunt consideranda in his Procopii verbis sunt I°. Totam istam regionem mari vicinam, a Sidone usque ad Ægyptum Phœniciam fuisse appellatam. cui opinioni quoque patrocinantur eruditione Clarissimi viri Andræas Masius, ac Samuel Bocchartus. Cui tamen opinioni cordatè (ac summa cum ratione) sese opponit Celeberrimus Stephanus Morinus in opere suo pererudito de *Lingua primæva*, &c.

II°. Regem ab antiquis temporibus unicum isti regioni imperasse: ubi, præteritâ S. Scripturâ, ad Scriptores Phœnicios, qui suæ genti aliàs quantum poterant adulati sunt, provocat: cum tamen ipsa S. Scriptura exserte testetur contrarium. Sic enim Josuæ capite IX. v. 1 & 2. Reges plures numero, ut *Hethitarum*, *Amorritarum*, *Canaanitarum*, *Pheresitarum* & *Jebusitarum*. ac cap. XI. (ubi & duæ diversæ ab invicem *Canaaniticæ* gentes memorantur;) & max. cap. V. v. 1. ubi omnes Reges *Canaanitarum qui ad mare habitabant numerantur;* quibus & addere possemus 70. Reges ab Adonibezek devictos; &c.

III°. *Gergesæos* & [NB] *Jebusæos* aliasque plures, nomine,

ne, gentes sic quoque *Phœnicum* nomine venisse; hosque fugâ se subduxisse; atque id fecisse patrio quodam more quasi id pluries factitatum constaret.

Ast *Jebusæi*, qui hîc ita nominantur cum *Gergesæis* aliisque istius tractus populis, non poterant expelli ab Israëlitis (vide Jos. 8. 63.) habitabantque ibi (in *Jebus* seu Jerusalem) usque ad imperium jam stabilitum Davidis: quo tempore adhuc tantarum virium erant, ut in ludibrium Israëlitarum cæcos ac claudos suos muris propugnandæ urbis gratia imponerent; quasi illi soli tutandis propugnaculis sufficerent. Ac David quidem urbem expugnavit; verum *Jebusæos* minime fugavit. Sic quoque videmus Jud. I. 21. &c. nec *Jebusitas* fugatos fuisse a Benjamitis, nec *Canaanitas* a Manasse (v. 27, 28.) neque ab Ephraim, (29.) neque a Zabulon, (30.) neque ab Aser (33.) verum *habitabant Aseritæ in medio Canaanitarum* (æque ac Naphtali;) quod eos minime expellerent: sed cum jam temporis tractu prævalerent, eos tributarios sibi facerent.

Secundum nostrum tamen Procopium (quod IV°. notandum venit) expulerunt istas Gentes; ac quidem tot ac tantos numero ut Ægyptus eos non caperet: ex qua tamen Ægypto, post interitum omnium primigenitorum, ante annos jam 40. Israëlitæ numero 603550. demigrarant; ac quidem non annumeratis illis qui nondum vigesimum ætatis annum compleverant; imò & post Pharaonem cum toto ipsius exercitu deletum.

Quæso nunc, an hi, si in Ægyptum (quasi nullæ aliæ viæ aliorsum patuissent, omnesque unanimiter non ad Sidonem aut alias, seu vicinas seu procul magis distantes, regiones) sic aufugissent; quæso, dico, an hi profugæ tot numero fuerint, ac unde id nobis constare queat? Quin etiam unde constet ista in Ægyptum fuga; quisnamve (præter Procopium, de cujus bona fide adhuc inferius loquar) historicus aut Sacer

aut

aut prophanus hoc docuerit? quisve nobis manifestaverit hos *Chanaanæos*, *Jebusæos*, &c. ita uno eodemque tempore, unumque in locum simul congregatos, ita placide recessisse.

Scimus quidem multas gentes, atque imprimis Septentrionales, olim novas sedes quæsivisse: at non ita vi ac bello expulsas, ut hi populi, qui a Deo exitio, non exilio, destinati erant.

V. Consideremus, eos rursus (ista ex causa, quod nihil loci ipsis ibi inveniebatur) ex Ægypto sic transmigrasse in Lybiam, per eamque usque in Mauritaniam Tingitanam, &c. profectos fuisse. Theophanes (a Bernardo Aldrete pag. 382. adductus) in historia sua miscella simpliciter asserit, ipsos ibi non fuisse receptos. At Suidas (in voce χαναάν) ait: *Ægyptios eos non recepisse ob memoriam eorum quæ passi fuerant propter ipsos, submersi in mari rubro.* quæ quibus antiferas? Bene tamen quod is ibi plures Reges ac Principes dominatos, illosque inde aufugisse asserat, ipsisque locum reperiat in Lybia, in Afrorum nempe terris, seu regionibus, desertis. quæ utique Lybia tunc temporis (si credere fas est) in mediterraneis suis partibus quidem habitata; sed in maritimis, seu mari magis vicinis, deserta fuit: cum tamen Phœnices per solas navigationes, atque *appulsus ad alia littora* colonias suas deducerent: nunquamque ita per itinera terrestria, ac quidem in terras procul dissitas, eas, adeoque in mediterraneos locos, deduxerint.

Verum hic operæ pretium fuerit ipsa Suidæ afferre Verba: Μωυσῆς τεσσαράκοντα ἔτη συμφιλοσοφήσας τῷ λαῷ, τελευτᾷ διάδοχον καταλιπὼν Ἰησοῦν τὸν τοῦ Ναυῆ ὅστις κατῴκισε τὸν Ἰσραὴλ ἐν τῇ γῇ ᾗ ἐπηγγείλατο Κύριος τῷ Ἀβραάμ (ἔστι δὲ ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ Αἰγύπτου κυκλουμένη διὰ θαλάσσης καὶ ξηρᾶς) ἐκβαλὼν πάντας τοὺς βασιλεῖς καὶ δυνάστας τῶν ἐθνῶν· οἵτινες ἀπ᾽ αὐτοῦ διωκόμενοι, διὰ τῆς παραλίου Αἰγύπτου τε καὶ Λυβύης κατέφυγον εἰς τὴν τῶν Ἀφρῶν χώραν· τῶν Αἰγυπτίων μὴ προσδεξαμένων αὐτοὺς διὰ τὴν μνήμην τὴν προτέραν ἣν ἔπα-

ἔπαθον, δι' αὐτοὺς ἐν τῇ ἐρυθρᾷ καταποντισθέντες θαλάσσῃ· καὶ προσφυγόντες τοῖς Ἄφροις, τὴν ἔρημον αὐτῶν ᾤκησαν χώραν· ἀναδεξάμενοι τὸ σχῆμα καὶ τὰ ἔθη· καὶ ἐν πλάξι λιθίναις ἀναγραψάμενοι τὴν αἰτίαν, δι' ἣν ἀπὸ τῆς Χαναναίων γῆς ᾤκισαν τὴν Ἀφρικήν· καὶ εἰσὶ μέχρι νῦν αἱ τοιαῦται πλάκες ἐν τῇ Νουμιδίᾳ· περιέχουσαι οὕτως· ἡμεῖς ἐσμεν Χαναναῖοι, οὓς ἐδίωξεν Ἰησοῦς ὁ λῃστής. *Moses postquam per* 40. *annos inter populum Philosophatus fuerat moritur, successorem sibi relinquens Josuam Nave filium: qui Israëlitas habitatores fecit istius terræ, quam promiserat Deus Abrahamo (est autem a fluvio, Ægypti, deserto, ac mari cincta) ejiciens* OMNES *Reges ac Principes Ethnicorum: qui ab ipso expulsi per Ægyptum, qua mari vicina est, & per Lybiam, aufugerunt in Africam; quod Ægyptii eos non reciperent ob memoriam eorum quæ passi fuerant propter ipsos in Mari rubro submersi. Et perfugientes ita ad Afros, desertis ipsorum terris inhabitarunt; amplectentes & habitus ipsorum* [NB] *& mores; & tabulis lapideis inscribentes causam propter quam ex Chanaan transmigraverant in Africam. Et sunt ibi adhuc ejusmodi* TABULÆ *in Numidia, complectentes hæc:* NOS SUMUS CHANAANÆI, QUOS EXPULIT LATRO JOSUA.

Hîc igitur aliæ comparent causæ cur repulsam passi fuerint ab Ægyptiis; ac longe aliis verbis concepta Inscriptio; & quidem *tabellis* lapideis, non *Columnis* insculpta. Ut autem unicum tantum Regem ibi imperasse memorat Procopius; de multis Regibus ac Principibus ibi imperantibus loquitur Suidas: qui tamen non capti, ac sive suspendio sive aliter, ab Israëlitis neci traditi fuerint; sed qui *omnes* cum populis suis se fuga subduxerint, atque in Lybiam demigraverint, tabulasque & Inscriptionem fugæ suæ, ac dedecoris testimonia, in Numidia erexerint.

Verum VI°. ipsas illas *columnas* Procopianas paulo propius consideremus. In *agro Tingitano*, ac prope urbem *Tingin* seu *Tingisin* (quam hodie *Tanger* appellamus) eas erectas fuisse

ſe vult. Verum ut Suidas *de tabulis* duabus lapideis loquitur; ſic Ibni Alriquich (tam a Leone Africano, quam a Bernardo Aldrete, adductus) de *unico* tantum *lapide* loquitur, ac de *ſola Carthagine*: ita ut Procopius Columnas ſuas erigat in Mauritania Tingitana prope aut ultra *Columnas* Herculeas; Suidas *Tabellas* ſuas (ac longe alia cum *Inſcriptione*) in Numidia; Ibni Alriquich unicum tantum, verum *magnum lapidem*, in Provintia Zeugitana prope urbem *Carthaginem*. Theophanes denique vult hæc verba inſcripta fuiſſe *duobus titulis* quidem ſed *concavis*, in terra Hoen, in Lybia. Suidas vero *tabulas* ſuas ponit in Numidiâ.

Procopius interim minime affirmat ſe illas *Columnas* vidiſſe. Et tamen Euagrius & Nicephorus Calixtus diſertis verbis, ac quaſi ipſius Procopii, id affirmant. Euagrii verba enim hæc ſunt: τεκμηριοῖ δὲ τὸν λόγον ἀληθῆ παντάπασιν τυγχάνειν, ἔκ τινος ἐπιγράμματος ὅπερ καὶ ἀναγνῶναι φησὶ τῶν Φοινίκων γράμμασι συγκείμενον. *Demonſtratque hanc hiſtoriam omnino eſſe veram ex Inſcriptione quadam, quam Phœnicicis literis conſcriptam ſe legiſſe affirmat.* Cui ſimilibus verbis ſuccinit nominatus modo Nicephorus.

At ſi vel maxime id dixiſſet Procopius (quod minime facit) tamen ipſi, tum propter jam ſuperius notata, minus credendum eſſet, tum exinde, quod circa alia hiſtorica nugaciſſimus nugator ſit.

Ne tamen exemplis onerem te tædioſis, unicum ex ipſius libro ἀνεκδότῳ ſive Hiſtoria Arcana ſeparatim Pariſiis excuſa, & quidem pag. 57. 58. afferam exemplum, cujus verba ſonant: Λέγουσι δὲ αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα φάναι τῶν ἐπιτηδείων τισὶν, ὡς οὐ Σαββατίου τοῦ αὐτῆς ἀνδρὸς, οὐδὲ ἀνθρώπων τινὸς υἱὸς εἴη· ἡνίκα γὰρ αὐτὸν κύειν ἔμελλεν ἐπιφοιτᾷν αὐτῇ δαιμόνιον οὐχ ὁρώμενον, ἀλλὰ αἴσθησιν τινὰ ὅτι δὴ πάρεστιν αὐτῇ παρασχὸν, ἅτε ἄνδρα γυναικὶ πλησιάσαντα, καθάπερ ἐν ὀνείρῳ ἀφανισθῆναι· τινὲς δὲ τῶν αὐτῷ παρόντων τε πόῤῥω που τῶν νυκτῶν, καὶ ξυγγενομένων ἐν παλατίῳ δηλονότι, οἵπερ ἐν καθαρῷ

ἡ ψυχὴ εἴη, φάντασμά τε θεάσασθαι δαιμόνιον ἀήθες σφίσιν ἀντ' αὐτοῦ ἔδοξαν. ὁ μὲν γὰρ ἔφασκεν ἄφνω μὲν αὐτὸν θρόνου τοῦ βασιλικοῦ ἐξαναστάντα περιπάτους ἐνταῦθα ποιεῖν· συχνὸν γὰρ καθῆσθαι οὐδαμῆ εἴθιστο· τῆς δὲ κεφαλῆς ἐν τῷ παραυτίκα τῷ Ἰουστινιανῷ ἀφανισθείσης, τὸ ἄλλο οἱ σῶμα τούτους δὴ τοὺς διαύλους ποιεῖν δοκεῖν· αὐτόν τε ἅτε οἱ περὶ τὴν θέαν ὡς ἥκιστα ὑγιαινόντων τῶν ὀφθαλμῶν ἀσχάλλοντα, καὶ διαπορούμενον ἐπὶ πλεῖστον ἑστάναι· ὕστερον μέντοι τῆς κεφαλῆς τῷ σώματι ἐπανηκούσης τὰ τέως λειπόμενα οἴεσθαι παρὰ δόξαν ἀναπιμπλάναι· ἄνθρωπος δὲ ἄλλος παρεστάναι οἱ καθημένῳ, ἔφη· ἐκ δὲ τοῦ ἀφνιδίου τὸ πρόσωπον οἱ κρέατι ἀσήμῳ ἰδεῖν ἐμφερὲς γεγονός· οὔτε γὰρ ὀφρῦς, οὔτε ὀφθαλμοὺς ἐπὶ χώρας τῆς αὐτῶν ὄντας, οὔτε ἄλλο τι τὸ παράπαν ἔφερε γνώρισμα· χρόνῳ μέντοι αὐτῷ τὸ σχῆμα τῆς ὄψεως ἐπανῆκον ἰδεῖν· ταῦτα οὐκ αὐτὸς θεασάμενος γράφω, ἀλλὰ τῶν τότε θεάσασθαι ἰσχυριζομένων ἀκούσας. *Certe & Matrem* [Justiniani Imperatoris, namque de ipso loquitur] *nonnullis ex necessariis narrasse ferunt, hunc non Sabbatii conjugis, aut hominum cujuspiam esse sobolem: sed ea gravida antequam esset, quandam genii speciem ad se ventitasse, quæ non ad visum, sed ad contactum se præberet, accubaretque sibi, & quasi maritus se conjugem iniret, denique veluti per insomnium evanesceret. Quidam a cubiculis, quibus purior esset animus, dum nocte concubia Justiniano præsto erant, sibi visi sunt insolentem pro illo Genii larvam videre. Ex his alter affirmabat, repente Justinianum regia sella excitum deambulatum ire (nam considere diutius nunquam consueverat) tum capite illi subito in auras resoluto, reliquo corpore illas conficere deambulationes; se vero e re stupente; quærenteque diu, & suis tanquam infirmis, & minime ad visum fidelibus oculis succensente, tandem inopinato ad corporis compagem caput rediisse. Alter astare se Justiniano sedenti commemorabat, cui facies ilico in carnem vertebatur informem, nullis superciliorum, nullis oculorum suo loco extantibus vestigiis, nulla denique vera imagine: nec diu post quædam submitti simulacra vultûs conspexisse. Scribo non quæ ego vi-*

viderim, se quæ vidisse se alii mihi serio affirmarunt. Quibus tum & alia non minus absurda ac ridicula (præter quæ alibi adducit) subjungit; sed quæ æque te quam me immani tœdio afficerent. Ac forsan (nec male me conjicere puto) ex talibus narrationibus illa quæ de *Columnis* & *Inscriptione* narrat, hausit. Accedat (quod jam supra notare cepi) Euagrium solam Lybiam (non Mauritaniam) nominasse & Ibni Raquich *duos titulos* cum tali Inscriptione ad urbem Carthaginem ponere: de cujus origine Leo Africanus ita loquitur: *Notissimum hoc antiquissimum oppidum a quodam populo exstructum fuit, qui a Syria huc venerat. Alii vero a Regina quadam* [ad Didonam forte respicit] *conditum malunt. Ibni Raquich historiographus a quodam populo exstructum putat, qui e Barca huc venerat, ab Ægypti Rege expulsus.*

Ast *Barca*, (sive illa *Ptolomais* Cyrenaica fuerit, sive propius Ægypto in Marmarica collocanda sit) hic sub Ægyptiorum ditione ponitur, devicta saltem ab Ægyptiis; cum illi popnli inde expulsi in magis occidentalem Africam, usque ad istum locum ubi *Carthaginem* ipsi condiderint, ab Ibni Raquich ponantur.

Verum enim vero tandem (VII.) deveniendum nobis ad ipsam *Inscriptionem*, quæ apud Procopium, ipsiusque in hac re sequaces, his verbis continetur: Ἡμεῖς οἱ φεύγοντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ. *Nos sumus ii qui aufugerunt, &c.*

Suidas vero, qui hanc fabellam ex aliis hausisse videtur, talem eam, ut hic sequitur, fuisse perhibet: Ἡμεῖς ἐσμεν Χαναναῖοι οὓς ἐδίωξε Ἰησοῦς ὁ λῃστής. *Nos sumus Chananæi, quos expulit latro Josua.* Quæso jam quis hîc sit præferendus, Procopiusne an Suidas, qui tanto serior ævo est, nec minor circa plurima hoc Procopio nugator?

Instabit forsan aliquis objiciendo, Judæos quoque talia, saltem similia, tradere in Gemara Hierosolymitana; prout ipsa verba inde producit Celeb. Seldenus (lib. 6. de Jure Na-

turali &c.) quorum solam versionem hic apponam : *Trinas præmisit Josua epistolas in terram Israëliticam , antequam eam invaderent Israëlitæ : seu potius Literis tria proposuit ; qui fugam mallent aufugerent ; qui pacem , in fœdus venirent ; qui bellum , arma susciperent : unde Gergesæi credentes in Deum O. M. aufugerunt , in Africam se conferentes , ac si eis dictum etiam fuisset , Donec* [Esai. XXXVI. 7.] *ipse venero , & vos duxero in terram terræ vestræ simillimam. Nam ejusmodi est Africa. Gibeonitæ in fœdus* [Jos. IX. 3.] *veniebant , adeoque terræ Israëliticæ incolæ manebant. Reges* XXXI. [ibid. XII. 8.] *bellum susceperunt, & cecidere.* Quibus tum ipse Seldenus [quod maxime mireris] addit : *Et mire sane convenit , quod heic de fuga in Africam habetur , non modo cum Historiola Talmudica , qua Africani apud Alexandrum Magnum* [Historiola ista extat Gem. Bab. tit. Sanhedrin , ac duplici ac discrepanti valde modo narratur] *hoc nomine possessiones suas avitas velut actione repeterent: sed etiam cum veteri illa apud Procopium , Inscriptione in Mauritania Tingitana reperta , qua indicatum est , incolas priscos illuc a facie Josuæ Filii Nun aufugisse* , &c.

Ac certe belle admodum succedit , quod illi Africani (quos tamen Suidas testatur Africanorum ibi jam antea habitantium habitus ac mores amplexos fuisse) sic ex Hebræorum Lege, seu Pentateucho , textus allegent , ex *Numeri* , scilicet, c. XLII. v. 2. adeoque & (ut ipsi ibi profitentur) ex Lege. Sicut etiam contra Judæos (coram eodem Alexandro) ex Lege argumentabantur , allegantes *Exodi* cap. XII. v. 36. Cum & Ismaëliaæ allegarent *Geneseos* cap. XXV. vers. 12. Qui tamen Ismaëlitæ , ut & Ægyptii (ubi ista Historiola paulo aliter narratur) alias allegebant ex Lege Scripturas.

Verum quis non videt has nugas plane ejusdem pretii ac valoris esse , cum istis *statuis æneis* quas *Jebusæi* (teste Eliezere in Pirke) muris urbis *Jebus* , seu Jerusalem, imposuerant, qui-

quibusque *insculpserant juramentum & pactum quod Abrahamus Patriarcha cum ipsis pepigerat.* Et certe videntur mihi utræque hæ *Inscriptiones*, tam *Mauritana*, quam *Jebusæa* hæc, ex una eademque prodiisse officina: Judaica, nempe, seu Pharisaica. Namque ex Judæis Africanis talia Procopium hausisse (uti Justinus Martyr illa de 70. cellulis a Judæis Alexandrinis habebat) mihi procul omni dubio est. Sic, ut Procopius ac Suidas ipsorumque, hac in re, sequaces *Judaicas fabulas secuti sint.*

At supponamus paulisper, hosce *Jebusæos* (vel quoscunque plures volueris ex populis, vel Gentibus, *Chanaaniticis*) eousque non solum perfugisse, verum & tales ibi erexisse *columnas*, ac quidem cum tali, ut Procopius tradit (nisi eligas eam quam Suidas habet) *Inscriptione*: cui bono, quæso, id fieri potuit; cum illi & ibi sedem fixerint, & nunquam inde postea demigrarint? an ut semper ita ante oculos haberent pudenda sibi monumenta ac testimonia effeminati timoris ac terroris (præsertim cum tanta multitudine ex terra Chanaan aufugisse perhibeantur) quo, absque ullo conamine ac molimine in hostes advenas, eò transfugæ facti fuerant?

Opportet sane hos *Chananæos* longe alio animo ac mente fuisse, quam omnes alii præter ipsos sunt populi; ut qui ubique terrarum omnia monumenta, quæ ipsorum dedecora possunt manifestare, aut ut ad posteros perdurent faciunt; aut facere valent, summa cum cura, vel in totum delere, vel quantum valeant obscurare, nituntur: quæ vero, contra, in gloriam ipsis cedunt, pene ubique celebrare, cunctisque hominibus per monumenta publicare student.

Cretenses quidem, uti perhibetur, delebant pro parte *Epitaphium Jovis*, quem (ac quidem Deum) inter ipsos olim sepultum jactabant. Sed non ut propriam per id obscurarent gloriam, verum potius adaugerent: quamvis id male cederet,

ac

ac posteri nasutiores in ipsos jactitarent id Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. Ita namque illos notat Callimachus : cujus Scholiastes ad versus hos sequentes (Hymno in Jovem)

. . . . . . Καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, &c.

talia notat : Ἐν Κρήτῃ ἐπὶ τῷ τάφῳ τοῦ Μίνωος ἐπεγέγραπτο, ΜΙΝΩΟΣ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΑΦΟΣ. τῷ χρόνῳ δὲ τὸ Μίνωος ἀπηλείφθη· ὥστε περιλειφθῆναι, Διὸς τάφος· ἐκ τούτου, οὖν ἔχειν λέγουσι Κρῆτες τὸν τάφον τοῦ Διός.

Ac quidem *Hercules* (prout mythologia ffirmant) cum usque in *Tingitanam Mauritaniam* pervenisset, neque ibi permanere vellet; *Columnas* ibi monumenta suorum itinerum, laborum, ac Victoriarum, ut illa posteris æmulationi æque ac admirationi essent, suamque simul gloriam celebrarent, erexit.

De quibus tamen *Herculis columnis* æque, imo adhuc longe magis, inter se discrepant veteres Scriptores : uti tum ex Hesychio, tum ex Suida, tum denique ex diligentissimo simul atque eruditissimo Strabone, clarissime perspici potest. Quæ Hesychius habet hæc sequentia sunt : Στήλας διςόμους, τινὲς τὰς Ἡρακλείους στήλας. ἔνιοι αὐτὰς νήσους εἶναι φασίν· οἱ προσχώματα [ita Casaub. optime, ad Strabon. pro προχώματα] οἱ δὲ τῶν ἀπείρων ἄκρας· οἱ δὲ πόλεις, καὶ οἱ μεν δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ μίαν, οἱ δὲ τέσσαρας. Apud Suidam vero habemus : Ὁ δὲ Ἡρακλῆς ἕρματα μεγάλα ἔβαλεν εἰς τὸ στόμα τοῦ ὠκεανοῦ, ὡς ἂν ἐμπόδια εἴη τοῖς ἐπιφοιτῶσι θηρίοις.

Quæ vero Strabo habet, quamvis prolixa satis ut inserantur epistolæ : pro potissima parte tamen huc adducenda duco, iisque hanc disquisitiunculam finire. Is autem lib. 3. sub finem, ita loquitur, seu potius versio Xylandri, quam solam compendii causa adducam : *Cæterum Gades ut fuerint conditæ talia feruntur. Memorant Gaditani Oraculum Tyriis*

[NB] *datum, quod eos juberet ad Columnas Herculis coloniam deducere, missos loci videndi causa cum ad fretum apud Calpen pervenissent, opinatos finem terræ habitatæ, & Herculeæ expeditionis esse ea quibus fretum illud clauditur extrema (quæ Oraculum Columnas vocat) appulisse intra angustias ad locum, ubi nunc Axitanorum urbs: ibi cum re divina facta non perlitarent, domum rediisse. Aliquanto post tempore missos, extra fretum progressos ad* 1500. *stadia, ad insulam venisse Herculi sacram, e regione Onobæ Hispanicæ urbis sitam: ratosque ibi esse Columnas, Deo sacrificasse: rursumque victimis non addicentibus, domum se recepisse. Eos qui tertiò navigarunt Gades condidisse, templo in ortiva, urbe in occidua parte insulæ, positis. Hinc ortum quod Columnarum vocabulo alii freti claustra intelligant, alii Gades, alii etiam quippiam ultra Gades situm. Nonnulli pro Columnis habent Calpen & Abylam, qui est mons ex adverso Calpæ in Africa, quem Eratosthenes ait situm esse in Metagoniis Numidica gente. alii insulas exiguas utrique monti propinquas, quarum alteram Junonis insulam vocant. Artemidorus Junonis quidem & insulam & fanum agnoscit: diversum tamen ait esse ab Abyla, neque montem esse, neque in Metagoniis. Quidam etiam Planetas & Symplegadas petras huc transferunt, existimantque has esse Columnas, quas Pindarus vocet portas Gadaridas, dicens ultimo ad eas pervenisse Herculem. Quin & Dicæarchus, & Eratosthenes, & Polybius, & plurimi Græcorum Columnas ad fretum esse asserunt. At Hispani & Afri Gadibus eas vindicant. nihil enim Columnarum simile habere ea quæ sunt ad fretum. Alii Columnas intelligi volunt æreas octo cubitorum columnas, quæ sunt Gadibus in Herculis delubro, quibus* [NB] *inscriptus est sumptus in templi factus ædificationem, hasque ajunt esse, ad quas cum navigatione absoluta pervenissent, Sacris Herculi factis, eam famam curaverint divulgari, ibi maris esse terræque finem:*

 at-

atque hanc maxime omnium opinionum probabilem Posidonius censet Oraculum & multos legatos commentum Punicum.

Considera nunc, Celeberrime vir, an non hæc duo commenta, tam prius illud de *Columnis Phœnicicis*, quas nunc, ut puto, demolitus sum; quam posterius hoc de *Columnis ab* Hercule erectis, sibi, ut ovum ovo similia sint; atque æque bono ac solido (debili potius, vel plane nullo) fundamento superstructæ fuerint. Et tamen tanti fecerunt istas priores (Phœnicicas) etiam summi viri, ut magnum εὕρημα sibi illis nacti videantur; atque id pro magni pretii monumento venditent. Verum hanc meam disquisitionem σχεδιαστικὴν tuo ulteriori examini (uti omnia mea) subjicio dum tuus sincere permaneo.

Harlemi 20. Novemb.
1695.

INDEX
RERUM & VERBORUM.

A.

ADamus quando genuerit liberos, quando Dæmones. 111. 112
Ædiculæ, seu ναΐσκοι &c. Deorum portatiles. 24
Ægyptii animaria colebant. 98
Alexander Magnus Præsagia non multum curabat. 399. 401
Amatoriis & Agogimis delectabantur multi primorum Christianorum. 276
Amorrhæi ac Philisthæi Ægyptiis viciniores quam Sidonii. 21
Amuletum. Euangelia Parva collo alligata. 535
..... Euangelia lecto alligata. 553
..... capiti ægrotorum apposita. 554
..... Coccineum stamen. 537
..... Lutum e balneo. ibid.
..... Sputum. 537. 538
..... Stercus. 541
..... Beetzii admodum efficax. ib.
Angeli Provinciarum præsides. 173
Angelorum nomen Platoni cognitum. 36
...... quorundam potestates enumeratæ. 168
...... cultus unde. 174
.... prohibitur. 175
Animæ mortuorum puerorum in Paredros mutatæ. 283
Antiochus Epiphanes describitur. 71
Apocryphi libri quomodo pro veris ac Canonicis habiti. 85. 86
Apollinis fletus quid indicaverit. 405
Apollonii Thyanæi Historia conficta. 283
Apostolicis viris omnibus non datum erat ejicere Dæmonia. 524
Argo navis locuta fingitur. 576 & seqq.
Aschera, Ascherim, & Aschurim quid denotent. 22. 23. & seqq.
Ascherim statuæ ex ligno. 23
... in lucis consecratæ. ibid.
Asteroth quid fuerit, vel fuerint. 19. 20
... non fuit Astarte Zidoniorum. 25. 27
Astoreth non Dea sed Deus. 17. 25
Astarte Dea dicta ex Astheroth. 19. 27
Asmodæus Diabolorum princeps. 158
... idem qui Sammaël. 161. 162
Astheroth quando cultus. 17
... urbs. 18. 19
..... ubi condita. 20
... nomen illud quamdiu cognitum. 19. 20
... non erat Numen peculiare hujus illiusve gentis. 21
Astheroth & Ascheroth quandoque confunduntur inter se. 22
... Deus Zidoniorum. 25
... pro Dea malè habitus. 26
... Numen Amorrhæorum &c. 27
Astrologi neglecti. 424. 425
... irrisi. 469 & seqq.
Astrologia judiciaria a Chaldæis inventa. 419. 420
.... ejus falsitas probata historiis. 422. 423
Augur apud Hebræos quis, quid agat. 365 & seqq.
Augurum jus reipublicæ causa conservatum. 377
Auguribus damnatis aut exulibus non erat permissum artis arcana revelare. 386. 387

Auguria externa superstitiosa. 377. 378
. . . capta in rebus bellicis. 381
. . . . . . in creandis Magistratibus. 382. 390
. . . Judæis damnata. 392
Auguratorium & Auguraculum quid. 380. 381
. . . . . . positum juxta tribunal. 381
Auguralis ara. 382
Auspicandi formula. 383
Auspicia quomodo ab Imperatoribus, Consulibus, Prætoribus capta. 384. 385
. . . non omnibus concessa. 384
. . . a Plinio tacitè derisa. 385
Azazel quis. 117 & seqq.

B.

BAal & *Baalim* diversi nominis (forsan & muneris quoque; ut apud Græcos ac Romanos Jupiter &c.) 17
. . idem quandoque cum Molech cum Milcom &c. 17 &c.
. . sub Baalim nomine & Astheroth comprehensi. 25. 27
Baal Achabi, Zidoniorum Deus. 17
. . . . forsan idem qui Astheroth, ibid.
Baalim ab Astheroth distincti. ibid.
. . . quando culti. ibid.
. . generale nomen. 18
Baaræ radicis vires. 282. 518
Behemoth describitur. 128
Brutorum cultus Ægyptiis familiaris ante Israëlitarum ex Ægypto exitum. 97
Bubo semper mali ominis avis. 137
בעלי אוב quinam ac quales. 609 & seqq.
בידין quinam ac quales. 609
דורשם אל המתים quinam ac quales. 613

C.

CAin urbem condit. 140
Κακοδαίμων vox semel tantum in libris Apocryphis occurrit. 102
Canidia Lunam cœlo diripit. 592
Canidiæ & Saganæ nocturna Sacra. 593
Canon N. Test. non est ab Apostolis confectus. 258
. . . . . . quando confectus. 259. 260
. . . . . . quibus constet. 259 & seqq.
. . Sacræ Scripturæ an a Concilio Nicæno confectus ac publicatus 264. 265
. . primus, secundus, tertius, quis. 267. 268
Caput loquens artibus mechanicis. 669
Carmina in Magia quid possint. 574. 575
Carmina Sibyllina unde prolata. 315. 318
. . . . . . vulgaria. 318. 349
. . . . . . non magnæ auctoritatis. 316
. . . . . . quomodo discreta. 319
. . . . . . privatis prohibita. 319. 320
. . . . . . de novo conficta aliquando. 321
. . . . . . quo modo canonizata. 323. 325
. . . . . . quibus divendita. 326
. . . . . . unde profluxerint. 327
. . . . . . a Christianis avide arrepta. 328
. . . . . . & maxime a Græcis. 329. 330
. . . . . . a Tertulliano ac Cypriano non memorata. 335
. . . . . . Sortibus destinata. 473
Catabolici Dæmones. 281. 282
Chaldæi dicti Chalybes. 53

Chaldæi quomodo agebant. 63
. . . iidem qui Magi. 62. 63
. . . duplicis generis. 30. 63
Chorepiſcopi quinam. 218. 219
. . . . duplicis generis. ib. & ſeqq.
Chriſtiani primor. ſeculor. Amatoriis delectabantur. 276
Χρησμολόγοι & Χρησμῳδοὶ qui. 201 & ſeqq.
Citationes Auctorum ſæpe neceſſariæ. 61
Cœlii Rhodigini credulitas. 656
Collegium Haruſpicum Romæ. 413
Collegia omnia ſuos habebant Magiſtros. 324
Koſemim quinam. 446 & ſeqq.
כשף quomodo verti ſoleat. 564. 565

D.

DÆmones qui. 33. 34. 35
. . . boni ſoli a primis Græcis agniti. 52
. . Mali ſenſim introducti. 51
. . . . . . a Poëtis quare poſiti. 54. 55
. . . . . . a Deo creati. 111
. . . . . . ab Adamo procreati. ib.
. . . . . . ab Eva Dæmones fœminini ſexus. 115. 116
. . . . . . a Nahema enixi. 121
. . . . . . ab Angelis procreati. 121 & ſeqq.
. . . . . . habitarunt in Ægypto, ut olim credebatur. 162. 163
. . . . . . viſibiles a Judæis crediti. 170
. . . . . . mutabiles in animalia. ibid.
. . . . . . Catabolici. 281. 282
. . . . . . per Sibyllam locuti. 334
. . . . . . lingua vernacula appellandi. 505
. . . . . . norunt diſcernere increpantem. ibid
Dæmonum principes Serapis & Hecate. 48
. . . . . . & horum differentia. 49
. . . . . . duplex genus (Criticum & Brutum) ibid.
. . . . . . malorum opinio qui diſſeminata. 53
. . . . . . Doctrina ex Chaldæiſmo. 64. 65
. . . . . princeps Dæmogorgon quando nominabatur. 55
. . . . . . opinionem a quibus didicerint Sacerdotes Græci. 54
. . . . . . varia nomina. 108
. . . . . . quatuor matres. 115
Dæmones ejicere non omnibus viris Apoſtolicis datum erat. 524
Dæmonum malorum cultus nuſquam a a Deo Iſraëlitis aut Judæis exprobratus, verum quidem *Vanitatum*. 100
. . . . ſtatuæ, ut Dæmonum, non adorabantur. 102
Dæmonomania a Zabiis orta. 28. 29
. . . . . . Chaldæis & Aſſyriis. 30 & ſeqq.
Deus omnipotens, *ac ſimul Zelotypus*. 1. 2. 8
. . culpat Deos gentilium, non vero Diabolum. 8
. . quomodo tentet homines. 254. 255
. . ſolus facit miracula. 2. 3
Dii gentium ejuſdem poteſtatis cum vero Deo habiti. 6
. . . . poteſtate nulla præditi. 10
. . . . Materiales & immateriales. 50
. . . . quinam conjunctim olim culti. 279
. . . . Inferi plus valent circa operationes Magicas quam Superi. 580
. . . . Minorum gentium docebant homines Deos ſuperos, imò Jovem, e cœlo devocare. 589

Dii gentium unde id habuerint disquiritur. 590
Deorum Concilia ac Collegia fuerunt varia. 278
Defectio Lunæ neglecta ab Alexandro. 410
. . . . . . ab Æmilio Paulo. 411
. . . . . . a L. Sulpitio Gallo. ib.
. . . Solis neglecta a Pericle. 412
Deuterosis causa multarum superstitionum. 91
Diabolus catenis ligatus. 91
Diaboli aut ejus operum non fit adeo mentio in S. Scriptura V.T. 8. 10. 227
Diabolorum tria genera. 439
Divinatio naturali intemperiei ab Aristotele adscribitur. 336
. . . a Cicerone refutata. 337
. . . per aperturam codicis. 474
. . . quomodo ea instituta. 475. 476
. . . quibus in locis. 477
. . . ab Augustino instituta. 479
. . . ab Andronico instituta.
Divinationes deridet Plinius. 338
. . . . damnarunt Concilia. 481, 482 & seqq.
Donum Linguarum quid apud Paulum. 202 & seqq.
. . . Prophetiæ quidnam. ibid.

E.

Eclesiæ Christianæ Vet. forma externa qualis. 209
. . . . cum Synagoga Judæorum collatio. 210 & seqq.
. . . . primæ aut nulla aut perpauca fuere Scripta Euangelica. 257
Ἐγγαστρίμυθοι quinam. 634. 648
. . . . . . Euryclidæ dicti. 649. 650
. . . . . . postea Pythonici a Pythone. ibid.
Ἐγγαστρίμυθος apud Græcos primus Eurycles. 648
. . . . . Python. 650
. . . . . Fanningius. 652
. . . . . Ludovicus Brabantius. 653
. . . . . Barbara Jacobi. 654
. . . . . Jacoba. 656
Εἴδωλον pro umbra. 3
Elilim qui vertantur. 3. 4. 5
Elohim & Jehova quandoque Dîs gentilium attribuerunt Prophetæ. 672
Enochi libri auctoritas investigatur. 352 & seqq.
. . . liber agnoscitur a Tertulliano. 560
. . . . continet Incantationes &c. 560 & seqq.
Epistolæ ad Hebræos auctor quis. 261
Esseni Idololatræ. 174
Ethnici ad Christianismum transeuntes multa Chaldaicæ superstitionis eò deferebant præjudicia. 180. 181
Euangelia omnia non uno eodemque tempore conscripta. 258
Euangelia parva Amuletum puerorum, &c. 534
Euangelium dolenti capiti impositum. ibid.
. . . . lectis appensum. 535. 536
Eunus Syrus Vates. 303. 304
Eurybates Ephesius ope Literarum Ephesiarum muros ac tecta conscendit. 528. 529
Eurycles primus ἐγγαστρίμυθος. 648. 649
Expiatrices apud Atticos. 60
Exsufflatio Dæmonum quando introducta. 547. 549
. . . . contra quæ. 547. 548
. . . . a viris & mulieribus peracta. ibid.
. . . . ab ipsis baptizandis adultis. 549
Exorcismus Catechumenorum & Hæreticorum primis seculis per Clericos

cos administrabatur. 550
Exorcismus quonam tempore in Catechumenis exercitus. 553
Exorcismi definitio. 554
. . . cæremoniæ non ubique æque longæ. ibid.
. . . Mystica acceptio. 555
Ἐξεχέ ὦ φίλε ἥλιε lusus puerorum. 595
Exorcismo Christus & Apostoli usi. 542
. . . . . . mulieres exorcizantes. 544
. . . . an Tertulliani tempore is in usu circa baptizandos. 545
. . . . tempore Augustini. 555 seqq.
Exorcistæ tempore Cypriani in Ecclesia. 550
Exorcistarum munus quodnam fuerit. 551. 552
Exorcistas creabat Episcopus. 552
Exorcizare nemini licebat nisi is ab Episcopo creatus esset. ibid.
Extispicia circa quæ consulta. 395
. . solis Aruspicibus inspecta. 400
. . irrisa a Cæsare. 403

F.

Fatidici libelli consulti. 306
Fluvius Sabbaticus. 141. 142

G.

Gemara Mishnæ adjuncta. 89. 90
Genius quis Deus. 42. 43
. . . bonus & malus. ibid.
Genii hominum duo. 172
גזרין qui ac quales. 394

H.

Haptharoth sive Lectiones Prophetarum unde Originem trahant. 72. 73
Haruspicina a Chaldæis orta. 395
. . . . . examinata a Cicerone. 396
Haruspices soli exta inspiciebant. 400
Haruspicum fraudes. 404. 405
. . . . Collegium Romæ. 413
Haruspicibus fidere nolunt rusticos Cato & Columella, milites Imperator Aurelianus. ibid.
Hesychii Lexicon non vulgares, sed rariores & magis insolitas continet vocum significata. 651
Hirci ab Hebræis culti. 97. 98. 99
Homerus unde sua desumpserit fabulosa. 638
Homines in lupos posse converti & è contra asserit Peucerus, negat vero Plinius. 595
. . . . credidisse videtur Augustinus. 596
Hydromanteia. 468
Hystaspis libri magna in auctoritate. 321 & seqq.
הוחל profanare significat. 15

I.

Jadua quale animal. 612. 619
Idola vox quî Hebræis, Chaldæis, Græcis, Belgis vertatur. 3. 4
Idolis omnipotentia a Poëtis adscripta. 6
. . miracula adscripta a primis Patribus credita. 7
Idololatria quando primum orta. 12 & seqq.
. . . . circa Astra. 16
. . . . circa Animalia. 21
Jehova & Elohim Dis Gentilium quoque attribuerunt Prophetæ. 672
Jeremuel Archangelus. 133
Ignis Sacri per LXX. annos latentis historia examinata. 150 & seqq.
. . . . e cœlo ad altaria delapsus. 152
. . . . a Persis cultus. 154
ידעונים vel Jideonim quinam ac quales. 611. 612

Im-

Impostores abutebantur nominibus Dei, Patriarcharum, Sanctorum. 522
. . . utebantur ligaturis & Thymiamatis. ibid.
. . . . Literis Ephesiis. 526
. . . . quare non vere ejecerint Dæmones. 523
. . . . multi in urbe Ephesina. 525
Incantatores quinam sint. 490. 491
Incantatrices a Christianis adhibitæ. 531
Insomnia fatidica quænam. 436 & seqq.
. . . . . pellibus substratis capta. ibid.
. . . . . . duplicia. 438
Interpretes Græci Bibliorum Chaldæorum opinionibus imbuti. 97
Interpretibus Græcis Bibliorum quantum fidendum. 124 & seqq.
Jonæ historia a Josepho descripta examinatur. 144
. . Prophetia de interitu Ninevitarum in quo constiterit. 194
Josephus (Flav.) ita adulatur Græcis & Romanis, ut S. Scripturæ verba eorum superstitionibus accommodet. 77
. . . non semper fidus. ibid.
. . . semipaganus fuit. 136 & seq.
. . . dissimulat maligne Messiam. 138 & seqq.
. . . gaudet fabulis & nugis. 156
. . , malignus in Jes. Christum ejusque Apostolos. 519. 521
Irenæus emendatus. 270
Israëlitæ ad Gentium ritus delabebantur, ob congregationum Ecclesiasticarum defectum. 66

L.

Liber Judith an in Canone disquiritur. 265
Lex Mosaica qui ab Israëlitis neglecta. 66. 67
Lex Mosaica in Captivitate Babylonica. 68 69
. . . . familiarior populo post reditum ex captivitate. 70
. . . . lecta, & explicata per Interpretem vernaculè. 69. 70
. . . . quando versa, & quare. 73. 74
Legis Codicum quanta penuria in Judæa ante Captivitatem Babylonicam. 68 & seqq.
Lex Oralis dignior Lege scripta Judæis. 87. 88
. . . quare non scripta tradita. ib.
. . . ipsius, sive Mishnæ, historia. 87 & seqq.
Lexica Hebraica minus accurata quare. 179
Leviathan describitur. 128 & seqq.
Levitæ ac Sacerdotes in captivitatem Babylonicam avecti, ibi Chaldæorum imbibebant opiniones. 69
Liber Salomonis clavicula dictus. 558
. . Enochi de Incantationibus &c. agit. 560. 561
Lilith historia. 112. 113
Literæ Hebræorum quadratæ in Scriptura Legis Samaritanis antiquiores. 80
Literarum Samaritanarum origo plane obscura. 78. 79
. . . ortus earum ex Assyria & Chaldæa. 79. 80
Literæ Ephesiæ a quibus inventæ. 540.
. . . . pro Amuleto animalis insculptæ. 529. 30
. . . . in coriis consutæ. ibid.
. . . . recitatæ. 539
. . . . Impostoribus in usu. 526. 528
. . . . erant Symbola quandoque, quandoque amuleta. 527
. . . . ex Eustathio &c. describuntur. ibid.
Literæ Phœnicicæ non sunt Samaritanæ

næ, sed ab illis multum discrepant. 79
Λόγια quid sint.
. . Actor. VII, 38. Hebr. V, 12. 1 Petri IV, 11. quomodo vertenda. 290. 291
Lucorum cultus. 23 & seqq.
Luna ab asino epota. 60. 524
. . quomodo e cœlo deducta. 594
Lunæ e cœlo detractæ fabula unde. 59
Lustrationibus adjungebantur Incantationes. 60
Lysander confinxit Oracula. 389

M.

מפלצת Miphlezet quid fuerit ignotum. 25
מכשפים, *Mecaspim*, qui ac quales fuerint. 563
Magia in Chaldæa orta atque inde in cæteras mundi plagas dispersa. 31 & seqq.
. . etiam Ethnicis exosa. 358
. . continet sub se Incatationes, Præstigias, Necyomanteiam, Astrologiam judiciariam, &c. 570
. . a Cicerone & Seneca irrisa. 571
. . in Perside orta secund. Plinium. 599
Magicæ operationes majori ex parte a mulieribus perficiuntur. 568. 569
. . . non perficiuntur sine respectu & consideratione siderum. 568. 600
. . . efficiuntur magis a Dîs Inferis quam a Dîs Supris. 580. 581 & seqq.
. . . efficiuntur ope herbarum, &c. 601
. . . evertuntur etiam herbis. 603. 604
. . . medicamenta irrisa a Plinio. 605. 606
Magi, Chaldæi, Agyrtæ, iidem. 62. 63
. . & Venefici apud Hebræos quinam. 564 & seqq.
Magi omnes quare occidendi Hebræis. 568
. . quam mira jactitarent, ex Maimonide. 569
Magorum Magicarumque artium summus magister Serapis habebatur. 583
Magicarum operationum tres species. 567
Martha Syra Vates. 303
מעוננים quinam ac quales fuerint. 415 & seqq.
Mebonenim unde dicti. 416 & seqq.
. . . . quid agant. 416. 417
. . . . dicti Agyrtæ, Magi, &c. 433 & seqq.
מנחשים quinam ac quales fuerint 363 & seqq.
Melstinski (Jacobus) se Christum simulat. 434 & seqq.
Micholis historia, circa imaginem lecto impositam. (1 Sam. XIX. v. 13.) 660 & seqq.
Milites in aëre visi (in Apocrypis) 135
Mircula Dei fictis nominibus adscripta. 5
. . . a primis Ecclesiæ Chr. patribus credita & qui. 7
Mishna quando collecta & publicata. 87
. . . . a quo. 80
Mishnæ adjuncta Gemarra. 89. 90
Mishna abutebantur Pharisæi. 89 & seqq.
de Mishna conficta multa. 87
Monachi fabulis dediti 184
Morbi Nominibus Sacris & versibus expulsi. 405 & seqq. usque ad 414.
Mortuorum consultores quinam. 612
Moses sua Miracula fecit per nomen Tetragrammatum. (secundum Judæos) 493
. . quo modo occiderit Ægyptium. 494
. . virga ejus quando creata. 495
Mulieris in Endor impostura examinatur.

tur. 614 & seqq.
Mundus plenus animis ac Dæmonibus. 32

N.

Nahema mater Dæmonum. 121
Nebuchadnezaris somnium expositum. 443. 444
Necromanteia diu ante Homerum cognita, apud Hebræos quandoque publicè exercebatur. 633. 634. & privatim. 642
Νεκυομαντείας meminit Homerus. 636
Nemesis Judicii Angelus. 36
Nomina Divinitùs data singulæ gentes habebant. 505
. . . vernaculâ lingua exprimenda 506
. . . Hebræorum equidem apud alias gentes valebant. 506. 507
. . . Sacra adhibita in expellendis morbis. 508. 509
. . . . . . ad cordis dolorem. 509
. . . . . . febres. 510
. . . . . . morbos pecudum, vini conservationem, piscium capturam. ibid.
. . . Barbara adhibita ad pestem, febres, &c. 512. 513
Nomen Tetragrammatum. 42. 494
. . . . . . ejus scopus & sensus. 496
Nominibus vere Divinis quoque Gentiles usi sunt in expellendis Dæmoniis. 497
. . . . . etiam primæ Ecclesiæ Chr. patres talia approbant. ib. & seqq.
. . . . . quando vim obtineant, quando non. 502 & seqq.
Numen idem sæpe diversa habebat nomina. 17. 18
Numina a locis atque urbibus denominata. 19

O.

אוב, *Ob* quid, ac quæ, significet. 614. 615 & seqq. 649
Ο'ιωνὸς quomodo vulgò reddatur. 651
Ο'ιωνίζεσθαι quid. ibid.
Omina superstitiose observata. 370
. . a Christianis observata etiam ex Nominibus. 371
. . . . . ex candelis, cereis, &c. 372
Omnipotentia a Poëtis ac Sacerdotibus adscripta Dîs Gentium. 6
Ο'πισθότονος qualis morbus. 108
Opus Pythonis qualenam. 609. 610
Oracula Sibyllina, vide Carmina Sibyllina.
. . . . a Lysandro conficta. 389
. . . . ἐγγαστρίτων an per pudenda edita. 649
Oraculum ad Avernum. 639. 641

P.

Paredri erant diversi generis. 279 & seqq.
Pentateuchus Hebraicus qui & quando confectus. 71. vide & epistolas operi annexas.
. . . . quando ad Cuthæos perlatus. 75. 76. 81. vide & epistolas.
Pentateuchi Samaritanorum Græca versio quam vetusta. 83
Pentateuchus Hebr. per Sectiones hebdomadales divisus prælegebatur. 74. 83
. . . . Solus ante tempora Philadelphi publicatus. 75
Pharisæi Mishna abutebantur. 89. & seqq.
. . . præ omnibus prævalebant. 92

Pha-

Pharisæi summam præ se ferebant sanctitatem. ibid.
. . . septem sectis discriminati. 93
. . . doctrinam de Dæmoniis sunt amplexi. 94
Piscis qualis a Tobia captus. 164. 165 & seqq.
Planetæ a Chaldæis Dii vocati. 32
Plantæ, animalia, metalla singula habent sibi stellam 58
Poëtæ omnipotentiam Idolis adscribebant. 6
. . non tamen omnes. 7
. . quare posuerint malos Dæmonas. 54
. . quomodo Prophetæ dicti. 200
Porphyrii epistola ad Annebonem. 44. 45
. . . . vera. 46
Propheta quis verus. 188 & seqq.
Prophetæ nomine *Doctores*, *Pastores*, *Magistri*, in S. Scriptura non (nisi abusive) veniunt. 200
. . . sub Novo Testamento examini subjiciuntur. 206
Prophetarum Scripta diu, post Pentateuchum, latuerunt. 74. 75
. . . . filii sunt ipsorum discipuli. 198
Prophetia vera non duplex. 197
Prophetiæ munus in quo consistat. 193 & seqq.
. . . Donum quodnam apud Ap. Paulum. 202 & seqq.
Phylacteriis etiam Christianorum Sacerdotes usi sunt. 533. 534. 536. 537
Pseudoprophetæ primis ac posterioribus temporibus fuerunt. 235. 236
. . . . . sicut Theuda. 236
. . . . . . Ægyptius (de quo Act. XXI. v. 38) 237
. . . . . . Barjesus. 239
. . . . . . Jonathas. 241
. . . . . . Dositheus. 242
. . . . . . Barchochebas. 242. 243
. . . . . . David El David. 243
Pseudopropheta Simon Magus. 245 & seqq.
. . . . . . Marcus Magus. 474. 275
. . . . . . Menander Hæreticus. 276. 277
. . . . . . Basilacius. 287
Pullarii in Auguriis multa fingere poterant, & quomodo. 380. 385. 386
Purgatorii Romanensium origo. 91
Pythii duo Regibus Lacedæmoniorum additi. 311. 312
vox פיתום Pithoom quid significet. 617
Πυθὼν unde derivetur. 651

Q.

קוסמים *Kosemim* qui ac quales. 445

R.

Raphaël unus ex septem Angelis. 159
Remedia Dæmonofuga. 165. 166. 603. &c.
Rhetræ Lacedæmoniorum quid fuerint. 310
. . . . . . a Regibus custoditæ & explicatæ. 311
. . . . . . ad lubitum Regum mutatæ. 313

S.

Sacerdotes Græci a quibus didicerint opinionem de Dæmonibus. 54
Sadducæismus per Saddoccum & Baithum introductus. 91
Salomon Incantationibus adversus Dæmones usus. 141. 558. 559
Sammaël quis Angelus. 117
Samuel an verè visus a Pythonissa. 611
Sanguis in magicis operationibus adhibitus. 571

Saul a quo, vel quali, spiritu agitatus fuerit. 439
. . qui prophetarit. 440
Scevæ filii Agyrtæ. 521. 523.
שרים vel שרין non Diaboli, sed Dii. 16. 109. 110
. . quare nomen id Dis Gentium impositum. 108. 109
. . male vox illa vertitur Dæmones. 110
שעירים male vertuntur Diaboli vel Dæmones mali. 124
Scholas ac Synagogas ordinarias ante Captivitatem Babylonicam Judæi non habuerunt. 65. 66
Secta Platonica & Pythagorica ex Chaldæismo. 180
. . Ebionæi, Encratitæ & Marcionitæ, quæ Euangelia ac quas Epistolas rejecerint, vel detruncarint. 269. 270. 271
Septuaginta Interpretum historia conficta, & quare. 84
Serapis, Osiris, Apis idem Numen. 584
. . . an Magorum summus magister. 583
. . . quomodo ab Ægyptiis, & Romanis, cultus. 585
. . . unde dictus. 587
. . . docetur non esse ex Dis Inferis. 585. 586. 587
Sibylla Divinæ auctoritatis habita a Clemente Alexandrino; qui mox tamen contrarium ponit. 329. 338
Sibyllinorum Oraculorum, ac Librorum, historia. 309 & seqq.
Sibyllistæ quinam (inter Ethnicos, & Christianos) 359
Simulacra Deorum nulla adorata si non antè præcessisset Consecratio. 5
Sirenum nomen unde. 127
Simia Dei Diabolus dicitur sed falso. 678. 679
Simiæ Ecclesiæ hæretici.
Sortilegi non solum morabantur in Templis, verum & per fora, theatra, &c. vagabantur. 317
. . qui populo imposuerint. 465. 466
Sortes, erant variæ, ut Lyciæ, Prænestinæ, Antiatinæ, Patavinæ, Herculeæ, Dodonææ, Cæritanæ, &c. 448
. . per talos captæ. 449
. . Prænestinæ descriptæ. 449. 450
. . extractæ manu. 452
. . ejectæ. Ibid.
. . membranis, aut chartulis, inscriptæ. 453
. . Oraculi Jovis Dodonæi a simia dissipatæ. 454
. . quando & quomodo ab Arabibus captæ. 455
. . e Sagittis & Virgis captæ. 455. 456
. . e Templis datæ. 459. 460
. . per integros versus captæ. 461
. . quare per pueros redditæ. 467
. . ubi per Aviculas. 486. ibid.
. . per gallum, per corvos. 465
. . per capras. 486
. . per annulum pendulum. 463. 464
. . per literas in aqua apparentibus. 469
. . per calculos & abacum. 470
. . ex libellis. 471. 472
. . per aperturam Codicis Poëtæ hujus illiusve. 474
. . per aperturam Codicis alicujus S. Scripturæ, vel plurium simul. 475 & seqq. usque ad 482
Sortes Sanctorum, vel de ligno aut pane factæ. 483. 484
Spencerus circa Teraphim refutatus. 670
. . . P. Cunæus contra ipsum defensus. 517
Statuæ vel imagines, quamvis consecratæ, omni Divinitate carent, ac nihil possunt. 4. 5
Statuarum Florianorum dejectio quid significarit. 406

Στεφ-

Στερνομάντεις quinam, aut quales. 649
Stringes aves. 114. 115
Superstitiosi valde Oct. Augustus & Claudius Cæsar. 414
Sylla Felix portenta &c. negligit & ridet. 409

T.

Targumistæ Diabolum suis paraphrasibus intrudunt in S. Scripturam. 103 & seqq.
Targumistæ & Interpretes priores S. S. fuerunt ex secta Pharisaica. 95
vox *Teraphim* examinata & investigata. 659
Teraphim quid sint. 664. 665
. . . quare & quando a Deo adhibita, secundum Spencerum. 670
. . . non sunt locuta. 673
. . . per ea non est locutus Deus. 675
. . . per ea an Dæmon, seu Diabolus fuerit locutus, an vero ipse Deus (ut Spencerus vult) non posse discerni. 677
Thomasini error circa fabulam de Erichtone apud Lucanum. 645
Tobiæ liber examinatur. 157 & seqq.
. . . . ejus triplex textus Hebraicus, unusque Græcus præter versionem Latinam. 157
. . . . omnes isti textus ac versiones permultum inter se discrepant. ibid.
Totaphoth membranis coriaceis inserta qualia Judæis amuleta. 530. 531
Tripudium quid. 383

V.

Umbrarum evocationem ipsi rident Poëtæ. 646
Uriël Angelus. 133
Velleda Germanorum Fatidica. 305
Ventriloqui, vide *ἐγγαστρίμυθοι*.
Versio Hieronymi unde minus accurata. 179
. . Syriaca perantiqua. 261
Versio (prætensa) τῶν septuaginta non uno eodemque tempore, nec per unos eosdemque Interpretes, facta. 636. 660
Versiones Bibliorum unde minus adæquatæ. 177. & seqq.
Virga Mosis quando creata.
Vituli ab Hebræis culti. 99
Vossii (Isaaci) sententia de Apocryphis. 343
. . refutata. 346
. . de LXX. Interpretibus. 346. 347
. . de prædictione adventus Christi per Sibyllas. 358

X.

Xanthus Achillis equus locutus fingitur. 578

Z.

Zoroaster quando vixerit. 52
. . . doctrinam Magicam docuit. 53

ADDENDA & CORRIGENDA.

In Dedicatione.

Pag.	lin.	lege.
* 5	18	*in invia.*
** 2	17	πλανῆτις.
	18	προσδέχομαι.
***	11	*nomine Dei.*
	23	*Sagas.*
*** 2	21	imprimis verò.
**[illegible]*	19	perpetrare perhibebantur.
**** 3	12	figmenta (ut optime.
***** 2	24	ut existimo, a me ostensa sunt, patet.
***** 3	25	huic operi.

In ipso opere.

Pag.	lin.	lege.
8	8	fabuloso.
20	15	v. 4. ubi.
	30	religiosus cultus.
	31	Numinum.
23	16	*spargere.*
24	3	sicut ἀνατιθέναι.
26	10	*Baalim.*
30	4	*plenumque.*
	19	καταδέχονται.
	24	exsertè.
31	21	induxisse.
	32	*Arimanium.*
42	9	εὐδαίμονας.
43	6 it. 7.	*Somnus.*
44	19	*Benignos.*
45	10	sopitos.
	13	*cum*, adde *attractatum.*
	16.	dele. *attractum.*
64	3	Divinationum genera.
76	8	Idololatricæ
81	30	Quo modo
95	17	*Græci*, adde, *Chaldæus.*
	19	Esai. 34. 14. *de disertis Idumeæ.*
116	27	expulsorem.
118	2	לעואזל.
	15.	deest. ארץ
	25	*Melitiones.*
	32	impurum.
119		post *Azazeli* adde, *Sors Sancti Benedicti est oblatio holocausti.*
124	15	in S. Scripturam, ibique in Esaiæ Proph. Scripta.
	16	Esaiæ c. XIII. v. 21.
127	24	*cantio.*
133	23	*quæ*, dele, *quid.*
137	10	ἐξαποστεῖλον.
142	27	quosque.
152	2	*corripuit.*
156	21	ἐσκορπίσθησαν.
157	18	fatetur.
160	20	Præpotent.
161	9	exercitatores.
	31	in Chri-
165	3	dicunt, qui in Tobiam insiliit.
168	18	יחח
169	31	viderentur.
174	16	ἐμβατεύων.
195	20	muneris.
197	15	cum.
103	25	δείκνυμι.
204	4	proficuum.
206	16	*viris.*
248	25	PYTHIAM.
298	1	βαλανεύσω.
299	7	*litetis.*
306	6	post *echinus* lege Tr. *Nondum etiam hic nostras cessabit fallere Athenas?*
	29	sume.
311	29	alios.
325	5	(non Magisterium)
343	10	ego.
343	12	*meminerat.*
344	7	sepe
369	25	redire domum.
375	2	profert, finiam :
377	16	*Bellicam rem.*

Pag.	lin.	lege.
383	8	*autem esse.*
396	32	*sit cordis a. v.*
399	19	*superstitio.*
411	2	*edita.*
429	18	*simulans, quasi per dementiam, funesta Tiberio:*
433	12	encænia.
438	33	disertis.
440	20	*animis.*
	28	fuerit.
468	9	*indicio.*
511	15	*facie.*
517	11	ipsum a tali.
560	ult.	Literaturæ.
573	18	adductis, talia.
593	1	devotus.

Pag.	lin.	lege.
594	penult.	loquitur, credidisset;
605	13	persona cujusdam Socratis.
617	28	nimium.
620	20	Sagæ, Nahum. c III. v. 4.
621	6	suppeditabat.
628	27	addam Burmannum, qui.
	28	hoc modo loquitur:
635	23	dele. *ex.*
638	26	evocationem.
643	24	nec Philostrati, Apuleii.
657	16	nullo magis.
672	15	יהוה
679	20	soluto.
700	24	illecebris.
720	4	nemine.

FINIS.